



om. G. G. G.

6

11-A

1

226.



Ex Bibliotheca
 majori Coll. Rom.
 Societ. Jesu

38.2.15.

70
17
32

~~6-11-A~~

9(201)

202

VIRI ILLVSTRIS
NICOLAI CLAVDII
 FABRICII DE PEIRESC.
 SENATORIS AQVISEXTIENSIS
VITA.

Per PETRVM GASSENDVM Præpositum
 Ecclesiæ Diniensis.

*Bibliotheca
 Coll. Rom.*



*Secr.
 Soci. Regia*



PARISIIS,
 Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY,
 Architypographi Regij, viâ Iacobæâ.

M. DC. XLI.
 CVM PRIVILEGIO REGIS.

1. The first part of the document discusses the importance of maintaining accurate records of all transactions. It emphasizes that this is crucial for ensuring the integrity of the financial statements and for providing a clear audit trail.

2. The second part of the document outlines the various methods used to collect and analyze data. It includes a detailed description of the sampling process and the statistical techniques employed to ensure the reliability of the results.

3. The third part of the document provides a comprehensive overview of the findings of the study. It highlights the key areas where significant differences were observed and discusses the potential reasons for these variations.

4. The fourth part of the document discusses the implications of the findings and offers recommendations for future research. It suggests that further studies should be conducted to explore the underlying causes of the observed trends and to develop more effective strategies for improving the accuracy of the data.

5. The final part of the document concludes the report and expresses the authors' appreciation for the support and assistance provided by the research team and the funding agencies.



PRINCIPI MAGNO,
 SAPIENTI, BONO,
 LVDOVICO
VALESIO
 ALENSI COMITI;
 LEVIORIS EQVITATVS PER
 Gallias Magistro, & Gallo-Pro-
 uinciæ Proregi.

PETRVS GASSENDVS *et reg. 74r.*



MAGNE PRINCEPS,



*Scribere aggredior quam abs me deposcis lau-
 datissimi Peireskij vitam. Quippe non prius in
 hanc Prouinciam faustis auibz accessisti, quam*

A ij

ingemisti praeceptam tibi, magnâ fatorum invidia, illius consuetudinem; ac me, quem nôras fuisse cum ipso familiarissimè versatum, perquam studiosè de eius studiis, moribusque es percontatus. Voluisti etiam habitum oris ex effigie cognoscere, & loca adire, in quibus superessent illius vestigia, lustrando ubi habitare, ubi sedere, ubi praestanteis quosque viros, quibusdam quasi Sirenibus, detinere solitus fuisset. Denique in eam raptus es virtutum eius admirationem, ut conscribenda illius vita non postremus auctor mihi fueris, ac me idcirco non inuitus à te abesse permiseris, ut in secessu hocce meo coronis citius imponeretur. Et poteram quidem germanam excusationem praetexere ex tenuitate virium: at cunctandum non censui, cum ad multiplex officium attendi. Nam primum quidem, quod ad Te spectat, morosus sim planè, nisi obsequar, qui nihil tale cogitans, ac nihil tale meritus, sic fui euocatus ad te salutandum, ut ex eo usque tempore benevolentia erga me tua esse non potuerit & liberior, & dulcior, & ad omnem comitatem, facilitatè que procliuor. Didici certè experiundo, quàm merito iure te suspiciat, amètque, & suas delicias tota ducat prouincia; fœlix videlicet Prorege, in quo philosophia, & imperium equis momentis temperentur. Quinetiam ita pacis studia cum artibus belli

componis, ita cum Marte Musas concilias, ut ambiguum fiat, generosiorne, an eruditior emineas; & cum immortale id decus sit tibi gentilitium, nemo tamen ex inclitya, Regiâque Valesiorum stirpe occurrat tecum comparandus. Sed memoranda hac alias: nunc commendari satis non potest, quod fasceis ubique submittis virtuti, neque in solis Principibus regiarum laudum materiam queris. Nihil interesse existimas sub qua veste lateat heroïca mens; & modo pectus diuinum sit, propensum te ad cultum prestat. Exemplo certè erit perpetuo, & magnorum Ducum, Imperatorumque factis accensendo, quod iam tua commendatione Senatorij ordinis virum ob eximias animi doteis, inter Principes euehis; & ne unquam illius fama intermoriatur, curam assumis. Oportet nempe in te possideas quas in illo amas laudatas virtutes; neque potest affectus tui non perennare memoria, cui virtus ipsa est elogium pronuntiatura sempiternum. Deinde quod spectat ad Virum, ingratus sim, nisi id prestem; quod singularis erga me amor, & munifica indoles erga omnes efflagitat. Nam me quidem quantum amarit, promptius est animo sentire, quam verbis exprimere; satisque est dicere me felicitati vertere magna, quod me tam carum habuerit, quod tam frequentem sibi adesse, consilio-

rúmque animi omnium esse consciúm voluerit ;
 quòd in meum sinum ut cætera, sic extrema ver-
 ba, animámque ipsam tandem exhalárit. Eam
 ob caussam, cum nulli magis, quàm mihi esse cordi
 debeat capitis tam cari memoria ; currenti sanè
 adhibes calcar, cum tuo imperio id exigis, ad quod
 gratitudo, & ius amicitia me procliuem facit.
 Qui enim quoties quidpiam de illo cogito, loquor,
 audio, intima quadam suauissimáque animi leti-
 tia perfundor : quomodo possim non iucundè vita
 eiusdem seriem sic scribendo retexere, ut cum ple-
 risque comunicetur ? An non videbor adhuc cum illo
 humanissimè conuersari, suauis que horas consu-
 mere, ac tum mihi demùm satisfacere, ubi per me
 non steterit, quin tanti amici gloria efflorescat ?
 Quantum verò ad propensionem, qua animatus in
 omneis fuit, existisse nemo videtur, qui in com-
 mune bonum natus, id impensius curauerit, ut
 constantissimè prodesset vniuersitati generis hu-
 mani. Nam multis quidem cessisse potest, si fa-
 cultates spectaueris ; nemini tamen, si virium mo-
 dum, voluntatémque benefaciendi. Dignus proin-
 de, qui regnârit in animis hominum, ac studioso-
 rum præsertim, quos excitare, foueréque eruditio-
 ne, consilio, auctoritate, gratia, opibus suis destitit
 nunquam. Testes sunt boni, doctique omnes, qui
 consensu vnanimi fatentur nullum unquam fuis-

se Mecœnatem generosiores. Hinc tamen fama illius non videatur posse exstingui, cuius illustri nomine litteratorum orbis completur; haud tamen committendum est, ut idem nobis exprobrari, quod Mecœnatis saculo possit. Nam quod huius historiam nemo coetaneus in posteros transmisit, effectum est, ut prater nomen eruditissimum, vix quicquam de illo ad nos permaneret; Et cum idem Nostro simendum videatur, equum profecto, ut qui illi familiariter convixerunt, id curent, ut quis fuerit, nepotibus etiam serui innotescat. Similis enim crepusculo vespertino est rerum fama, qua initio clarissima, ita paulatim evanescit, ut abeat tandem in tenebras; opusque adeo historia est, qua facilius instar illam producat. Agnosco porro neminem esse, cui, potius, quam mihi id munus incumbat; quando nemo est, cui propter diuturnum, familiarémque convictum, ille potuerit esse perspectior. Accedit, quod licuit à morte ipsius ea interrogare, Et cum ex variis epistolis, tum ex aliis monumentis intelligere, qua non fuissent cuius perinde in promptu. Factum certe est ob hanc causam, ut cum tot viri eximij huiusmodi Spartam ornare potuissent, nihilominus tecum conspirarint, meque sollicitauerint, ut ille admouerem manum. Postremo quod spectat ad Patriam, ad hanc aetatem, ad

posteris, iniurius sim prorsus, si opus detractem. Et patria quidem; nam species quadam impietatis videretur, si obduci paterer lumen, quo, ut hactenus coruscavit, sic merito in posterum gloriari mirifice potest; si negligi id ornamentum, quo pronunciarè penè licet nullum unquam aut existisse, aut existitum magnificentiùs. Quippe non tota modò Europa, sed Asia quoque, & Africa, ac ipse etiam novus orbis conuersos eius occasione in hanc provinciam oculos habuit; nemòque usquam fuit eruditus, bonarumve appetens rerum, qui non aut illum conuenire, aut cum eo certè agere per literas non affectàrit. Tum prasens quoque etati; siquidem eius interest, ut qui sequentur, intelligant non fuisse effasam in ipsa naturam; potuisseque eam virum magnum, insignemque producere, qui futuris post saculis proponi in exemplum posset. Magna certè eius laus est, quòd videatur in illo uno collegisse omnes omnium saculorum virtutes; possitque adeò sese efferre, quòd in ipso expresserit quicquid preclarum de Pandora fabulosa atas confinxit. Denique ipsis posteris; quoniam iucundissimum ducent virum illum cognoscere, cuius singulari affectui sese plurimum debere agnoscent; cuius fortassis imitatione sic tenebuntur aliqui, ut quasi Phœnices enasci ex illius cineribus non sine fructu aliquo generis humani

con-

contendent. Quod superest, vitam describam, que narrationis simplicitate, non coloribus questis spectetur. Alij, si videbitur, comptiore calamo expolient, ac historia forma donabunt quos ipse commentarios, ceu rudera quadam, digessero solum, veluti annaleis, in temporum seriem. Siquidem mihi animus est agere Damidem duntaxat, & si qui fortè caussabuntur delectum mihi non habitum, minima quaque obseruitanti; dicam quod ille, etiam micæ, que ex mensis Deorum sunt, dignas videri, que colligantur. Fortè neque res iis erit ingrata, qui, similes tui, pernosse magnos viros student, non ob actiones solum illustreis, publicè que exhibitas; sed ob obscuras etiam, & quas enulgarì ipsimet noluisse. Quippe que in oculis omnium, & cum claritate geruntur, nescio quid personatum habent; unde quidnam intus, & sub cute lateat, internosse per arduum sit; que verò procùl ab arbitris, & sine fame captatione, atque idcirco sine fuce, ereptaque personà fiunt, ea demùm hominem ostendunt; quod discernere est operæ pretium. Id scilicet animos addit ad imitandum præclare gesta, cum etiam in heroibus nonnulla deprehendimus infirmitatis nostre indicia; neque perinde desperamus eorum virtutes assequi, ac dum grandia quæque duntaxat narrantur. Sin verò nonnulli requirent illustriora quadam, & am-

pliora facta, quàm commemoratùri simus; nò-
 rint oportet non omneis posse Scipiones esse, aut
 Maximos, ut bella, triumphósque recordari va-
 leant. Abundè illi merentur laudem, quos cùm
 fortuna ad summam opes, atque dignitates non eue-
 xerit; maiores tamen animos gerunt, generosiore
 virtute sunt, ac moliantur grandiora longè, quàm
 pro conditione sperare quis possit. Talis porro Pei-
 reskius fuit, quem exhibituri non sumus, nisi ut vi-
 rum, qui fuerit gradus, censùsque Senatorij; &
 qui se tamen ita gesserit, ut se fecerit quolibet en-
 comio, ac panegyri superiorem. Videlicet sumus
 duo quedam toto decursu prosequunturi, ob qua com-
 mendatus summoperè est; alterù eruditio magna,
 ac omnigena, cum ardore sciendi inexplebili: alte-
 rum cura indefessa promouendi arteis ingenuas,
 cum regia planè erga omneis literatos munificen-
 tia. Ex hisce verò capitibus periculum sanè non
 subest, ne efferre quidpiam hyperbolicè videar; le-
 quar enim in ipso ore eruditorum virorum, apud
 quos ille inclariuit, quique tantùm abest, ut me
 caussentur fuisse nimium, quin vereor potius, ne par-
 cum nimis existitisse sint conquesturi. Sed ne harere
 heic videar, patere, per optime Princeps, ut que nos-
 se desideras, deinceps enarraturus, exordiar à ma-
 ioribus: ut vel ex eo capite constet, cur illum aucto-
 res constantissimè Nobilissimum vocitarent.



DE VITA
PEIRESKII
LIBER PRIMVS.

PRINCIPIO genus Peireskio fuit ex
perantiquo illo Fabriorum, seu Fabri-
ciorum stemmate, quod Pisis in Italia
oriundum, translatum est in hanc Pro-
uinciam, à tempore vsque Diui Ludo-
uici, ac partus salutiferi anno supra millesimum du-
centesimo quinquagesimo quarto. Memorant enim
Hugonem Fabrium inter Pisanos nobiles militiæ illi
sacræ adscriptos, fuisse à Sancto Principe in Prouin-
ciæ oras deductum, cum ex Oriente rediens appulit.
Areas, seu Hieras, Olbiam scilicet antiquorum. Il-
leic cum morbo detentus fuisset, & à discedente Re-
ge commendatus, ea fuit apud viros primores aucto-
ritate, & gratia, vt contendentium de arcis, & ciui-
tatis dominio dissidia composuerit, ductaque dein-
ceps ex stirpe Sollerienti coniuge, fixam Areis statue-
rit sedē. Loco deinde cooptato in patrimonium Prin-
cipis, præfectus ipsi legitur anno sæculi illius septua-

B ij.



gesimo à Carolo primo Comite Prouinciæ, ac Rege
 Siciliæ, cui non minùs fuit, quàm Ludouico germa-
 no carus. Cœpit subinde ciuitatem, castrumque va-
 riè communire; sed absoluit opus Aycardus eius fi-
 lius, relicta ex nomine suo vni portarum nuncupatio-
 ne, quæ etiam - num vocabulo corrupto dicitur Caf-
 bria. Natus Hugoni præter Aycardum filius alius no-
 mine Paulus, qui fuit à Carolo secundo maior Massi-
 liæ Iudex creatus: itémque alius nomine Guillelmus,
 qui ex variis peregrinationibus redux, auctor fuit Xe-
 nodochij, in quo peregrini euntes, redeuntésque ex
 Palæstina curarentur. Sed, vt compendium faciam,
 successit deinceps nobilis progenies, armis, literis,
 pietate conspicua; cum subiecto ipsi per propagines,
 ætatésque varias dominio Regij, Spinosæ, Gramusæ,
 San-Juliani, San-Ianeti, San-Laurentij, Lauernæ, Ca-
 lasi, Petrisci, Valauesi, Riantij. Enimuerò taceri non
 debet abnepos Aycardi Antonius, ad quem, & ad
 Raymondum filium exstant, legunturque apud No-
 stradamum humanissimæ Renati Regis literæ, cum
 sese ante ducentos annos ad Neapolitanam expedi-
 tionem compararet. Fuerat Raymondus à puero vnà
 cum Renato in Ludouici secundi aula educatus; na-
 túsque est illi, præter Antonium, Amedeus, qui, quòd
 esset natu posterior, ideo familiæ insignibus, seu Leo-
 ni furuo in scuto aureo lemniscum coccineum adie-
 cit. Legitur is quoque Arearum præfectus, & Carolo
 tertio, cui Rex Franciæ breui successit, intimè notus.
 Ab hocce autem familia rursus in duos ramos diuisa
 est: siquidem ipsi fuere duo filij, alter Fulco, alter

Guillelmus; ambo & peritiâ armorum, & prudentiâ iuris instructi. Quippe, cum primùm in expeditione Pedemontana militassent, sese ab ipso reditu excolendo iuri totos addixerunt. Nam Guillelmus quidem natu minor, à magno auunculo Elziario Portanerio Brinonienfi, viro literato adoptatus, concessit iuris discendi causâ Aureliam, & Auaricum; ductâque vxore Aruernate, in ea regione pedem fixit, & gratitudinis ergò insignia Portaneriæ domus assumpsit; in scuto nempe cæruleo fasciâque, & rosas argenteas. Reliquit porrò præter Hugonem iurisperitum celebrem, filium alium nomine Ioannem, patrem Ioannis alterius, à quo procreatus Ioannes alius parens fuit Ioannis illius, qui iam Libellorum supplicum Magister, heroïnas habet germanas, tum Magdalenam Petro Seguierio, per-illustri Franciæ Cancellario; tum Mariam, viro generoso Philiberto Pompadorio Lemouicum Proregi nuptam. At Fulco, ex quo supremus Senatus vnâ cum nascente superiore sæculo Aquis-Sextiis creatus fuit, maxima cum laude causas perorauit, factûsque sapius Prouinciæ procuratoribus Assessor, destinatus non semel fuit ad Ludouicum duodecimum, itémque ad Franciscum primum. Is, Fulconis eruditione, & probitate perspecta, Senatorem esse mero nutu iussit, anno eiusdem sæculi supra trigesimum secundo; & cum Carolus Imperator immineret Prouinciæ, Annæo Mon-morantio Regiæ militiæ Præfecto consiliarium dedit. Memorabile porrò est, fuisse eum auctorem salutaris consilij, quo Mon-morantius regium Archium in

Baulcienſem tranſtulit arcem: ſic enim pretioſa illa tabularia euafere id, quod fuit à Sabauo deinceps Aquenſi Palatio illatum incendium. Quin-etiam cùm non poſſet vrbs Imperatoris copiis obſtare, ſecefſus auctor ciuibus fuit, & ne quid ex ea ſubſidij reſiduum fieret hoſtibus, ita ad peſſundandum cibaria, cæterâ-que hortari cœpit, vt primus & horrea in puteum, & vaſa vinaria, ac olearia in angiportum effuderit. Fulcone defuncto, admiſſus eſt Nicolaus filius in dignitatem Senatoriam anno ſæculi quadrageſimo quinto. Innotuit huius quoque virtus non modò Proregi Claudio Sabauo Tendæ Comiti; ſed ipſi etiâ Carolo IX. qui Senatu interdicto, miſſâque in locum illius ſummorum Iudicum decuriâ, conſcriptum decuriæ Nicolaum voluit, & Carolo ipſius fratri, poſtquàm per expeditionem Corſicanâ copias deduxit, ſeſeque ſtrenuiſſimè geſſit, conceſſit vltro dominium, & proprietatem Brigantij. Iam, vt accedamus ad Peireſkij patrem, reliquit Nicolaus duos filios, Claudium nempe, & Reginaldum. Fuit autem Claudius corpore puſillo, ac infirmo quidem; ſed animo tamen planè generoſo, atque vegeto; adeò vt ab anno vſque eius ſæculi ſeptuageſimo ſecundo, quo paterna, atque auita dignitate donatus eſt, magni in Senatu & tota Prouincia fuerit nominis, ac Henrico Engoliſmenſi magno Melitenſium Francorum Priori, Proregique eximiè carus. Reginaldus verò innutritus à puero apud Duciffam Ferrariæ Renatam Ludouici duodecimi filiam, cùm illa exigeret ſenium Montargirij dedit ſe deinceps iuri excolendo, allectûſque eſt ſub-

fidiorum, sacrique patrimonij comitibus, & rationalibus Magistris. Cùm incidissent autem illa heno-
tica factionis difficillima tempora, perstitit constans
vnà cum fratre, in fide Regi debita, & (quod Bernar-
dus Nogaretius Valletanus tum Prorex magni æsti-
mauit) Arcarum arcem, atque adeò totam illam
oram à Sabaudò desciscere, auctoritate sua curauit.
Porro cùm frater viueret cœlebs, duxit ipse in coniu-
gem Margaretam Bompariam, quæ ex paterna stirpe
equites, & præsidēs habuit; ex materna verò ad fa-
milias Valleuoriam, Forbinámque attinuit. Fando
verò accepimus fuisse illam forma adeò eleganti, &
composita, vt Catharina Medicea Regum mater,
cùm Aquis-Sextiis inuiseretur à nobilibus fœminis,
ipsam vnã delegerit, quam suo osculo dignaretur.
Is itaque fuit Reginaldus Fabrius, hæc Margareta
Bomparia, quos Peireskius noster parentes agnouit.
Quoniam verò editus est in lucem Belgenferij; ideo
sciendum hoc oppidum situm esse in perangusta, sed
peramœna tamen valle, quam Gapellus fluuiolus in-
terfluens etiam diuitem facit. Distat heinc Tolone,
heinc Areis eodem, quo illæ quoque vrbes inter se di-
stant interuallo; milliarium vt putà prouincialium
trium: & cùm vtrique ad Boream sit, vtrique etiam
aëris bonitate longè præcellit. Fecerat vicinia, vt ma-
iores illi Areis commorantes, tum aliquot prædia in
eo oppido quærerent, tum eò secedentes exciperen-
tur vetere castro, quod nunc temporis iacet dirutum:
scilicet nondum extructa domo præclaris hortis co-
hærente, in quam, vt canalis ex fluuio deriuari tutius,

& vberius posset, Claudius pontem, seu aquæ-ductum satis insignem interexstruxit. Natus est ergo in memorato Belgenferij castro Peireskius, cum parentes eò diuertissent ob pestem memorabilem, quæ
 1580. anno salutis millesimo quingentesimo octogesimo grassari tota quidem Prouincia, sed Aquis-Sextiis præsertim cœpit. Incidit autem natiuitas in diem Decembris anni eius primum, ac horam à meridie propemodùm septimam. Quod attingo solùm, ne videar circa temporis circunstantiam non fuisse satis diligens; non verò vt faciam hariolandi ansam coniectoribus, quò iam post viri obitum, certius quàm antè, fata retexant. Etenim mirum dictu est, quàm multa mentiti Astrologi fuerint, seu annos spectes, quibus non vixit; seu vxorem, & liberos, aliàque, quibus caruit; seu cætera multa, quæ est consequutus. Cùm parentes porrò aliquot iam annos absque liberis exegissent, eam ob causam quamprimùm mater, grauidam se esse persensit, destinauit proli lustralem sponsorem, non magnatem aliquem; sed, quæ fuit eius pietas, pauperem obuium primò futurum. Heinc qui pauper primus occurrit, accersitus est, fidemque, dum initiaretur, abluereturque pro eo spondens à nomine patruum Claudium appellauit. Verùm cùm patruus superuenisset, etiam aui nomen gerere illum voluit; vnde, quasi prænomine Nicolai imposito, dictus est Nicolaus Claudius. Quanquam non modò, cùm puer esset, Nicolaus ferè audiuit, sine adiuncto Claudij: sed etiam deinceps ætate prouectus, vt cùm est ab auctoribus Nicolaus Faber, seu Fabrius,

Fabius, seu Fábrius appellatus. Quo loco adnotari potest insignis eruditi viri Ioannis Seldeni æquiuocatio, dum citatum à Baronio Nicolaum Fabrum, qui Præceptor fuit Ludouici XIII. Regis Christianissimi, pro nostro accepit. Præfatus enim in Eadmeri Cantuariensis historiam, & quas Lant-Franci Epistolas Baronius tomo vndecimo Annalium habet, memorans, *Earum, ni fallor, inquit, se agnoscit ipse exemplar accepisse à clarissimo, & doctissimo viro Nicolao Fabro Petrisco Curia Aquensis Assessore dignissimo, atque amico mihi plurimum obseruando.* Et citat quidem Baronius Nicolaum Fabrum; sed *Parisensem* addit, non *Petriscium*, quod epitheton noster tulit ex montano oppido maternæ ditionis, lætinè Petrisco, & vulgò *Peiresc*, vnde celebre ipsi nomen; quod vt debite pronuncietur, nos *Peireskium* inflectimus: non, vt multi, *Perescium*, *Perezium*, aut simili alia ratione. Cæterùm vix erat bimestris, cùm ferunt anum maleficam ingressam in cubiculum, proiecisse coram matre securim, quam manu tenebat, aiebatque se reddere; atque ex eo tempore tum ademptam matri vocem, & ploratum infantulo; tum depressum vtrique caput in alterum humerum, ea rigiditate, vt flecti non posset. Addunt patrum, re cognita, vapulare anum iussisse, quæ & ipsa detorto collo sub camino inuenta est; ac illam, cùm primùm caput extulit, vt satis plagarum esse diceret, renunciaisse id, quod fuit, matrem, infantemque valere. Id factum non modò ex aliis, sed ab ipso etiam Peireskio accepit, memorante vt patruus enarrare solitus fuisset. Res planè mira, si vetu-

1580. la, cùm deflexerit ipsa caput, ea neruorũ contentio-
 ne cuibrare spiritus possit, vt distantis caput perinde
 deflectat, & pari vehementia, qua suam, alterius lin-
 guam cohibeat; neque seu caput relaxetur, seu lin-
 gua soluatur, donec rigorem ipsa remittens, disten-
 tas, sed insensileis veluti chordulas laxarit. Et solent
 quidem similia multa ad Cacodæmonas referri: ve-
 rùm, vtcumque optimus Deus innocenteis infantulos
 illorum malitiæ permittere possit; vtcumque ipsi ad
 ea officia, & ad obsequendum misellis quibusdam ani-
 culis se comparent: compertum est tamen magnam
 eorum partem, quæ commemorantur, fabulosam
 esse, aut non alio certè niti fundamento, quàm mi-
 nùs solitis quorundam morborum symptomatibus,
 quibus sunt infantes obnoxij; cùm etiã constet ista
 præsertim in infima plebe, ac in ipsis agris esse fami-
 liaria, vbi minima quæque ansa credulitatem parit, ac
 fouet. Sesqui-anno post, hoc est mense Iunio anni
 1582. supra millesimum quingentesimi octogesimi se-
 cundi, Kalendarij reformatione memorabilis, natus
 est illi frater, cui nomen Palamedes. Isest, qui dein-
 ceptus à clientelari fundo dictus est *Valauesius*, ex quo
 tempore Nicolaus quoque cæpit *Peireskius* nomina-
 ri. Scilicet ad exactam vsque adolescentiam nuncu-
 pati sunt nunc *Fabricij*, nunc *Calasij*, quæ fuit etiã
 patris, patrisque vulgaris nuncupatio ex oppidi Cala-
 si ditione. Natus Palamedes cùm est, aberat pater
 negotiorum causâ Gratianopoli: mater verò altero
 à partu mense interiit, annos nata viginti duos. Ac
 superinduxit quidem Reginaldus pater aliam coniu-

gem, sed quarto-decimo tandem anno. Ea fuit Catharina Vassalla Caradetea, illustri vtrimque progenie, vt cuius maiores ex paterna stirpe inter Achaiae Principes fuissent, ex materna vero attinuissent ad Fliscanos Genuenseis. Vidua tum erat (nupta prius Oliuario de Thulia, ex senatorio ordine) cū superstite filia nomine Marchisa, quæ Palamedi postmodum nupsit. Ex altero autem illo matrimonio suscepit Reginaldus cūm liberos alios, qui vel in pueritia, vel in adolescentia obierunt; tum superstitem etiamnum Susannam, quam Henricus Seguiranus rationalium magistrorum, & senatorum patrimonialium Præses primus vxorem duxit. Ad Nicolaum vt redeam, is haud iniuriâ Patrum semper, tanquam alterum parentem agnouit. Ille enim suæ dignitatis successorem eum destinans, speciale quoddam ingenue educationis studium assumpsit, ratus scilicet frustra esse, si quis nascatur foeliciter, nec liberaliter instituat. Tantò autè magis animatus fuit, vt eius curam gereret, quantò ab ipsis cunabulis gratiorem in corpore pulchro venientem virtutem conspexit. Quippe ablatatus vix fuit, cūm genium suum prodidit, nimirum se ad omnia visa, auditæque attentum præbens, ac solitus semper oris gratiâ suauitatæque vocis summa à nutrice, à parente, à patruo, à magistro, à quibuscumque poterat inquirere quid, quomodo, quorsum vnaquæque res foret. Sic cūm litteræ primùm monstrarentur, & libros, chartasque præ manibus habere gestiret; percontabatur frequenter ecquid argumenti contineretur in iis; & quoniam indignè ferebat, si

1582. aliquando responderetur, id superare ipsius captum, confingendum erat, quod illi cum voluptate recitaretur. Leuia hæc profectò, si ipsa spectentur; at non contemnenda tamen, si ad ætatem respexeris, & arbores etiam florentes, gemmantisque considerâris. Admirationi certè fuit viris ætate maioribus, qui & mihi illa narrârunt, & asseruerût, ipsum nihil vnquam,
1587. quod puerile foret, sapuisse. Septennis cum esset, & vnâ cum fratre institueretur Brinoniæ, vbi tum curia subsidiorum, rationûmque, ob pestem Aquis-Sextiis perseuerantem commorabatur, erudiri expetiit in San-Maximitano collegio, quod litterarum studiis efflorescere fama erat. Non tacendum verò quòd patri persuasit, vt fratrem sibi permitteret, tanquam inferiorem ætatem, & iuniora eius studia curaturo. Neque prætereundum, fuisse illum fratri ex hoc tempore præceptoris simul, & parentis loco; fratremque illum tanquam parentem, atque præceptorem reueritum fuisse. Anno elapso, ac iam peste San-Maximini suborta, euocati sunt Belgenferium, & rursus post annum Aquas-Sextias, vbi patruus tum versabatur. Inardescens postea à morte Henrici III. ciuilibus bellis, Auenionem missi sunt, vbi quinquennio integro in Collegio Patrum Societatis IESV studuerunt. Memorare autem Peireskius solebat debere se multum Antonio Colombatio, & Andreæ Valladerio, quos supremos habuerat litterarum humaniorum professores. Dicebat enim eos facilè solitos quidpiam ex aliis exercitationibus relaxare, vt dederet se maximè peruolutandis historicis, studio intereâ
- 1590.

poëtas & linguæ Græcæ non neglecto. Ij nempè 1590.
gaudebant non tam opus esse gressum illius regere,
quàm eminùs viam demonstrare; laudandi, quòd
nobile pectus ea seruitute non opprimerent, qua ple-
rique aut odium rerum bonarum contrahunt; aut hu-
milibus nimis assuefiunt. Referebat etiam quàm su-
blimes adderentur animi, cùm illi præterea palàm
commendarent, quòd totam Iustini historiam, to-
tàmque Ouidij Metamorphosin teneret ad vnguem;
nec faceret finem consulendis libris, ex quibus inno-
tescere singulares rerum circumstantiæ possent. Eam-
obrem certè auersabatur & ludos, & spectacula; vt
legendo, excerpéndoque singularia quæque incum-
beret totus. Immoderatiùs tamen, vt puto; relaxan-
dus enim animus per vices, nec statim à pastu con-
tendenda mens; quod cùm studiorum ipsius mode-
ratores non satis cauerent, effectum est, vt stoma-
cho, capitèque doluerit non semel. Exegerat iam
penè annum ætatis quintum-decimum, cùm Aquas-
Sextias rediit, illècque anno integro Philosophiæ 1595.
operam dedit. Voluit patruus, vt interea edoceret
arma tractare, equos regere, tripudiis membra exer-
cere. Verùm quia succidere gratiores quædam ho-
ras oportuit; ideò obsequutus est quidem; sed nisi
præsentibus illis, à quibus erudiebatur, retractare ni-
hil voluit; adeò quidpiam vel legere, vel scribere,
vel audire satius ducebat. Per ea tempora oblatum
fuit patri numisma aureum Arcadij, quod Belgen-
serij fuerat repertum. Id ipse illico poposcit, & cùm
circumscriptas literas legisset, Imperatoris que no-



1595. men adnotasset, ad patrum statim retulit, qui illi gratificaturus, & duo alia numismata, & libros etiam, quibus vberius erudiri posset, concessit. Atque ex hoc quidem tempore exarsit, seu ignis in siluis, curiosissima eius mens; auidè enim conquirere, atque congerere occæpit quotquot antiquos potuit nummos, singulis legendis, ac interpretandis acerrimo incumbens studio: qua occasione cæpit etiam inscriptiones omnes siue sepulchrales, siue alias perquirere, & studiosè obseruire. Destinatus est deinde cum fratre Turnonem, vt sub patribus Societatis IESV Philosophiæ curriculum, quod appellant, absolueret; fratre adhuc in studiis humanioribus consistente. Cùm verò studio Matheseos præsertim inardesceret, ardentè arripuit quam illic docebant Cosmographiam, certus historiam sine illa, ac sine Chronologia penitè obscuram, imperuiamque esse. Sic post vsum Spheræ, addidit etiam vsum Astrolabij, literis repetitis scribens, & exoptulans aduersus quendam artificem, qui in se pridem receperat Astrolabij fabricam, nec ipsi tamen operam satis diligentem nauarât. Nihil intereà remittebat neque ex studio rei antiquariæ, cuius causâ Petro Royero professorum vni fuit eximiè carus; neque vniuersè ex ipsis humanioribus studiis, quæ, vt à fratre excolerentur, tanquam magister attendebat. Sed ad ista nêpe vt sufficeret, studere solebat in plurimam noctem. Euenit proinde, vt partim ex natia constitutione, partim ex assiduo labore, prolixisque vigiliis debilitatè stomachi antè contractam adauxerit, puluerémque

ideo vsurpauerit, quem literis ad patrem datis appellauit digestiuum. Quia literarum incidit mentio, idcirco adnotari potest illum ex eo iam tempore scripsisse omnia accuratè, stylo videlicet tentato per repetitas schedulas, quæ & mihi incidere in manus, & fidem fecere non fuisse illi vnquam phrasim luxuriantem, aut immaturam. Dixit nimirum semper quod voluit communibus verbis; tametsi non sine delictu, nec sine ea gratia, & vrbantate, qua testando beneuolentiam, obseruantiam, gratitudinem; qua excusando, commendando, gratulando, cæteraque huiusmodi præstando mirificus fuit. Nam ad nouercam, exempli gratiâ, ob quædam donariola, Fœlices videmur, ô mater, quod beneficiis tuis cumulamur: sed infœlices tamen, quandò sic illis obruimur, vt agnoscendo impares simus. Talia porrò dum scriberet, reponebat intereà quæ munuscula poterat; nempè ab ea vsque ætate vinci benefaciendo nescius, nisi quâ prorsus impotens erat. Ita ad amicum coætaneum scribens, ingritudinémque iam rum detestatus, Mihi ipsi, inquit, intulero manus, si vel minimæ in officio negligentia coargui possim. Eodem spectat, quòd præceptorum sollicitudinem commendabat, vt à patre, ac patruo honoraria promissis longè vberiora consequerentur. De studijs vt iterum dicam, non tulit patruus, vt tricennium Philosophiæ impenderet: sed, exacto Turnone anno, reuocatum voluit Aquas-Sextias, vt destinatus Senatui Iurisprudentiæ initiaretur. Id etiam expetierat, cum ille adhuc Turnone foret; scribens scilicet, vt

1596.

1597.

1597.

maturè Rubricarum Enchiridiuni haberet præ manibus: verùm ipse, vt Iuris studium tantisper adhuc declinaret, hunc prætextum quæsierat, Volueras, patruè, vt operam arti oratoriæ sedulam nauarem: si per te liceat igitur, faciam, quoniam heic possum percommode, ac initiabor prudentiæ Iuris, cùm ex hac vrbe discessero: tu præscribe tamen quod factò sit opus; si perstes enim, nihil mihi fas, nisi vt iussà capeissam tua. Itaque domum euocatus, Iurisprudentiæ nomen dedit sub Francisco Fortio Andino, qui in Aquensi Curia aduocatus, & docendi iuris oppidò peritus, callebat præterea, si quis alius, elegantiores literas. Is Peireskij parentibus carus cœpit magnâ curâ Institutiones prælegere; ille verò tam occasione huiusmodi studij, quàm, ne cœptam eruditionem omninò intermitteret, texere suo Marte cœpit Imperatorum seriem, à quibus leges fuerant latæ. Texuit & seriem Consulium, magistratuùmque cæterorùm, conquisitis vndique numismatibus, vt & facie, & rebus gestis Latores legum agnosceret. Sic habere etiam curauit icones celebriorum Iurisconsultorum, vt cùm in illorum responsa, interpretationesque incideret, fieret memoria tenacior ex concepto cuiusque vultu. Erat tum porrò Aquis-Sextiis Petrus Antonius Rascafius Bagarius rei antiquariæ peritissimus: postea quippe Henricus Magnus, propter famæ celebritatem, illum accersuit, & cimeliarchio suo præfecit. Ipsi igitur succisuis horis Peireskius frequens aderat; vt sciscitaretur, edocereturque; ille verò sagacitatem, crudi-

eruditionemq; miratus, & coniunctam modestiã cum
 1597. discèdi ardore amicè complexus, celare nihil poterat;
 actum varia cimelia diebus variis demonstrabat, tum
 prolatis libris coniecturas suas, explicationesque ful-
 ciebat, tum singulareis Peireskij interpretationes &
 1598. admittere, & commendare non grauabatur. Anno
 superato, Auenionem rursus concessit, vbi priuatus
 illi doct̃or Petrus David natione Burgundus, qui
 fuit deinceps Semurij capitalis Profenscallus. Huic
 quoque præter peritiã Iuris suauiores Musæ propi-
 tiæ erant; vnde faciliè ferebat Peireskium interpone-
 re iuris studio rerum antiquarum peruestigationem.
 Ea de causa non infrequenter cum Bagarrio de re
 nummaria, & de rebus aliis selectis per literas egit.
 Perscripsit aliquando ad illum singularia quæque in
 Romei cuiusdam Arelatensis cimeliarchio observa-
 ta, misitque inter cætera obtentum pro eo cætypum
 ex eleganti iaspide Deianiræ per Nessum raptæ. In-
 terdum etiam recuperata egregia Neronis, Vitellii-
 que numismata misit ad patrum, exorauitque, vt
 ea exornari perinde curaret, ac exornatum Hercu-
 lem, Agrippinamque iam habebat. Rogauit quo-
 que, vt ad se anulum quemdam mitteret, com-
 mutandum, vt sperabat, cum Corneola, seu Ony-
 che quadam, quæ & præstantissimi, inquit, artificis
 est, & incomparabilis, sed apud possessorem incom-
 perti pretij. Memoro ista ex pluribus, vt quis ex illo
 iam tempore circa hæc fuerit, melius noscatur. Cæ-
 terum qui curiosam eius indolem quammaximè fo-
 uuit, Petrus Antonius Ghibertus Neapolitanus fuit,

D



1598. quo Auditore Cardinalis Aquauia sum utebatur. Is enim ipsi rara quædam, ac non prius visa monstrauit; & inter libros alios, etiam quosdam Huberti Goltzj, quos nondum habuerat, in plurimos dies commodatò dedit. Quin-ctiam mentem viuidam, sagacemque perspicens, hortatus est, vt in Italiam iter institueret, habiturus, Romæ præsertim, vnde explere animum posset. Agebat tum annum ætatis decimum octauum; cum de profectioe in Italiam cogitans, natandi artem addidicit. Ante id tempus solitus erat se per æstatem abluere in minore Rhodani aluco, qui est Barthalasiæ insulæ ad ortum, & in quem se Sorga fluuiolus exonerat. Deprehendit autem aliquando fundum, quod aliàs æquabile, & molliusculum obseruârat, induruisse in globulos, molculisve, qualia oua sunt, cortice detracto, vbi coctiora fuerint. Id demiratus & collegit, & detulit aliquot domum, vt præceptor ostenderet, & facti causam sciscitaretur. Miraculum verò adauctum, vbi post dies non ita multos, cum redisset ad fluuium, deprehendit molculas induruisse planè in flumatileis lapides, idémque etiam obseruauit contigisse iis, quas asseruabat repositas domi. Atque exinde quidem cœpit circa lapidum generationem philosophari; sed res dicenda posterius est. Tandem verò cum desiderio inuisendi Romam flagraret, veritustamen ne parentes id abnuerent, petiit dumtaxat Patauium mitti, vbi celeberrima iuris studia essent. Tacitè autem cogitabat proximè esse annum sæcularem, veniarúmve solemniū; ac se ipsius oc-

casione posse Patavio Romam adire. Incipiebat tum 1599.
 fluere annus superioris sæculi nonagesimus nonus,
 cum Cardinalis Ioyosæus discedens in Italiam, erat
 Ferrariam concessurus. Videlicet Clemens octauus
 ditionem caducam ex morte Alphonfi secundi Atte-
 stini recepturus, eò discesserat; eaque de causa Car-
 dinalis non Romam, sed illuc tendebat. Itaque Pei-
 reskius valdè exoptârat se in ipsius comitatum vnâ
 cum fratre dedere; at parentibus secus visum. Nam
 constituerunt quidem fauere laudato desiderio; sed
 censuere tamen expectandum autumnum, tum vt
 tempestas foret moderatior, adolescentisque potiùs
 hieme, quàm æstate succedente, alieno cœlo assuesce-
 rent; tum vt commodiùs de necessario apparatu pro-
 uideretur. Quærendus porrò primùm fuit, qui studia
 & mores eorum regeret; tametsi ea erat vtriusque, &
 ipsius Peireskij præsertim moderatio, atq; prudentia,
 vt videretur honori potiùs, quàm necessitati ductor
 designandus. Itaque delectus est ipsis Paulus Gudanes
 Fonuiuius, nobilis è Bearnia vir, qui ex Italia, Polonia,
 Germania, aliisque regionibus redux, multorum iam
 hominum mores, ciuitatésque nouerat, quémque
 Belleuræus Cancellarius in proximos annos filio de-
 stinârat. Discessère ergo cum illo sub Septembris ini-
 tium, prætulitque Peireskius soluere ex Cannensi por-
 tu, tum vt antiquum Monasterium in Lerone insu-
 la proximè situm inuiferet; tum vt priùs occurren-
 tia ad forum Iulij monumenta antiquitatis coràm lu-
 straret. Cum appulissent Genüam, ac spectassent
 abundè satis palatia illa magnifica, fuit quidem præ-

1599. tereà superandus mari Veneris, ac Ericis portus; sed voluit tamen Peireskiius terrâ deinceps contendere, tum quòd ex mari malè haberet, tum quòd lustrare curiosè veller, quæ animo conceperat. Videlicet itinerarium suo sibi Marte apparârat, statuerâtque non sic ex vrbe in urbem rectâ pergere, quin, si heinc inde aliqua notatu digna memorarentur, diuertere illuc prohibitu posset. Heinc sese nunquam in extraneorum comitatum sponte adhibuit, & vbi se alij ipsi adiunxerunt, urbana quadam excusatione seiunctionem breui faciendam præuenit. Parùm porrobuit, quin eæ digressiones, ipso statim initio, illi pessimè cesserint. Cùm enim ad fodinas Massæ inspiciendas desceâret, ductorem se vnus extorrium, quos Banditos vocant, sic præbuit, vt nisi maturè fuisset agnitus, deduxisset planè in carnificinam. Commoratus nonnihil Lucæ, spectare Pisis voluit in signe cimeliarchium: non potuit tamen, nisi postquam Liburnum inuisit, ac in eam urbem rediit. Memini verò, inter cætera, quæ ibi visa commemorabat, admiratum illum Corallij plantam, quæ humano cranio superereuerat: quod adnoto, quia hæc deinceps fuit illi non postrema caussa, vt adesset coram in expiscatione Corallij, de qua suo postea loco dicendum. Vt paucis loca alia perstringam, iter exinde fecit Florentiâ, Bononiâ, Ferrariâ, ac vbi fuit paucis diebus immoratus Venetiis, sedem Patauij denique fixit. Illeic paucos menseis vix fuit, cùm ipsius virtus apud vniuersam Academiam inclaruit. Quippe tametsi vnâ cum fratre professores iuris cir-

eumstaret frequens, ac nominatim Iacobum Gal-
 lum, Bartholomæum Siluaticum, Ioachimum Scai-
 num, Ottonellum Discalium: nihilominus alios
 etiam, quotquot aderant, eruditos viros & conuenit,
 & facile in admirationem traxit. Cæteros inter, Tho-
 mas Segetus, ille nempe, quem Lipsius centuriâ ter-
 tiâ Epistolarum commendatum iam fecerat, sic suam
 ipsi beneuolentiam, obseruantiamque significauit,
 vt inscriptum prius hoc voluerit, GENIO GALLIÆ
 NARBONENSIS, INGENIO, ET MATVRÆ, IM-
 MATVRO ÆVO, NICOLAI FABRICII VIRTU-
 TI SACRVM. PATAVII PRID. NATAL. CHRIS-
 TI, CIO. IO. IC. Vir autem eximius Erycius Putea-
 nus, non Lipsio modò collaudatus, ac postmodum
 datus successor; sed iam tum etiam destinatus, qui
 Mediolani ageret & Chronographum regium, &
 artis Oratoriæ interpretem primum, inscriptione ista
 præiuit, LARE SECRETO. CUI GRATIÆ ADO-
 LESCENTIAM ORNANT, ERVDITIO IUVEN-
 TAM, PRVDENTIA SENECTAM; IS ADVLE-
 SCENS VOLVPTATEM AMICIS CREAT, IUVEN-
 NIS HONOREM PATRIÆ, SENEX VTRVM-
 QUE SIBI. TV VERO, NICOLAE FABRICI,
 CVNCTA SIMVL AMICIS, PATRIÆ, TIBI, IN
 SPE ÆTATIS, ET FLOREM IUVENTÆ, ET
 FRVCTVM SENECTÆ PROFESSVS. PATAVII
 ∞. IO. C. KAL. FEBR. Atque hosce quidem re- 1600.
 fero è multis. Cùm verò in se omnium ora, oculos-
 que conuerteret; notissimus sanè, & carissimus po-
 tissimum fuit laudatissimo illi Ioanni Vincentio Pi-

1600. nello, qui origine Genuensis, & patria Neapolitanus, eam ciuitatem delegerat, in qua tranquillè æuum degens, totum se bonis artibus, literisque ingenii promouendis consecraret. Is videlicet Bibliothecam instructissimam apparârat, rerumque omnium exquisitarum promptuarium instruxerat; ac æui illius literatos omnes, quâ propè quâ procùl, si quid libris, aliisque rebus opus haberent, adiutabat. Callentissimus ipse rerum, & excitabat omnium studia, & fores suas colloquiis, consuetudinique eruditorum virorum tam aduenarum, quàm indigenarum apertas habebat. Testimonium illi dixerunt & Lipsius, & Scaliger, & Thuanus, & Casaubonus, & Pithœus, & quis non ex laudatis viris? Itaque, talis vir cùm esset, deperit statim Peireskij genium, tanquam sui simillimum, admiratúsque, & reueritus in adolescente est adultam iam, ac penè maturam virtutem, & eruditionem. Superfunt certè schedulæ variæ, quibus ad illum missitatis, testatus est summam familiaritatem; nunc variè consultans circa numismata, circa rerum gestarum loca, circa responsa danda Ursino, Velfero, & aliis: nunc gratias agens ob varias interpretationes rerum, locorumque apud auctores difficilium, ob communicatos libros, ectypos, apographa, alia: nunc vicissim mittens, si quando aut Roma, aut aliundè accepisset libros, cimelia, inscriptiones, literas; nunc inuitans ad cognoscendum, colloquendum, spectandum, ferendum iudicium, & id genus cætera, quæ recensere molestum foret; ne quidpiam dicam

de literis, quas ad quadraginta vsque, dum ille Venetiis, Florentiæ, aut Romæ abesset, perscripsit, omnibus familiarissimas, & singularis beneuolentiæ testificatione plenas. Commeabat autem Peireskius tertio quoque mense Venetias: tum vt necessariam pecuniam, iuxta nummarias tesseras, à nummulariis exigeret; tum vt viros doctos, litterarumque amantes, veluti Paulum Sarpium, Dominicum Molinum, & compluris alios conueniret; tum vt nihil, quod foret pretio, raritate in ea ciuitate commendabile, sineret inuisum. Quam quidem ad rem eximie fauebat egregius Christianissimi Regis nomine Orator Philippus Canaius Fraxineus; cum ipse quoque sibi interea pararet amicos, quorum auctoritate nihil fieret imperuium. Præcipuus in illis fuit Fridericus Contarenus Diui Marci procurator, qui, cum Musæum haberet instructissimum, illius tamen pretium non nouit, donec Peireskius demonstrauit quidnam, & quanti æstimandum vnumquodque cimeliorum foret, quid inscriptiones Græcæ tam numismatum, quàm marmorum significarent, & id genus similia, ex quibus singularem viri beneuolentiam est consequutus. Neque verò ipse modò, sed & totius etiam familiæ: ex quo intercessit illa cum Angelo Contareno viginti post annis agente in Gallia Reipublicæ Oratorem necessitudo; & cum Vincentio Contareno, qui sex annis post librum variarum lectionum edens, *E Gallia vsque*, inquit, *nobilissimus, & cum tu is, tum antiquitatis totius egregie peritus Nicolaus Fabricius me sibi peramicè monendum*

1600. *putavit*. Prætereo Ioannem Mocenicum, cui fuere oppidò quàm-rara; prætereo Bembum Equitem, cuius vniuersam penè rerum antiquarum supellectilem à Cardinali vsque Bembo deductam coëmit: prætereo Patriarcham Aquileiensem, in cuius cimeliarcho memorabat se obseruasse ad trecentos vsque Cameos perraros: prætereo & alios complureis. Refero solùm quod Putcanus, cùm Venetiis foret, ad Pinellum scripsit xi. Kal. Iunij càm Epistolâ, quæ edita est in Promulside octogesima secunda. *In ædibus*, inquit, *Scaramelli fui: Septumia monumentum vidi, cisi penè frustra: ita similiter omnia expressa, vt nesciam, me hercules, industriam, an memoriam Fabricij nostri, an utramque debeam admirari, qui tam sæliciter in summa festinatione ipse pinxit, aut sæliciter pingentis postea, ac reformantis manum direxit.* Exinde nempe colligitur, quàm solers foret, ac diligens in singulis obseruitandis. Cæterùm Venetias profectus sub finem Augusti, ardorem tandem explicuit, consiliùmque cepit concedendi exinde Romam, quòd tametsi Porta-Sancta aperienda, & Iobelæi celebritas inchoanda non esset, nisi sæculi, atque adeò anni sequentis initio: existimaret tamen, si quos illeic mensis præoccupando transigeret, haud malè collocatum iri. Nôrat aliunde fore, vt breui celebrarentur Florentiæ memoranda sponsalia inter Henricum Regem Christianissimum, & Mariam Mediceam nunc Reginam matrem: neque volebat committere, vt à se coràm non spectarentur. Itaque postquàm Patauium scripsit, ac specialiter ad
Pinel-

Pinellum, infcriptiones, aliáque mittens, & fimul rogans, vt literas ad familiares Romam daret; difceffit initio Septembris, lembo conducto Ferrariam, aut certè Francolinum vsque. Non peruenit autem Florentiam ante diem mensis vigefimum, quòd vbiicumque aliquid fpectatu dignum occurreret, quantum ad illud peruidendum opus foret, commoraretur. Conftitit verò, retardatusque Bononiæ potiffimum est, quòd Iulius Cæfar Velius, qui credebatur hauiffè totam antiquitatis notitiam, fuau illius congressu captus, detinere ipfum plusculum voluerit. Neque verò fe continere optimus fenex potuit, quin de fua felicitate in cognofcendo Fabricio, literas calidiffimas, mirifque elogijs pleniffimas daret. Calidiffimas certè eas dixit Pinellus, commendans aliunde, quòd Fabricius ex iis non effet, qui peregrinando nihil aliud; quàm curfitant, quibufque, iuxta Senecam, illud euenit, vt multa hofpita habeant, nullas amicitias. Accedens Florentiam, habuit aliquas à parentibus literas, ac, inter quasdam commendatitias, reperit fpecialis Caroli Lotharingij Ducis Guifij, & in Galloprovincia Proregis, ad Nicolaum Brulartum Sillerium, qui fuit deinceps Regni Cancellarius, quifque tum Regius Romæ Orator, cò venerat, ad fponfalium celebrationem: Quamobrem ille Peireskium, fratremque accitos in familiam voluit, vt fuis fub auspicijs omnia liberius contuerentur. Præter verò celebritatem, auidè imprimis fpectauit Bibliothecas illas infignis, in quibus agnouit, & penè dicam, adorauit tum magnorum Principum, tum virorum eruditorum, à

1600. quibus bonæ literæ restitui cœpère, vestigia. Nihil speciatim dico de Pandectis, quos, in Palatio magni Ducis religiosissimè licèt asseruatos, curauit tamen inspiciere; securus nullum antiquitatis monumentum illustrius in litterario orbe extare. Amicos quoque illic parauit; sed, quantum recordor, nullum constantiorem, quàm Richardum Richardi, studiosum plantarum, atque marmorum; qui ipsum quoquo-versum ad opera publica, hortosque deduxit. Mense transacto, Senas petiit, vbi salutare potissimum voluit Celsum Cittadinum, qui tunc habebat præ manibus tractatum de Origine, progressuque Latinæ, & Italicæ, seu vulgaris Linguae. Inde discedens, Romam tandem sub finem Octobris peruenit. Romæ porro dici non potest quàm citò fuerit notissimus; non modò, quia iam Pinelli, aliorumque literæ celebre nomen fecerant; sed maximè etiam, quia cum primùm viris in ea vrbe eruditis cœpit congregari, ingentem sui admirationem, atque amorem conciliauit. Prolixum foret recensere quos eximios viros coluerit, à quibus, ob lumen ingenij, & temperatissimos mores, magni habitus fuerit: sed, cum sileri omnes non possint, commemorandi imprimis sunt magni illi duo Cardinales, Baronius, atque Bellarminus. Ille nempe obstupescere, cum de infertis in Annaleis inscriptionibus, aliisque rebus ad historiam abstrusorem spectantibus, edisserentem coràm audiret. Ecquid putas verò, cum ostendit gemmas, numismataque varia, quibus Basilidiani, Valentiniani, aliique hæretici inscribere soliti erant vocabula barbara opinionibus

suis obtegendis? Collegerat nempe complura, ad illustrandum, quod ille in secundum tomum coniecisset ex Amethylo Fuluij Vrsini, circa vocem ABPAZAC, qua Basilidiani intellexere summum Deum, continentem Angelos septem, cœlorum septem præsidēs; ac præterea eorum trecentas sexaginta quinque virtutes, iuxta anni dies; idque ob septem literas, numeralēque earum valorem (iunctis scilicet numeris, pro ordine vnus cuiusque in alphabeto literæ) & id genus similia, quæ deinceps quoque ad Natalitium Benedictum literis exposuit. Bellarminus verò tum eadem, tum alia accipiens circa hæreses, veterēque historiam totam, hærebat quid magis probaret, an sagacitatem in peruestigando, an solertiam in cōniiciendo, an iudicium in eligendo, an memoriam in referendo, an lepōrem in explicando. Meritò autem lenissimis eius moribus capiebatur: nam, vt omittam cætera, confidentem in media plebe auditorem ferè habebat, quoties suos paræcos pro concione erudiret, familiaritèrque institueret. Dicendus deinde Iacobus Sirmondus, inter homines Societatis IESV iam tum etiam clarissimus: arctissimam enim cum illo amicitiam inuit, nihilque studiorum non commune habuit. Dicendus Lælius Paschalinus, cuius cimeliarchio spectabilius quicquam non fuit, quique illius eruditionem ita suspexit, ita amauit indolem, vt aliquando cogitaret, ac voluerit pretiosa quæque tradere, quæ ipse secum absporraret. Dicendus Fuluius ille Vrsinus, cuius nomine inter viros antiquariæ rei studiosos maius, celebriusque nullum est, quique ex perscriptis

1600. à Pinello interpretationibus, expetierat illum nosse perardenter. Dicendus Philippus Pigafetta, ad quem cum Pinellus initio non dedisset literas, mirum quanta commendatione obliuionem compensarit. Dicendus ille ipse Ghibertus, quem Auenione iam noverat, qui que ad spectandum res varias ipsi deducendo se comitem præbuit. Dicendus, qui etiam cum variè deduxit, Paulus Gualdus, eruditus Vicetinus, qui in Pinelli contubernio ipsum miratus Patauij, Romæ etiam obstupescerat. Dicendi Petrus Stephanonus, Dionysius Octavius Sada, & vniuersè quotquot fuerunt in vrbe eruditi viri, & bonarum artium, literarumque amantes. Sed & reticendus non est Arnaldus Cardinalis Ossatus, Regia negotia tum Romæ curans, vir eruditione, prudentia, integritate, suauitate morum eximiè conspicuus: qui consuetudine Peireskij exfatiari vix vnquam potuit, neque illum vnquam abs se, dum inuiseretur, non ægrè dimisit. Non reticendus Abbas Montanus, Archiepiscopi Arelatenfis patruus, qui virtutis illius potius, quam Nepotis commendatione, in perpetuum propemodum contubernium adscitum voluit. Iam neque dici facile potest, quàm vehementi studio vniuersa antiquitatis monumenta peruestigarit. Imprimis enim desiderauit situm Urbis cognoscere, & regiones, quas fuit complexa. Visit montium vestigiis, adeò depressos miratus est, quos putarat adeò sublimis. Obstupuit inter cæteros Palatinum summè desertum, quo nullus olim frequentior. Disquisiuit, si fortè posset intelligere, aut subodorari, quàm fuissent Pomerij fines tam à Regi-

bus, quàm ab Imperatoribus prolati; & cum ad portas, viasque omnes diligenter attenderet, explorauit tamen præsertim Aureliam, propter eius viæ reliquias, quæ in Prouincia adhuc supersunt. Deinde regiones, vicósque percurrens, agnoscere voluit, quantum licuit, quæ extitissent Prætorum templa, ædes, aræ, luci, sepulcra, asyla, scholæ, bibliothecæ, amphitheatra, theatra, circi, hippodromi, naumachiæ, campi, odæa, fora, emporia, horrea, armamentaria, balnea, thermæ, aquæ, pontes, colossi, obelisci, columnæ, statuæ, & innumera alia, quæ inter legendum auctores adnotauerat, & in commentarios relata circumgestabat. Vix autem vnquam exsatiari contemplando poterat, cum obseruaret quidpiam adhuc siue integrum, siue mutilatum superstes. Sic dies benè multos posuit circa Pantheon, rarum architecturæ exemplar, considerando, conferendóque quicquid Ludouicus Demontiosius fuerat de illo ratiocinatus. Sic, quia nôrat asseruari in Vaticano Palatio tum Herculem truncum, tum Laocoontem cum duobus filiis, opera exquisitissima, & Michaëli Angelo miracula habitatis; idcirco illis inspiciendis non vna vice adstitit, vt nec semel etiam inuisit geminas illas Alexandri, & Bucephali statuas, quæ exstant adhuc Phidiæ, & Praxitelis monumenta. Sic aliquoties ad inuisendum C. Sestij Epulonis in via Ostiensi sepulcrum itauit, ob vetustissimas illius, nobilissimásque reliquias. Sic variè spectauit obeliscos varios, sed nullum frequentius, quàm Constantinianum, ob cuius effossionem, translationem, erectionemque laudare satis non poterat

1600. generosum Sixti V. Pontificis institutum. Sic & columnas; sed maximè Traianam, atque Antoninianam. Illam quidem, vt Pinello satisfaceret, cui factum satis non fuerat volumine toto de ea (seu de historia vtriusque belli Dacici, à Traiano gesti, prout Alphonsus Ciaconus illam ex columna eruerat) conscripto: vnde & exoptauerat tum exemplum libri à Peireskio quàm perfectissimum conquiri; tum depictas in eo figuras personarum, armorum, gestuum, cum insculptis, secundùm totam cochlidem, per ipsum conferri. Hanc verò, hoc est Antoninianam, vt per diligentem exprimi curaret effusionem illam Iouis Pluij Romanorum exercitum irrorantis, & hostium copias fulmine ferientis. Eiusmodi certè Iconismum cùm Scaligero postmodùm offerret, ad illustrandum quod Eusebius de prælio commissò inter Antoninum, & Germanos, ac Sarmatas, contulit in annum Olympiadis c. xxx. viii. primum, Hæc, inquit, vnà est ex rebus maximè notatu, & spectatu dignis, quas mihi quidem inter omnia antiquitatis monumenta contigit Romæ obseruare. Nec verò harum modò rerum delineationes habere voluit; sed rariorem etiam quarumuis statuarum, quas disquisiuit in Capitolio, in Vaticano, in Farnesianis, in Cæsianis, in cæteris ædibus; itémque in hortis, ac vineis, & vt breue faciam, in quibuslibet priuatis, publicisque locis; pictores deducens, qui non modò statuas, intemerataque alia opera; sed truncos etiam, & ruinas ædificiorum veterum, quæ occurrerent, adumbrarent. Deferre quoque solitus erat selecta

quædam numismata, quæ conferret cum statuis, ex- 1600.
plorans cuiusque ætatem, & agnoscens plerumque
manum: cum cæ foret solertiâ, vt momento discer-
neret quid re verâ, quidque ex sola imitatione foret
antiquum. Sic inscriptionum etiam omnium, quæ
saperent antiquitatem, habere voluit apographa,
tentans pro sua sagacitate ex fâs supplere, ac penè
desperatas restituere. Rursus Codices MSS. seu Va-
ticanos, seu Farnesianos, seu alios, non quantum qui-
dem libuit, sed quantum tamen licuit, euoluit; &
quotquot inter cæteros maximè rari visi sunt, adno-
tauit in tabulis. Sic adnotauit etiam vasa, pondera,
mensuras, cælaturas, numismata, simulacra, imagi-
nes, & quicquid demùm notatu dignum occurrit in
Metallotheçis, iconotheçis, in Promptuariis, Mu-
sæis, Xystis, Pergulisque variis; vt præteream innum-
mera, quæ vel pretio quæsiuit, vel commutauit, vel
dono habuit, quorùmque saltem ectypos, ecmag-
mata, aposphragismata, aut iconismos obtinuit.
Vnum doluit, se nec habere, nec videre vsquàm po-
tuisse memorata Goltzio Tulli Hostilij, ac Seruij
Tullij numismata; vt neque alia memorata cum his-
ce inscriptionibus, Col. Aquæ-Sextiæ. Col. Arelate.
Col. Auenio. Col. Arausio Secundanorum, & simi-
lia, quæ amore patriæ ardentissimè, sed frustra tamen
requisiuit. Ex hisce porrò ingentem sui admiratio-
nem excitauit, non modò Romæ, vbi illius amicit-
iam eruditi omnes ambierunt, sed in dissitis etiam
locis, quocumque eius fama peruénit. Ex hoc nimi-
rùm tempore cæpit, quæ fuit illi necessitudo cum

1600. Natalitio Benedicto, rebus exquisitis instructissimo, ac Fullinij tum commorante; quæque cum Adolpho Occone Augustano medico, tunc iteratò edente volumen de numismatis Imperatorum Romanorum: ut illos taceam, quos iam nôrat, Hieronymum Rubicum Rauennæ, Cæsarem Nichezolan Veronæ, Antonium Tolentinum Cremonæ, Cæsarem Campanum Vicentiæ, aliisque locis non paucos. Mirum autem quantum Patauij præsertim inclaruerit, adstantibus literis ad ipsum per id tempus datis à Laurentio Pignorio; qui ipse rerum prisicarum adeò peritus, professus est tamen se amplius ex vnis eius literis, quàm ex decem Antiquariorum voluminibus erudiri: quique suspexit non modò copiam conquistarum ab ipso rerum, sed delectum etiam insignem, cum ex missis duobus quibusdam Constantini numismatibus, agnoscere se, ut ex vngue leonem, dixit. Consimilia scripta ab Edmundo Brutio, Georgio Ragulæo, Iacobo Papifauio, Martino Sandello, & quem nominare primum debui, Hieronymo Alandro iuniore, vero Musarum delicio; itémque M. Cornaro optimo vrbis Præsule, quicum deinceps per litteras, donec fuit in viuis, amicitiam coluit. Sed quantum quidem fieret Patauij vel id indicat, quòd misso Augustâ Vindelicorum ectypo Sapphiri cuiusdam, inscriptionem præferentis, in qua *Xiphie* vox omnibus curiosis faciebat negotium; Pinellus ad eum scripserit, examénque, & iudicium ea de re ipsi detulerit. Prætermitto autem, ut fecerit satis, vocique lucem attulerit ex S. *Antiquitate* potissimum, cum

ex

ex Polybio loquutus est de venatione *Xiphie*, mon- 1600.
 stri videlicet marini. Quod ad statum Romæ recen-
 tioris spectat, nullum fuit Templum, Sacellum, Col-
 legium, Xenodochium, quod ingressus non fuerit:
 nullum Palatium magnificum, nullum celebre Pon-
 tificum opus, ad quod non diuerterit: nulla Raphaë-
 lis Urbini, Michaëlis Angeli, Polydori Carauagij, Ti-
 tiani, aut alterius artificis insignis pictura, quam
 non inspectârît. Sic cæmeteria, cryptâsque illas sub-
 terraneas, plena venerationis loca, & Christianæ
 pietatis, constantiæque monumenta. Sic Religiosis
 cæremoniis, quantum sine discrimine posse putauit,
 interfuit. Quippe quòd complexione foret non
 robusta magnoperè, coniicere sese in turbam tumult-
 us plenam detrectabat. Heinc quod ad statas, so-
 lemneisque Iobelæi attinuit, spectauit quidem, ob-
 seruauitque ex ipsis quantum potuit; cæterum au-
 tem Valauesio fratri, tanquam valentiori demanda-
 uit curam spectandi omnia cominùs, & ad sese re-
 ferendi. Idem præstitum circa cæremonias, quas vo- 1601.
 cant cænæ Domini: quod circiter tempus tam ipse,
 quàm frater, vt Pontificem iis pauperibus, quos die-
 tum pascit, ministrantem, simulque in eadem aula
 discumbentem contuerentur, vices redemère duo-
 rum pauperum, vestibûsque eorum assumptis, adfuê-
 re inter cæteros, & agniti licèt à Pontifice, ipso ta-
 men rem placidè dissimulante, omnia spectârunt.
 Paschalibus Romæ exactis, & postquàm varia mu-
 nera domo accepta distribuit, nonnullaque etiam ad
 Pinellum misit, profectus est Neapolim. Superfluum



1601. foret recensere quantum, quotiesque diuernerit, vt
 requireret varia, quæ apud auctores celebrata sunt
 tam Latij, quàm Campaniæ loca. Affectum se verò
 præsertim dicebat, cùm memorata Virgilio coràm
 haberet, lustraretque, vt Caietam, vt Cumas, ea-
 rumque reliquias: vt Misenum montem, & Auc-
 num Lacum, & similia. Cùm item loca, in quibus
 exstitisse dicerentur villæ Ciceronis, & Luculli; aut
 sepulti fuisse Scipio Africanus, & Virgilius: atque id
 genus cætera, ad magnos viros attinentia. Addebat
 se, cum crypten illam, seu, vt appellat Seneca, car-
 cerem longum, & obscurum, Pausilippum scilicet
 montem per passus mille perforatum, cundo, re-
 deundoque spectaret, doluisse, quòd ignoraretur,
 certusve non esset, qui tam præclarum facinus, tanto
 viatorum compendio, commodoque attentauisset.
 Digniore enim commendatione arbitrabatur esse,
 quàm Xerxen, cùm Græciæ bellum inferens, Athon
 montem non à continente modò præscidit, sed me-
 dium etiam perforauit. Neapolim quam-primùm
 accessit, tenere se non potuit, quin Portæos illos fra-
 tres conueniret. Cùm inductus autem fuisset ad na-
 tu maiorem, cui nomen Ioannes Vincentius, is bre-
 ui colloquio sic affectus fuit, vt ipsum exclamabun-
 dus ad Ioannem Baptistam natu minorem deduxe-
 rit, quò & ipse in similem admirationem raperetur.
 Enarrare autem solebat Peireskii, licet ipse quoque
 Ioannes Baptista foret iam grandæuus; adpersis que
 canis venerabilis; ipsum nihilominus eâ reuerentiâ
 obseruare solitum iussa, nutusque Ioannis Vincen-

tij, vt maiore non potuiffet ora, atque imperium patris. Cæterum, vt cum ipsis vltro communicauit plurima, ita viciffim ab iis accepit; neque fpectauit modò quæcunque afferuabant in Mufæis, pretiofifque armariis; fed etiam omnigenis penè illorum experimentis, prout fibi in votis effe infinuauit, interfuit. Heinc nata ipfi cum vtroque eximia familiaritas, & quæ eft deinceps mutuis literis, officiifque variis culta amicitia. Inuifit prætereà Mufæum Ferrantis Imperati, ipfum quoque raris naturæ operibus instructiffimum; itémque Adriani Guillelmi, Martis Gurguftiolæ, & Matthei Cappuani Conchanorum Principis; tametsi ad hunc extra ciuitatem djuertendum fuit. Monumenta infuper omnia antiquitatis perueftigauit, ac præ cæteris delineatas voluit nescio quas columnas operis Corinthiaci, Apollinémque ad Tripodem, & fimiles quafdam figuras. Ad hæc rogauit, didicitque quicquid licuit cognofcere de familiis Neapolitanis translatis in Prouinciam, & de Prouincialibus translatis in eam regionem. Cùm verò noffet effe in templo Diuæ Claræ nuncupato fepulcra complura Regum, Principumque ex Regia ftirpe ad Carolum primum (quem diximus fuiſſe S. Ludouici fratrem) attinentium: idcirco ad illa maximè attendit, præcipua adumbravit, Epitaphia exſcripfit. Quinetiam follicitus fuit in exquirendo fepulcro Simonis Portij Philoſophi celeberrimi, non ita pridem vitæ defuncti: fed enim curam explorandi, fi quæ fortè inueniretur, & maximè quidem cum Epigraphe, Pinellus ipfi commendarat.

1601. Viuebat tum Neapoli femina quædam sanctitate, institutôque vitę illustis. Ea Romam accita à tempore vsque Gregorij tertij-decimi, & ab optimo Bellarmino examinata, probatâque, dicebatur rapi in eam extasin, statim ab assumpto Eucharistico Sacramento, vt, quemadmodum genuflexo erat, ita immota, rigidâque, stipitis instar, consisteret, oculis apertis nihil conspiceret, toto corpore nihil planè sentiret. Itaque noluit Peireskius ex ea vrbe discedere, quin rem factu mirabilem vidisset, atque explorâisset. Ac obtinere illud quidem absque contentione non potuit; sed, vt imperuium ipsi nihil erat, peruicit tandem, ac præter fratrem, deduxit quoque Ioannem Porcelletum Mallianeum, qui fuit deinceps Præful Tullensis. Vidit ergo, explorauitque, & commemorando mirari solebat, si posset quidpiam simile humanitûs contingere; neque facile credebat Cardano referenti sibi quid tale euenire solitum, quoties animo collibuisse. Postquàm urbem satis iustrauit, illiûsque elegantiam, amœnitatémque admiratus est, nihil habuit potiùs in votis, quàm adire Vesuuium, contemplarique locum, in quo magnus Plinius diem obiisset. Ea re peracta, insigni quodam flagrauit desiderio inuisendi Siciliam, & pergendi Meliten vsque, Tria autem erant, præ ceteris, quæ auebat coràm spectare, Fretum Scyllæum, Æthnę incendium, Antiquitates Syracusanæ: restitit tamen Fonuiuius, neque ipse, illo inuito, progredi vsquam voluit. Quare satis fuit totam eam regionem circùm peragrarè, & ad loca

etiam aliqua redire, vt Puteolos, & Baias versus, quò possit oculatiùs duo quædam ædificia subterranea inspicere, quæ Piscina mirabilis, & Labyrinthus appellantur. An adiiciam verò, cum litus prope Puteolos consideraret, pulueremque requireret aqua marina lapidescentem, detectum ipsi præterea fuisse inter arenas quendam plumbeum, quo cælarum, ac præsertim Onychinæ conseruarentur. Quòd autem in eo littore numismata ferè exesa deprehenderentur, opinatus est causam esse sulphur, quod tametsi insensile, in iis tamen oris vbiq; interuenit, accedente aliundè ex mari salugineo halitu, cum arrodendi facultate. Altero post mense repetiit Romam, idque vt amicis vale diceret, collatis variis munusculis, ac aliquibus etiam aliò missis. Constituerat nempe redire Patavium ante Solstitium, magnòsque ætus; vnde & paucos intra dies non sine relicto sui desiderio ex vrbe discessit. Instituit autem iter Perusiâ, tum Academiæ gratiâ, tum spectandi lacus Thrasumeni causâ. Deflexit inde Eugubium, occasione inuentæ illic non ita pridem Tabulæ æneæ lingua veteri Hetrusca perscriptæ. Salutato postea ad Assisium D. Francisci monumento, inuisit Fullinij Natalitium Benedictum, abs quo expectatus ardentissimè fuerat. Spectauit exinde ad Montem Falconem, inter D. Clare reliquias, treis insignis globulos in cistula fellica inuentos, quorum duo, vel tres, non ampliùs, quàm vnus, ponderosi deprehenduntur. Tum votis ad celebre Fanum D. Mariæ Lauretanæ ritè per-

1601. solutis , adiit Anconam , indécque Vrbinum , ad
 obrinendum licentiam peruolutandi Bibliothecam
 Ducis. Digressus Pisaurum , atque Ariminum , ac-
 cessit Rauennam , vbi Hieronymus Rubeus clarus
 ille Medicus , patriæque scrutator , complecti illum
 expetebat , demonstrarèque in ipsa sede Exarchatus
 nescio quas reliquias Barbariei Gotthicæ , & orna-
 menta Imperatorum , contemporaneorumque Re-
 gum , cum his nominibus ; ATHALARICVS
 RIX , WITIGES RIX , THEODVISATVS,
 & id genus alia ; simulque ostendere ornamenta
 quædam Gallæ Placidie , in nescio quo templo,
 quæ Velius non esse antiqua censuerat: denique ipsi
 sua manu exemplum Historiæ Rauennatis dare. Per-
 uenit exinde Venetias , vbi amicis , magna illorum
 cum voluptate salutatis , cognoscere non obiter
 voluit Antonium Posseuinum , ex Societate IESV,
 virum optimum , ad quem cum expetiisset com-
 mendatitias literas , *Exquid quæris proxenitam* , re-
 scripserat ad illum Sirmondus , *cum ad quoscunque
 veneris , ad eò ex teipso innotescere , amabilisque euadere
 possis ?* Postremò non multos post dies , hoc est ,
 medio circiter Iunio , accessit Patauium , vbi tantâ
 est exceptus lætitiâ , vt videretur quasi quispiam
 Deus studiosorum eò aduentasse. Maximè verò re-
 ditu suo recreauit optimum Pinellum , qui diutur-
 nis , sed lentis morbis iam ingrauescentibus , pro-
 pendere se in mortem sentiebat. Dies non sufficie-
 bant audiendo , quæ competerat ; neque inspicien-
 do , quæ attulerat , neque cognoscendo , quæ visa

obscura interpretabatur. Dicam-ne, cum inter 1601.
eos viros, quos cognouerat, fœlicitati verteret,
quòd amicos sibi Baronium, ac Bellarminum pa-
rauisset, prouocatum fuisse optimum Pinellum, vt
quidnam sibi circa illos contigisset, exponeret?
Cùm, inquit, summus Pontifex ante annos treis
venisset Ferrariam, dignati sunt illi me inuisere; sed
tacitis nominibus, habituque dissimulato, ad eò vt
se Presbyteros simpliciter asseuerarent. Ipse ex co-
rum iconibus, qui viri essent, statim agnoui: sed
fingens tamen me ignorare, in eam Musæi partem
deduxi, in qua virorum illustrium, ac ipsorum spe-
cialiter, imagines erant conspicuæ. Ostensa autem
Baronio Bellarmini effigie, Num hæc imago, in-
quam, ô bone, socium istum tuum repræscentat
eximiè? & ostensa Bellarmino quæ Baronij aderat;
Num hæc quoque, inquam, socium istum tuum
exquisitè refert? Ac tum illi delusos se, cum delu-
derent, agnoscentes in amplexus prolapsi sunt. Por-
rò quia Peireskijus præsentiebat se post annum re-
uocatum iri in patriam; idcirco se ad intermissa Iu-
ris studia composuit: tempore sic dispensato, vt ad
alia præterea innumera sufficeret. Siquidem præter
varia, de quibus paullò post dicetur, in literatos
officia, profecit continuò in notitia abstrusioris hi-
storix, altiorisque antiquitatis. Specimen autem in-
signe dedit, cum subortâ inter curiosos de monte
Argæo controuersia, edisseruît ex Iaspide, variis-
que numismatibus Cæsareæ, alibique cufis, origi-
nem, ritusque varios, quibus ille mons fuit olim

1601. in Cappadocia adoratus. Linguas præterea semper excoluit, quas credidit vsui futuras. Nam ex Hebraïca quidem, & ex utroque caractere, tam vulgari nempe, quàm Samaritano; ex Syriaca item dialecto, idiomatèque Arabico, tantum ferè delibauit, quantum ad siclorum, similitumque numismatum interpretationem necessarium duxit; vsus magisterio Iudæi cuiusdam commorantis Patauij, cui nomen Rabbi Salomon fuit. Ad Græcam linguam quod adinet, studiosiorem illi operam impendit, tum propter varias constitutiones Imperatorum Græcorum, ipsamque Iuris originem, quæ ad Græcos fonteis refertur; tum propter Philosophiam, seu studium Sapientiæ, proptèrque Poëseos, ac Historiæ, quæ in ea lingua supersunt, antiquissima monumenta; tum propter explicationem gemmarum, numismatum, marmorum, quorum sunt Græcæ inscriptiones, quibusque illustrandis pulchrum semper duxit, suauißimùmque habuit seriam operam collocare. Heinc cum ad aliquem scriberet Græcarum literarum amantem, exempli causa ad Occonem, qui suas semper Epistolas sententiis Græcis interferebat, solitus erat ipse quoque eruditionem suam testari, nunc versum Græcum præmittendo, nunc quidpiam carmine, aut prosa appositè interpolando: vt ad memoratum Adolphum Occonem, *Fortunate Senex, Te Diua illius antiquæ, & veneranda Μητροπολιτις filia, non iam Αδελφον, sed Αδελφον duplici nomine Germanum dicent.* Nec verò humaniorum modò literarum studiosus fuit, sed multum
etiam

etiam inuigilauit Mathematicis artibus, carus ex eo tempore Galileo Galilei, quem & apud Pinellum primùm nouit, & ex inuenta hauriendis aquis tum urbem infestantibus machina, admodùm suspexit. Incubuit quoque plurimùm in peruestigandis causis rerum naturæ admirabiliũ. Quippe, & varios variè rogauit de illis Parheliis, siue tribus solibus, ac triplici Iride uisis, die Februarij septima, hora circiter vigesima prima. Et de piscibus, aliisque rebus saxificatis philosophaturus, tum variam copiam impetrauit, inque angulo Musæi disposuit; tum ichnographiam eius montis, qui apud Vicetimos iis abundat rebus, obtinuit. Et quicquid fuit cuiquam perspectum circa fossilia, mineralia, rem metallicam, sua seu remuneratione, seu comitate concessum tulit; maximè autem Venetiis; ubi aliunde, cum multa præclara in armamentario se obseruasse diceret, referebat tamen nihil sibi fuisse ad spectu iucundius formatione aluminis in octahedricam figuram. Et frequens adiit rariores hortos, perscrutaturus varietatem, uirèisque tam indigenarum, quàm exoticarum plantarum; ac destinans quasdam in Prouinciam, quasdamque vicissim ex Prouincia, nunc in Pinelli, nunc in aliorum uiridaria transferri curans. Et interesse solitus fuit non publicis modò Anatomicorum dissectionibus, sed priuatis etiam Hieronymi Fabricij ab Aquapendente, qui illum propter singularem beneuolentiam admisit, cum specialiter ex ouis gallinæ incubanti suppositis, singula in dies singulos subduceret, ut

1601. ab ipso usque incubationis initio obseruaret seriem formationis pulli. Atque hæc quidem de studiis. Sequitur, vt iam insinuemus, quemadmodum illum ex hoc tempore viri studiosi, eruditique arripere agnouerint gubernaculum literarum. Dictum est iam, cum Roma rediit, cœpisse optimum Pinellum solito grauius laborare, inque obitum vergere. Is itaque non multò post, quippe sub Augusti initium, è mortalium vita excessit, propè septuagenarius: magno profectò dolore omnium bonorum, eruditorumque; sed Peireskij potissimum, qui illum, tanquam alterum parentem habebat, ac venerabatur. Cæterùm cum ille sui desiderium, quò patebat orbis literarum reliquisset, consolationi tamen fuit, quòd videretur Peireskio quasi lampada tradidisse. Ipse nimirum ad eius mores ita se composuerat: ita studio rerum nobilium, exemplòque benefaciendi, ac promouendi bonas artes animatus euaserat, vt virtutis heroicæ destinatus hæres iure censeretur. Huiusce rei congerenda aliquot testimonia sunt, quæ pleniorẽ concilient fidem. Imprimis verò citandus occurrit Paulus ille Gualdus, qui Pinelli vitam conscripsit, cuiusque mentio facta iam est. Is postquam viri mortem defleuit, dixitque naturam parcè proferre eiusmodi viros, ac Methonis fortasse annum transigendum iis, qui alterum Pinellum expectent; talem scilicet, cuius studium humaniora studia restituat in pristinum splendorem, cuius opes in nobileis libros colligendos impendantur, cuius dignitas doctis viris patrociniò sit; tum

demum subdit, *Ætas sanè nostra, si quem feret eius-* 1601.
modi, is, ita me Deus amet, non alius erit à NICO-
LAO FABRICIO Gallo, domo Aquis-Sextiis, cla-
rissimo adolescente, qui Roma, & Patavij, vix-dum
plenam pubertatem egressus, eo ardore Pinellum, & Pi-
nelli studia est complexus, ut omnibus nobis, & doctis vi-
ris, quotquot his capiuntur lueris, miraculo sit. Egre-
gium sanè vaticinium: sed en etiam votum Erycij
Puteani, iam tum Mediolani, ut supra est dictum,
Eloquentiæ, & Chronologiæ professoris. Is scribens
ad Peireskium, O vulnus, inquit, quod Pinelli mor-
te acceptum est! Abiit æternus ille vir, ipse nominis, &
fama securus: sed nos in desiderio, & dolore reliquit,
Musas in squalore. Quis succrescet, & dolorem nobis de-
met, Musis squalorem? Non doctrina, sed opibus quo-
que opus. Quis? fallor? an tu ipse hùc vocare, ut sis
quod Pinellus fuit? Voueo, vouco, & saluere te iubeo,
Iuueniutus spes. Quo loco fortassis non ingratum
erit, si Peireskij responzionem adtexuero. Sic igitur
ille rescripsit. Peruellis animum meum dolore, dum mihi
incomparabilis viri morte vulnus inslictum refricas. Me-
ritò tu quidem funebreis, ac luctuosas voces ingeminas;
meritò vicem nostram deploras, meritò omnis ad lugen-
dum inuitans exclamas, Quis nobis dolorem demet, Mu-
sis squalorem? Sed in fine risum excitas, dum, quasi va-
ticinari velles, subiungis me, quod Pinellus fuit, futu-
rum; idque, tanquam fieri posset, seriò voues. Quod per-
inde est, ac si ingenti succisa pinu voueres, ut humilis ali-
qua myrica robur illius, ac proceritatem æquaret. Verùm
amor erga nre tuus hoc tibi, quiduis aliud meditantis, vo-

1601. *tum extorsit, cuius, ut reor, nunquam te damnatum iri, aut reum fore sperasti. Quod si ego tibi idipsum vouens, vatis illud accinam, Tu nunc eris alter ab illo, qui te penitus nôrunt, sat scio, me vatem affirmabunt haud vanum; tua namque hoc opus opis non mea.* Argutè sanè, & eleganter; tametsi id dissimulauit, quod verissimè à Puteano dictum, ad subeundum id muneris, *opibus quoque opus esse.* Fuère & aliæ perelegantes vtrimque literæ conscriptæ, extátque speciatim vna edita in secundis Ferculis, seu centuria Epistolarum Puteani secunda, qua sub initium sequentis anni, qui fuit supra millesimum, sexcentessimúmque secundus, ille gratiosè conquestus est se Deorum genus nominatum. Fuère, inquam, aliæ literæ conscriptæ: sed ad rem facienteis excerpfi, ex quibus abundè intelligitur quàm appositè Ianus Gruterus in præfatione magni illius Inscriptionum voluminis ita coniunctim nominârit, commendauerstque Erycium Puteanum, & Nicolaum Fabricium, vt iuuenes esse præ cæteris dixerit,

— *Sacros qui sollicitare fluores*

Aonidum, totámque solent haurire Aganippen.

Verfabatur porrò sub prælo ingens illud opus, cùm Pinellus concessit fati: Peireskiius autem suppeditauit, quæ in illud infererentur, non modò ex iis, quæ inter Pinelliana cimelia, sed etiam ex iis, quæ Romæ, quæ Venetiis, quæ aliis in locis obseruârat, descripserátque, vt docet illud toties subiectum inscriptionibus, *Ex Nicolai Fabricij schedis.* Venio iam ad Marcum Velsærum, cuius interuentu Gruterus

schedas illas obtinuit. Ille Pinello propè par, & 1602.
 singularis amicus, florebat Augustæ Vindellicorum
 Duumvir. Me tacente, scripta illius, omnésque viri
 eruditi, opem ipsius munificam, paratissimamque
 experti, quantus vir fuerit, satis loquuntur. Velfe-
 rus ergo, literis ad Peireskium datis, testatus est
 tanti se facere ipsum, eiusque amicitiam, vt nihil
 sibi fuerit ex tota Pinelli hæreditate expetibilius.
 Quin etiam ipse quoque illum non modò virtutum.
 Pinelli hæredem agnoscens, sed futurum quoque
 suarum successorem coniiciens, diligere cœpit, tan-
 quam filium, & literarum frequentiam, quoad vixit,
 non destitit testatum facere affectum. Hoc vno ipsi
 durus fuit, quòd sui effigiem constantissimè dene-
 gavit, pro eo, quo omnibus aliis ardentissimè fla-
 gitantibus denegauerat instituto. Et Peireskius ta-
 men, vt alios nonnullos, sic illum nescientem pin-
 gi procuravit, conducto artifice, qui ipsius vultum
 è clandestino loco spectaret. Sic obtinuit quod illi
 Occo sperare nefas prædixerat, cum id abs Velfero
 tulisset responsum, *Caseo maior posteros volebas quære-
 re, cur sibi statua nulla posita: mihi contra, quantum
 video, cauendum, ne quis aliquando miretur, si non
 indignetur, qua ambitione consortio magnorum virorum,
 quorum imagines se colligere Fabricius ostendit, irrepse-
 rim.* Præterea autem quàm præclare Noster illud ex-
 ceperit: quippe ad Occonem rescribens, *Dixit qui-
 dem, inquit, Caseo non minùs arguè, quàm sapienter,
 se malle, vs posteri quærerent quare sibi non esset, quàm
 quare esset posita statua: nunquam tamen, quod legerim,*

1602. *se pingi, aut fingi renuit; cuius rei testes esse possunt icones eius non pauca, quæ in hodiernum diem circumferuntur. Igitur nec Velferus, vera Catonis imago, id abnuere deberet, & ne abnuat, precor preceris, ores ipsum, atque exores iterum oro.* Subnectendus Velfero est Iosephus Iustus Scaliger, vir ille maior, ac celebrior, quàm vt encomio nostro indigeat. Subnectendus, inquam, vt constet quàm sponte, quàmque alacri mente Peireskius se ipsi, aliisque eruditis deuouerit. Nam ille quidem summoperè sibi ipsi est gratulatus, quòd in Pinelli defuncti locum talis amicus successisset; at occasionem vt accipias, ea fuit huiuscemodi. Scripserat Scaliger ad Pinellum, rogans, vt sibi procuraret Hebræicos aliquot libros, itémque nummos aliquos Scaligerorum Principum; ac simul miserat tam Paris, quam sui ipsius autographa quædam, & vtriusque etiam icones, prout ille petierat. Scripserat vnà Carolus Clusius, miseratque exemplum suæ rariorum plantarum Historiæ, & iconem desideratam Matthiæ Lobellij: ne quidpiam dicam de destinatis à Scaligero literis ad Carolum Leberoneum Valentinum Episcopum Patauij tum commorantem. Peruenère ista Patauium, cum non modò iam Pinellus obiisset, sed discessisset etiam ex vrbe Cæsar Dux Acheruntij, qui fuit Pinello ex fratre nepos. Quia verò is Gualdo mandarat, vt siquid datum foret ad Patruum, id exciperet, & Neapolin ad se mitteret; idcirco Gualdus omnia excepit, ac priusquàm transmitteret, cum Peireskio communicauit. Itaque Peireskius, cala-

mo arrepto, rescripsit ad Scaligerum: nuntiauit non 1602.
 modò Pinelli, sed etiam Episcopi mortem: securum
 fecit de donariis à memorato Cæsare grato animo
 accipiendis: recepit in se quam Pinello commiserat
 curam librorum Hebræicorum, ac numismatum:
 pollicitus est se aliqua saltem, quæ haberet iam, oc-
 casione prima missurum: obtulit & nonnulla alia ad
 illustrationem Scaligeræ gentis, quam cum venera-
 retur, adiecit se non commisisse, vt icones illæ abi-
 rent, quin exempla sibi carum obtineret. Scripsit
 pari modo ad Clusium, ac dici non potest, quan-
 tum illi se tam generosæ indoli, ac singulari huma-
 nitati deuinctos prædicauerint. Hûc spectat illa Sca-
 ligeri ad Velferum Epistola, quæ est in tertium li-
 brum inserta, & in qua, *Numismata*, inquit, *gentis*
Scaligeræ cum literis Fabricij nostri, & tuis accepi; quo
nomine gratias tibi ago. Nondum Hebræicos accepi libros,
quos ille ad me ex Italia misit; quia inter mercimonia Ra-
phelengiana sunt, quæ nondum hûc perlata sunt. Prope-
diem, quum accepero, & illi, vt gratias agam, scribam,
& à me quoque alias expecta. Scripta est autem Epi-
 stola 1 V. Idus Maij. An subinde commemorabo ali-
 quos ex iis, quibus alacrem operam nauauit? Impri-
 mis certè, si quid fuerat à Pinello priùs tentatum in
 studiosorum gratiam, id contentione maxima per-
 ficere adnixus fuit. Sic nullum lapidem non mouit,
 vt quam ille spem fecerat Prospero Alpino percelebri
 Medico recuperandi de tertija Methodicorum secta
 tractatus, opere ipso posset explere. Deinde, cum
 dicendi sint, quos Pinelli exemplo iuuat, vnus instar

omnium esse posset memoratus Pignorius, dum Ifiacam mensam exponens (Tabulam nempe illam æneam Hieroglyphicis Ægyptiis insignem, quæ ex Petri Bembi Cardinalis reliquiis eo tempore in Ducis Mantuæ Bibliotheca asseruabatur) gratias quidem egit imprimis Velfero, sed subiecit tamen, *Nicolao dein Fabricio Chalafij Domino, natalium splendore, & recondita eruditione illustri adolescenti, qui non modò insignes antiquitatis reliquias, quibus instructissimus est, in meum, & studiosorum usum munificè contulit; sed etiam aliorum Musæa, ut paterent, sedulò curauit. Eius diligentia factum est, ut non modò Venetiis Friderici Contareni Diui Marci Procuratoris, & Ioannis Mocenici illustrissimorum virorum præclarissima nummorum, & gemmarum καὶ μῆλια mihi in promptu essent; sed & Roma ornatissimi viri Laliij Paschalini κέρως ἀμαλθίας (cur enim hoc nomine non appellem bonæ copiæ diuitem thesaurum?) de quo nobis numismata, gemmæ, sigilla, rara omnia insigni humanitate suppeditata sunt. Eidem Fabricio acceptum ferri debet omne id, quod è Natalitij Benedicti pretiosis oculis euulgamus, è quibus auctario nostro cum robore, & incremento spiritus accessit. Ea enim omnia, quæ ad illustrandam Epiphaniij, Irenæi, & aliorum Patrum historiam Sectarios antiquos exagitantem attulimus, inde profecta sunt. Hæc fusiufculè refero; quoniam ex iis, quæ iam antè attigi, pluscula confirmant. Adde verò circa Pignorium, cum is librum de Patauinis originibus scriberet, obtinuisse illi Peireskium à Ioanne Vincentio à Porta, quod ipse postea memorauit, & Philippus etiam Tomafinus in Tito Liuiο retulit, circa*

circa Parentis historię bracchium. Nimirum ci- 1602.
 ues Patauini ex asseruatis apud se Titi Liuij ossibus
 alterum bracchium exemerant, concesserantque in-
 clyto illi studiorum fautori Alphonso Arragonum
 Regi, cum illud instantissimè per Antonium Panor-
 mitam Legatum suum exorasset, ab anno vsque sa-
 lutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo
 primo. Cum ignoraretur verò ecquid de bracchio
 actum foret, occasionem cepit Peireskius mittendi
 complura ad Portæum munuscula, quasi compen-
 sans cętypum marmoris cuiuspiam, in quo erat ex-
 pressus ritus mittendi milites sub iugum; ac simul
 efflagitauit vt rescriberet, quid pro sua sagacitate de
 bracchio compertum haberet. Rescripsit autem ille
 consequenter, neque Alphonsum morte præuen-
 tum, neque etiam Panormitam condere potuisse pro
 votis id bracchium: successorem verò istius à secre-
 tis regni, conclusisse sub marmore, collocassè-
 que extra Oratorium, cum inscriptione huiusmodi,
 T. LIVII HISTORICI BRACCHIVM, QVOD
 OLIM ANTONIVS PANORMITA A PATAVI-
 NIS IMPETRAVERAT, IO. IOVIANVS PON-
 TANVS MVLTOS POST ANNOS CONDIDIT:
 cæterum à multis iam annis id marmor non fuisse
 conspectum, ob facellum à nescio quibus confrat-
 ribus superextractum. Vt fuit porrò Peireskius er-
 ga Pignorium munificus: sic fuit etiam erga Vlyf-
 sem Aldrouandum percelebrem illum de Animalibus
 scriptorem, qui multa ab eo numismata habuit,
 maximèque Asiatica, illustrandis iis, quæ circa ani-

1602. malium symbola iam ediderat, ac tum de nouo apparabat. Atque is quidem Bononiâ scribens animo reuerâ grato pollicitus est se commendaturum per quem proficisset : sed in cæcitatem breui incidens id, quod destinârat, perficere potis non fuit. Idem fuerat pollicitus Ioannes Baptista Villalpandus, de illius nomine, patria, conditione sollicitus, vt testari posset à quo accepisset & siclos, & pleraque alia, amplificando tractatui de nummis Hebraïcis, post editos iam magnos illos in Ezechielem commentarios. De Sirmondo heic memorandum, quòd cùm accipere à Peireskio Roma discedente noluiisset, nisi ex iis numismatis, quæ geminata illi adessent, postulauisse ipsum tamen, obtinuisseque ab eo, postquam Patauium rediit, plusquam ducentos cætypos, vel ex Græcanicis duntaxat. Eius scilicet generis coegerat iam supra mille, quæ forent penitus intacta rei nummarie auctoribus : & cùm haberet cusa tam ante, quam post Romanum imperium in ciuitatibus quibusque Græciæ, Asiæque præcipuis, ex quibus contexuerat seriem Seleucidarum Principum, ab Alexandro ad Romanos vsque : eamobrem Sirmondus hanc seriem desiderauit cognoscere, vt illius instar seriem Principum Ægyptiorum texere posset. Sed faciendus his modus est. Porro iam penè triennium in Italia exegerat, cùm apparare reditum cœpit. Ac habuerat quidem in votis Venetiis tendere Augustam, tum vt Velferum, Occonémque ea in vrbe inuiferet : tum vt exinde commissus Danubio circumstantia Germaniæ, Hungariæque loca lustraret,

& Constantinopolim tandem per Euxinum Pontum, Bosphorúmque Thracium perueniret, peragraturus deinceps quicquid liceret ex Græcia : verùm Fonuiuius planè abnuit , vel quia censeret Patrem, Patruúmque id consilium auerfaturos, ob digressionem prolixam nimis , periculísque plenissimam ; vel etiam quia ipse Parisios repetitò accerferetur. Peirefkius ergo nihil planè ausus ipso repugnante moliri, res suas ita composuit , vt imprimis omneis Italiæ amicos, quibus vale coràm dicere non potuit, literis salutauerit, oblatóque obsequio, & plerumque etiam adiunctis munusculis deuinxerit. Sic exteros quoque, ac præ aliis Scaligerum , cui ad superius memorata adiecit nummos ab amicis Veronensibus recens habitos , nonnulláque alia spectantia ad Scaligeranam familiam. Coëgit deinde quicquid potuit seu librorum, seu cimeliorum, seu aliarum rerum exquisitarum nancisci : ratus sibi in patria parem copiam non occurruram. Discessurus coniecit omnia cum sarcinulis in aliquot capsas , quas direxit Genüam , conuehendas inde Massiliam : ac referuauit solùm rario-
ra, & pretiosiora aliqua, quæ vnà translata eandem secum experirentur fortunam. Videlicet , cùm sibi satis lustratum putaret ex Liguria, peragrarè Galliam Cisalpinam voluit, emergeréque Lugdunum , vt prouidere illic posset quemadmodum litteras ab amicis acciperet , & vicissim ad illos daret. Postremùm relicto ingenti sui desiderio Patauij præsertim, ac Venetiis (ne quidpiam dicam de Augusta, vbi Velferus concepta spe complectendi illum frustratus,

1602. quasi dimidium animæ subduceretur, ingenuit) itineri sese commisit. Diuertit autem primùm Vicentiam, salutaturus illic amicos, ac inuisurus eum montem, cuius, vt dictum est iam antè, ichnographiam quæsierat. Considerauit etiam Gustosæ illam venti dispensationem per canaleis, ac tubulos; accepitque, & in commentarios retulit historiam illius, qui nascentem è crypta ventum in loco satis dislito, domum vsque per meatum subterraneum ita deduxit, vt tandem velut secuerit, distribueritque pro arbitrio. Accessit deinde Veronam, attenditque illic præsertim ad Scaligerorum sepulcra, quorum, quia tum non licuit adumbrationem obtinere, impetrauit postea interuentu Cæsaris Nichezolæ, & Marci Antonij Montani. Mantuæ cum foret, tam multa vidit, atque adnotauit in Ducis Cimeliarchio, vt cum superioribus annis accepisset direptum fuisse, Germanis urbem vastantibus, vix satis sese consolari per multos dies potuerit, tantam ducebat factam iacturam. Inter cætera spectauit curiosè Ægyptiam illam Tabulam, vt varios de ea scrupulos eximere Pignorio posset. Visâ Cremonâ, voluit Brixiam, Bergamumque diuertere, ac tum venire Mediolanum, vbi non modò Erycius Puteanus, & Septalij fratres, aliisque amici; sed maximè etiam ille nunquam satis laudatus Archipræsul, Cardinalisque Fridericus Borromæus, Ambrosianæ Bibliothecæ iam tum crebrescentis fundator, sunt illum humanissimè, ac per dies multos complexi. Digressus Ticino, Nouaria, Vercellis, peruenit Taurinum, ac superatis Alpibus,

Geneuam ; vbi peruolutis libris variis , spectatôque Lemmano lacu , Tononum vicum adiit , vt fieret oculatus testis admirandorum facinorum , quæ patrare per illud tempus Dæmoniaci perhibebantur. Fraiccto lacu , perlustratâque circumuicina Heluetia , soluere vota placuit ad celebre fanum Sancti Claudij , ac præsertim pro Patruï cognominis incolumitate. Deslectere inde volebat Semurium , Dauidem illum quondam suum præceptorem salutaturus , ædeisque illas inuisurus , in quibus ante quinque annos Genebrardus obierat : sed rerum in Burgundia ob factionem Bironij Marefcalli innouatarum , suspectarumque status deterruit. Deflexit ergo potiùs Lugdunum , vbi acceptâ pecuniâ , persoluit largè honorarium Ductori suo Parisios , vt iam dictum est , discessuro. Deinceps , quamuis amore patriæ , parentumque teneretur , callidè tamen consilium cepit non pergendi recto itinere domum , sed discedendi Monspelim , vbi Iulius Pacius à Beriga Iurisconsultus Vicetinus profiteri magna cum laude Iurisprudentiam ferebatur. Quia enim satis sibi ipsi circa Iuris studium nondum fecerat , & apud se tamen constituerat nèque postulare , neque adipisci quam lauream vocant Doctoream , absque insigni quadam gloria , testationèque eruditionis ; idcirco domum tendere noluit , ne inuitus adigeretur ad consequendum lauream , possètque priùs sub illustri Antecessore fieri instructior. Itaque concessit Monspelim sub Iulij mensis initium , seseque statim ipsi Pacio in contubernium cum fratre dedit. Subinde

1602. verò consilium indicauit Patri, ac Patruo, qui nihil tale suspicantes subueriti sunt, ne fortè in Italia non fatis studiosè Iuri incubuisset. Præter eum secessum, argumento fuit, quòd tam ex capsis Genuâ acceptis, quàm ex transmissis residuis illis, selectioribûsque cimeliis, quibus Monspelium cùm peruenisset, sese exonerauerat, peruiderunt illum debuisse tantum temporis in iis colligendis, cognoscendisque impendere, vt nihil, aut parum omninò, quod impenderetur Iuri, superfuisset. Id autem vbi ille resciiuit, quadam veluti apologia suspicionem est amolitus. Nimirùm, se nihil detraxisse horis Iuris studio debitis; sed tantùm quas alij aut ludicris rebus, aut computationibus, aut Venercis illecebris vulgò dederent, succidisse, contriuissèque in comparanda antiquitatis notitia. Quam viderent de ea congeriem, argumento saltem esse pecuniam sibi creditam non fuisse in nequitiam, perditòsve vsus absumptam. Cæterùm & se agnouisse non esse studium antiquitatis Iurisprudentiæ inutile, cùm alia ratione non possent pleraque loca seu Digestorum, seu Codicis intelligi; & posse ipsos id experiri, cùm quod, exempli gratiâ, lateret iam Interpretes circa Viriolas ex smaragdis Vlpiano, ac Paulo sapiùs memoratas, intelligere ex iis possent, quas eruisset Romæ ex quibusdam ruderibus, quâsque ad illos mitteret, rem iam à plerisque sæculis inuisam. Existare etiam in sarcinis plureis reliquias ex eo Ære, quod antiqui graue dixerunt (cùm id nimirùm penderent) intèrque parteis Assis varias reperiri Qua-

drantem , qui altera facie Suem præferat , ex quo , 1602.
 & ex Oue , ac Tauro pariter signatis , dicta primùm
 fuit Pecunia , tanquam à pecudibus . Sic & repertum
 iri alia propemodùm innumera , de quibus coràm
 differere , sine voluptate vtriusque non posset . Deni-
 que tam sese , quàm fratrem non diuertisse ad Pa-
 cium , quòd se Iuris ignorantiores suis coætaneis
 crederent ; sed quòd eximium aliquid supra ipsos sa-
 pere vellent . Placuit mirè parentibus instituta de-
 fensio , ac Patruo præsertim , qui tanto ardore vi-
 dendi ipsius inarsit , vt , vix tertio mense exacto , ac-
 cerditum voluerit . Accessit ergo ; sicque Lareis reui-
 fit primùm mense Nouembri , sed adducto tamen
 secum Pacio , vt vel reducendi ipsius prætextu deti-
 neri domi non posset . Relictus verò germanus fuit ,
 quòd è morbo tum conualescens sese dare itineri
 absque periculo non posset . Heic non memorabo
 qua exultatione exceptus Peireskius domi fuerit ,
 neque quo cultu habitus Pacius . Referam duntaxat
 magnum illum virum Guillelmum Varium , qui tum
 erat princeps Aquensis Senatus , quisque fuit post-
 modùm suffectus , vt suo infrà loco dicitur , in vi-
 cem Cancellarij , mirari satis non potuisse indolem
 adeò egregiam , raràmque adeò eruditionem tanta
 cum modestia coniunctam ; neque vnquam satis fa-
 tiari interrogando , excipiendóque quæ ille scitè ,
 perspicuè , suauitèrque commemorabat . Paucis pòst
 diebus Monspelium vnà cum Pacio rediturus , desle-
 ctendum è via censuit , vt demonstrare illi posset
 scaturiginem Vallis-clausæ , non aquarum exundan-

1602. tium copia magis, quàm Petrarchæ, & Lauræ amoribus concelebratam: itémque Arcum illum triumphalem, qui Araufione conspicuus, C. Marij credebatur, cum ipse Fabij Maximi potiùs esse opinaretur; tum ciuitatem Auenionensem; & fornicatum triplici ferie Wardonis, seu Guardonis pontem; ac Nemaufentia quoque nonnulla, quæ ille non aduerterat, tametsi illeic biennio moratus. Quam-primùm autem rediit, tanta se cum alacritate ad studium Iuris composuit, vt horas decem solidas diebus singulis in eo collocaret. Neque verò id solum tempus consecratum est studiis; sed diètim etiam quasdam horas, ac potissimùm ante somnum impendere solitus fuit litteris humanioribus, studioque rerum antiquarum. Non id abnuebat penitùs Pacius, qui mirè etiam afficiebatur, quoties illum de rebus variis, ad antiquas præsertim leges pertinentibus, dicentem audiret. Quin non modò etiam est passus, sed penè, dicam, auctor fuit, vt Narbone inuiferet, quæ exstant illeic vetustatis non ignobilia monumenta; ac speciatim votum, factàmque Augusto Aræ dedicationem, cuius ante annos triginta effossæ, & Burdigalæ, cum illustratione Eliæ Vineti, excusæ exemplum obtinuerat. Scilicet nondum allatum erat Inscriptio-num Gruteri opus, in quo postea obseruauit Tribuniciam Augusti potestatem, quæ apud Tacitum legitur trigesima septima, fuisse ex hac ipsissima inscriptione trigesimam octauam. Ad hæc, quia Pacius perlubenter edissererebat de rebus ad Physicam spectantibus, nullam non occasionem captabat rogandi

tandi illum de causis naturæ abstrusioribus, & maxime quidem per horas relaxando animo datas. Sic cum aliquando noctu incidisset in crustas, squammasque piscium lucidas, collegit, intulitque clam in Pacij Musæum; ac postea cum illo ingressus, quam præferebat candelam consultò exstinxit, ut illo primum attonito, ac deinde lucem mirante, sciscitaretur ipsius causam. Ac recurrit quidem Pacius ad calorem ex putredine excitatum; sed rogauit Peireskius, cur non sentiretur ergo calor neque in iis squammis, neque in quibusdam lignis putrescentibus? cur horrea præ putredine incalescentia, calx item madefacta, & alia tantoperè calida non emitterent lucem? cur si ob calorem cicindelæ lucent, non lucerent etiam animalia cætera tantoperè iis calidiora? Ad quæ Pacius, posse calorem, quem in scholis dicunt virtuales, sufficere; & aliunde exigi certam dispositionem materiæ, quæ reperitur in rebus minùs ad sensum calidis, non reperta in aliis calidioribus sensu deprehensis. Prætereo porrò, cum hæc, & alia non fecissent satis Peireskio, nihil deinceps visum fuisse probabilius, quàm lucem omnem flammulam esse, sed rarissimam, tenuissimamve: argumentoque esse lucem Solis, quæ dum cogitur, densaturque, ardet; ad eum modum, quo vapor nihil aliud, quàm aqua rarefacta, tenuatque est, quæ rursus coacta, densaturque, humor apparet. Cum lux autem Solis directæ, seu primaria sit adhuc satis densa, ut calorem sui sensibilem faciat; repercussam tamen, secundariamve adeò tenuem euadere, ut eius

1603. calorem sensus non percipiat. Quare & nihil mirum videri, si lucula illa squammarum, similiúmque rerum non sentiat calida; cum sit longè tenuior illa solari secundaria, intra quam planè euanescit. Quòd res autem calidiores non perinde luceant, causam dici posse, quòd calor vehementior tetriores excitet vapores, seu fuligines, quàm vt connatam luculam patiantur puram emergere, atque idcirco apparere. Rursus, cum foret valdè curiosus rei anatomice, ac herbarie; ea-propter quoties licitum erat, diuertebat in Regios hortos, à quatuor iam annis instructos, ad Richerium Belleuallium vtriusque demonstratorem, cui nunquam non fuit Peireskij & desideratissima, & iucundissima consuetudo. Diuertebat etiam frequens ad Franciscum Ranchinum, qui ad peritiam Physices, Medicæque eximiam, pulchrè adiungebat notitiam, cultúmque rerum antiquarum. De Ioanne Dortomanno quid dicam, cuius semper solitus fuit & exquisitam doctrinam, & insignem erga se benevolentiam commendare? Hoc certè Medico est vsus, cum febriculâ laborauit, cumque vexatus est grauiore, quàm eò vsque fuisset expertus, dolore hæmorrhoidum, & nonnulla etiam vrinæ emittendæ difficultate. An adtexam verò quod retulit sæpius, cum Dortomannus aliquando ægrotantem inuiseret, rogareturque, cur ea vice seriùs solito aduentaret, respondisse ipsum se accedere ex consultatione memorabili pro muliere Belliquadrensi, quæ tum gestaret vtero mensẽ iam vigesimum tertium. Ea nempe iteratò nupta, cum ex priore coniugio par-

tus aliquot non inestris edidisset, ex posteriore tamen ediderat treis, vnum mensium vndecim, alterum quatuordecim, tertium verò octodecim: & quoniam ex periculis antecedentium puerperiorum, coniciebat sibi ex quarto impendere grauissimum; medicos ideò consuleret, si qua ratione incolumis euadere ex illo posset. Et memini quidem obiecisse me, videret, ne esset eadem fœmina, quam non ita pridem Antonius Saporta, aliique Medici propter simile nescio quid non omninò sanam mente pronunciaissent. Verùm perstitit fuisse aliam, adiiciens ipsam non longè post peperisse infantem cum capillitio, ac dentibus, obtinuisseque à coniuge, ne vltèriùs contingeretur. Vt cumque porrò hac de re sit, (quam venditare pro vera nolim) occasione partim morborum, partim vehementioris studij, effectum est, vt literas ad amicos scriberet raras. Inde euenit, vt cum semel totos quatuor menseis à scribendo abstinuisset, & periissent etiam destinatæ quædam in Italiam epistolæ, ideò rumor de eius morte Romæ, ac Patauij precrebuerit; & Pignorius etiam ad Patrem consolatoriam scripserit; Gualdus verò, falsitate rumoris comperta, illum quasi rediuuium salutauerit, crudelem blandè appellitans, quod suâ in scribendo negligentia, amicos tam bonos, tamque constantè enecaret. Videlicet non admittebant quod expectandas à se raras literas præmonuerat, donec studium Iuris foret absolutum. Quare compulsus denique fuit, vt sæpiusculè scriberet; neque ad ipsos Italos modò, sed ad ipsos quoque Velsorum,

1603. Scaligerum, Clusium. Quia porrò ambages nimis erant magnæ; cum oporteret literas Augustâ, atque Francofurto transdere in Hollandiam; idcirco Scaliger auctor fuit, ut literæ mutuò destinarentur Parisios, ad Præsidentem illum eximium Iacobum Augustum Thuanum, cuius nomen diffusius est, quàm ut elogio vlllo possit comprehendi. Etenim, quòd Scaliger illum & sui amantissimum, & pro singulari in bonos, eruditòsque omnibus affectu ad omne genus officij paratissimum comperisset; idcirco eam ipsi curam non dubitavit committere, ut commendatas ab utroque literas ex æquo curaret. Quare hac primùm occasione, & ex hoc usque tempore cœpit quæ magna, exultatque deinceps fuit, inter Peireskium, & Thuanum necessitudo. Ad Patrem verò, ac Patruum, uti par fuit, scripsit frequentius: sed maximè ut obtineret, ne ante finem eius anni, qui fuit huius sæculi tertius, Aquas-Sextias euocaretur. Et quia nôrat ciueis Aquisgranensibus ea tempestate procurare, ut non modò Regium Collegium pro humanioribus literis, ac Philosophiæ studio haberent; sed ut priscam etiam Vniuersitatem, Regiis Professoribus illustratam facerent; eapropter scribens ad Parentes miro contendit studio, ut Professore primario Iuris ampla forent stipendia, quo Pacius illuc accerferetur. Siquidem perspectum habebat tam Palatinum Comitem, quàm Academiæ Curatores euocare illum ingenti pollicitatione Heidelbergam, ubi iam per complures annos sui specimen dederat; ipse verò & expetebat posse Aquisgranensem Academiæ tan-

to ornamento gloriari, & ægrè ferebat excidere spe, quam satis firmam conceperat efficiendi demùm ex illo virum Catholico-Romanum. Cæterùm, cum non posset ampliùs Patruì votis obsistere, quippe qui resignata illi dignitate Senatoria, etiam ab anni initio regium diploma quæsierat; accessit tandem Aquas Sextias, vt necessarium illi habendæ doctorem gradum consequeretur. Non accessit autem nisi priùs optimè exercitatus, ac nisi obtenta in finem anni dilatione, tum vt Pacium per ferias Natalitias deduceret, tum vt intereà se ad varias actiones obcundas meliùs compararet. Etenim quia moris tum erat in Aquensi Academia, vt nemo priùs ad lauream Doctoratus admitteretur, quàm, præter alia tentamenta, triduanas thescis defendisset; idcirco thescis miscellaneas ex vtroque Iure desumptas, maturè & feligere, & mandare typis oportuit. Et aliunde, quoniam à Patruo accepturus vno die Doctoratus insignia, constituerat ipse in fratrem insequenti die conferre; capropter habere sibi tempus voluit, ad congerendum vnde posset insigniorum originem, vetustatèmq; explicare. Accessit ergo tandem cum Pacio sub brumam Aquas Sextias: tamen si gradum adeptus non est, nisi die Ianuarij insequentis anni decima octaua. Tædium forrassis parerem, si vel per capita attingerem ea, quæ magna cum eruditionis testatione edisseruit singulis illis actionibus, quibus est Lauream consequutus. Satis esto subicere, gessisse se illum eo cum vigore animi, vt non totam modò coronam in admirationem ra-

1603.

1604.

1604. puerit; sed ipsi etiam Pacio visus fuerit seipsum longè superare. Biduo post, cum ornamenta Doctorea in Fratrem conferret, dici non potest qua suavitate auditores perfuderit. Scilicet ex statua quadam Metrodori cum galero suo, seu Arcadico pileo, & infulis, cumque pallio philosophico, & annulo in sinistra manu: itémque ex statuís quibusdam Hippocratis cum simili pallio, epomidéque adiuncta: ex inscriptione quadam Eubuli Marathonij, ac infulata statua non ad ceruices, sed circum caput: ex consimilibus Platonis, Theophrasti, Phauorini, aliorum: ex cimeliis Gotthicis, in quibus mitræ pileis non admodum absimiles; ex innumeris aliis (vt breue faciam) monumentis, ostendit quemadmodum vsus eiusmodi ornamentorum ab vique Græcis ad Latinos, & ad nos vsque transferit; quemadmodumque ex Philosophia atque vetere Sacerdotio, gradum fecerit in doctrinam, Professionémque multiplicem recentiorum Academiarum; idque citatis passim Conciliis, Patribus, Poëtis, Historicis, Philosophis, Oratoribus, quibus plenam faceret fidem.



DE VITA
PEIRESKII
LIBER SECVNDVS.

Vix iam defierat celebritas, cum memoratum antè diploma; ne, anno maius, antiquaretur, Senatui exhibendum fuit. Id ergo exhibitum quidem, & in acta referri iussum: verum obtinuit Peireskius, ne propterea statim admitteretur, conscribereturque reipsa in Senatorum numerum; tum quia videri noluit ex eo numero Patrum amantissimum exegisse; tum quia timuit, ne si semel astringeretur officio, sibi & libertas studiorum, & occasio peregrinandi mature nimis præriperetur. Hinc quoniam ad amicos scribens, & occupationes doctoreas in excusationem diurni silentij prætexens, insinuavit simul se ad Senatoriam dignitatem adigi non sponte: responsa tulit varia, congratulantibus plerisque, quod iam inter Senatores coopratum arbitrarentur. Ex istis fuit Scaliger, qui & dignitatem nouam commendauit, & con-

1604. gratulatus ob lauream, subiunxit se aliàs adfuisse Aquis-Sextiis, testem seueri examinis, quo Academia vteretur. Fuit etiam, Velferus, qui non modò est ob dignitatem congratulatus, sed a dimonitionem etiam, adhortationemque paternam adhibuit, ac inter cætera, *Non esse animo ipsi despondendum: munus Senatorium tametsi spinosum, id tamen prima fronte duntaxat; principium solum molestum esse, lenire tempus cætera: nihil supra viris exactum iri; fore Numen propitium; deberi patriæ operam, & quædam alia in euidem sensum.* Sic adhortatus etiam est Pacius, statim ac rediit Monspelium, epistolâ nuncupatoriâ, qua Imperialium Institutionum Analysin ipsi dicauit; quam, quòd nosset illum nondum inter Senatores relatum, dicauit, ac inscripsit solum, tanquam in *supremo Prouinciæ Senatu Consiliario Regio designato.* Non pigebit porrò hûc transcribere ipsissima, nuncupationis, & adhortationis verba. Sic ergo illum affatus est. *Ad te verò, mi Fabrici, meas lucubrationes mitto. Cùm enim tu antiquis moribus præditus, à nostro coniectu, unà cum suauissimo fratre tuo in patriam rediens, vetusto more, præclara xenia, vel potius munera obtuleris, quibus vestram, vestrorumque Patris, & Patris virorum amplissimorum, & regionum in supremis Senatibus Consiliariorum erga me, meosque beneuolentiam testatam reliquistis: me quoque oportuit, ne ab antiqua, & laudatissima consuetudine discederem, aliquid inuicem rependere, quod grati animi testimonium esset. Quid autem à me proficisci potuit, quod tibi gratius esset, quàm aliquid ex his studiis depromptum, quibus nobilissima tua familia*

familia maximè flores? Nam pecuniã neque tu egēs, ne- 1604.
 que ego abundo: hæc verò studia amas, & colis; ac te ex
 nostris prælectionibus, atque exercitiis profecisse lubens fa-
 seri soles. Eximia verò laudis, quam tuo merito in docto-
 ro gradu assumendo es consequutus, participem me quo-
 que esse vis, quasi nostris monitis, & præceptis adiutus,
 ad illud eruditionis culmen, quò multi frustrà aspirant,
 ascenderis. De quo tuo, optimique fratris tui nouo honore
 vobis ex animo gratulor; & ut iam Senatorios animos
 accipiat, iam in Rempublicam, quã vestram operam re-
 quirat, omnes vestras cogitationes conuertatis, publicum-
 que bonum perpetuum vestrorum consiliorum obiectum sta-
 tuatis, etiam atque etiam hortor. Hæc enim re nulla vo-
 bis dignior, nulla parentibus vestris (Patrum alterum ve-
 strum parentem agnoscitis) gratior, aut iucundior esse;
 nulla vos illustriores reddere potest. Hactenus Pacius;
 Peireskii verò animum quidem allegendi se ali-
 quando Senatoribus non abiecit: non intermisit
 etiam prorsus susceptum Iuris studium: verùm dila-
 tione obtenta, & liberioribus iam studiis, ad co-
 lendum suauiores Musas, ad promouendum bonas
 artis, ad adiutandum, quantum potuit, viros benè
 de literis merentis animum applicuit. Ac primùm
 quidem variè sollicitatus de coniugio, cœlibem vi-
 tam prætulit; ratus non posse se vxoris, succrescentis-
 que familiæ sollicitudinem gerere, & expeditum
 se erga studia, viròsque studiosos tueri. Heinc cùm
 Pater, ipso inconsulto, conuenisset propè de nu-
 ptis cum viri illustris Ioannis Ceppedæi primi Ra-
 tionum Præsidis vnica filia contrahendis, veniam



1604. ardentè petiit non discedendi ab instituto. Quippe se Palladi, ac Musis nomen, fidemque ita dedisse, ut sacrilegium duceret de aliis nuptiis cogitare. Et Pinelli quidem exemplum, alta licet mente repositum, noluit Patri proponere; sed proposuit tamen exemplum Varij, quod præfens ac illustre erat; adiecitque sibi præ aliis domesticum esse coram oculis, quod se non posse, nisi cum laude imitari arbitraretur. Itaque imitatus Patruum ducere uxorem germano concessit; illéque propterea sequente ætate memoratam supra Marchisam à Tullia duxit coniugem, ex eaque tertio anno post Filium suscepit, quem Claudius Patruus, superstes adhuc, cognominem fecit. Deinde, non admodum longè à doctorèo gradu suscepto, perlustrare placuit maritimam oram, tum ut omnia antiquitatis monumenta peruestigaret, tum ut rariores quasdam plantas per eam regionem deligeret in Belgensianum hortum transfereudas. Quòd duxerit autem initium à Foro-Julien-sibus antiquitatis reliquiis, circa quas sibi prima vice (discedendo nempe in Italiam) abundè factum non putabat, fuit occasio deducendi Draguinianum usque nobileis consanguineos, qui ad Doctoratus accesserant pompam. Visere autem imprimis voluit opus Romano nomine dignum, intercisam scilicet Rupem, seu excautum amplum canale in decliui quadam montis facie, quà Cyanei fluij scaturigo altera forum Iulium, à quinto usque Prouinciali lapide, per anfractus vallium, siluarumque fuit perducenda. Quàm multa verò toto progressu obseruauit,

collegeritque, enumerare prolixum foret: adnoto 1604.
 solùm ipsum exinde cepisse ansam conscribendi,
 mittendique varia ad amicos varios. Cætera inter
 plurimi fecit Consulare quoddam numisma, quod
 dicebat insolitum, & neque Goltzio, neque Vrsino,
 neque aliis memoratum, quòdque destinavit ad Pi-
 gnorium, vt cum Friderico Contareno communi-
 caret. Plurimi etiam inscriptiones quasdam Flami-
 nij, & Dudistij, de quibus suppledis (nam excæ-
 erant) cum Velfero præsertim egit. Plurimi quædam
 alia selecta, quæ misit ad Scaligerum, & ex rebus aliis
 conchas nescio quas, quarum occasione scripsit ad
 Penam Medicum de Concha anatifera mituli instar
 conformata. Sed vt de Plantis speciatim dicam, co-
 mitem adhibuit Botanicum quendam plantarum
 quouis tempore internoscendarum peritum, capro-
 pterque non solùm plantas in suum hortum destina-
 uit, sed plerarumque etiam radices transmisit ad
 Clusium, ac inter cæteras Tragacanthæ, Aristolo-
 chiæ, Asphodeli, Arbuti vtriusque. Significauit au-
 tem simul desiderium, quo vellet Clusium aliquan-
 tisper Belgenferij detinere, ostensus illi Stryacem,
 seu arbutum foliis cotoneæ malo, floribus arantiæ
 non absimilem, & liquoris fragrantiam nequaquam
 Syrio posthabendum. Is enim ad vnum milliare iux-
 ta oppidum itanascitur, vt aliàs frustra requiratur.
 Ostensus etiam Lentiscum, quæ non minùs Ma-
 stichen sudet, quàm quæ in Chio insula nasci specia-
 lis dicitur. Ostensus & alia quædam vix aliàs vs-
 quam obseruabilia. Cùm rediisset, agere cœpit de

1604. instituendo Eremitarum Camaldulensium cœnobio in egregia illa solitudine, subrupeâque Ecclesia, quæ Diuæ Mariæ de Angelis sacra, æquâ propè distantia est Massiliam inter, & Aquas-Sextias. Occasione fuit, quòd Patauij degens eorum institutum valdè probauisset, eruditusque inter ipsos Religiosus nomine Elias, Nouitij cuiusdam causâ, Aquis-Sextiis tum versaretur. Peireskiius itaque illius conuersatione delectatus, ipsum per multos menses detinuit, in solitudine sustentauit, ac sæpiùs per complureis dies commoraturus inuisit. Procurauit intereà vt ciuium tam Aquensium, quàm Massiliensium decreto id cœnobium postularetur. Licentiam quoque instituendi à Mintensi domino, in cuius ditione est locus, obtinuit, ac circumuicinum dominium, seu fundum pretio acquisiuit. Sategit quàm enixè potuit per Patauinum Episcopum, & Cardinalem Pallauicinum, vt Congregationis eius Superiores non Eliam modò illeic loci relinquerent, sed religiosos etiam alios in amplissimam messem destinarent. Rogauit, vt aliquos saltem loco visendo committerent, pecuniâque intereà sumptibus faciendis necessariam misit. Et facta quidem plurima spes: sed postremò tamen irriti conatus. Sic votis etiam non respondit redintegratus pro Pacio labor. Siquidem cum ineunte vere euicisset, vt Aquenses destinarent Pacio primariam Iuris cathedram, præstituto stipendio librarum Furonicarum bis mille, & quadringentarum, proficisci ipse Monspelium cum Assessore urbis voluit, vt si quidpiam difficultatis obsiste-

ret, amoliretur. Et rediit tamen re infecta; præ-
 xente quidem Pacio, quòd tria librarum millia, præ-
 ter occurrentia emolumenta, expeteret; sed causâ
 reuerâ ab vxore datâ, quæ Catholicam vrbem exo-
 sa, Heidelbergensem præoptaret. Incidit verò sta-
 tim in morbum, è quo vix initio ætatis conualuit.
 Importuna præsertim fuit mira cutis tencritudo;
 nam quacumque corporis parte tantilla fieret ve-
 stium compressio, rubescens tumor cum vehementi
 prurigine cooriebatur. Casus hic ansam illi præbuit
 philosophandi de Maculis, quas ab vtero plerique
 fortiuntur. Quippe cogitatio illum subiit fieri simi-
 liter posse; vt qua parte corporis grauidæ mulieres
 sese attrectauerint, dum expetitæ cuiuspiam rei ima-
 ginatione tentantur, in eadem Embryonis parte
 eiusmodi rei character suboritur, exprimatúrque.
 Ita non semel retulit, ac non multis speciatis an-
 nis ante obitum, cum vnâ philosopharemur de qua-
 dam canis imagine intra vrinam hominis à rabido
 cane demorsu inspecta. Ac difficultas quidem erat,
 cur ille character non corpori matris, sed Embryo-
 nis inureretur: sed assensit tamen Embryonem vte-
 ro gestatum vnum corpus cum matre esse, eadém-
 que specie alimenti, iisdémque spiritibus secundum
 omnes sui parteis sic enutrirî, vegetarîque, vt se-
 mine ex omnibus partibus deciduo fuit primùm for-
 matus. Quare & tenue corpusculum iisdem affici-
 casibus, quibus ipsum corpus maternum; ac posse
 ipsi tantò facilius notam aliquam imprimi, dum,
 spiritibus speciem conceptam deuentibus, eo ma-

1604. tris contactu veluti defigitur, quantò ipsum est mollius, ac tenerius. Memini verò id confirmatum memorabili quodam factò, quod ipsi fando accepimus; Muliere nempe grauida in oppido huius Prouinciæ Cipperiis dicto, ante annos circiter sexaginta, pugione confossa, eductum fuisse ex ea Embryonem cum totidem notis liuescentibus, & ad eandem partem conspicuis, in quibus mater fuerat percussa. Quòd autem, dum illæ fructuum species, cerasa, fraga, aliâque rubescunt, impressi quoque characteres viuidiore rubore sint, causam dici posse affectionem aëris secundum eandem tempestatem similibus spiritibus concitandis idoneam, vt dum vitibus florescentibus vinum in doliis commouetur; sed non est quorsum ea de re vberius quidpiam heic proferatur. Repetò potiùs Peireskium balneorum vsu conualuisse (sanguine putà temperato, perspirabilique factò corpore) ac magno fuisse leuamento, quòd iucundissimam intereà familiaritatem duplicem parauit. Altera fuit cum nobili Francisco Villanouano Flayosci Barone, & Marchionis Transij germano, qui linguæ Græcæ, omnigenæque historiæ callentissimus, quicquid penè erat in tota Prouincia monumentorum vetustatis perspectum ad vnguem habebat. Altera cum celebri viro Francisco Malherbio, qui deinceps habitus fuit Gallicæ linguæ arbiter, & Poëseos facilè princeps. Inuisebat enim vterque; & cum priorem quidem ipsi patria communis, ac studium earundem rerum conciliasset, posteriorem illi quæsiuit commendatio Va-

rij, clarumque in Prouincia nomen, ex quo tempore fuerat memorato magno Franciæ Priori à Secretis. Heinc proinde cœpit Peireskius Malherbij poemata cognoscere, suspicere, apud exteros commendare. Siquidem cum mense Septembri illa memorabilis Ostendæ obsidio exitum habuisset, pulchræque illa carmina, *Area Parua ducum*, &c. fuissent Gallicis versibus non modò à Vario, sed à Malherbio etiam expressa, misit illicò cum ad alios, tum ad ipsum Scaligerum, quem Latinorum carminum arbitrabatur esse auctorem. Taceo autem ut Scaliger ad ipsum rescripserit auctorem esse Hugonem Grotium, adolescentem lectissimum; puellas verò ex Helicone se, ut senescentem, pridem auersatas; ex quo etiam se excusauit, quòd versus ab eo pro Pinello expetitos non mitteret. Diuersatus per Autumnum Belgenserij, spectauit Rarum illum concursum trium superiorum Planetarum, qui nonnisi anno quoque octingentesimo contingit, & Magna, seu Maxima potiùs, Coniunctio meritò vocatur. Et mirabile quidem fuit nasci in eo conuentu Stellam magnitudine Iouem æmulatam, quæ supra annum in eodem Serpentarij pede sic perseverauerit, ut perseverauerat alia in sidere Cassiopeiæ ante annos triginta duos, & alia rursùs ante triennium in constellatione Cycni. Verùm quia tum Peireskio cœlestis globus non aderat, quò fieret certior de siderum non errantium nomenclatura; ideo facilè credidit Nouam illam stellam ex antiquis esse, ac potissimum videns ipsam non, ut Planetas circumstan-

1604. teis, obtusi esse luminis, sed fixarum instar mirè
 scintillare. Acceptis post aliquot menseis à Pigno-
 rio literis, didicit Stellam esse recentem, ac obserua-
 ri à Galileo; idque cùm iam ex vespertino in matuti-
 num situm transisset: at quia in morbum incidit,
 1605. quo initio veris multùm laborauit, cùm simul quo-
 que ægrotarent Pater, Frater, Patruus, Nouerca, &
 domesticorum nonnulli, idcirco sibi à studio eam
 obseruandi temperauit. Ne memorem, cùm voluit
 postea ad illas partes respicere, stellam sic fuisse iam
 imminutam, vt fixis circumstantibus, perpetuisque
 nihilo maior, ac vna earum credita, euanuisse iudi-
 caretur. Posterioribus tamen annis dolere satis non
 poterat, quòd ad tam rarum spectaculum suis ob-
 uium temporibus studiosè magis non attendisset.
 Per ea tempora cùm Massilià Belgenferium conten-
 deret, transire Castelleto voluit, vt Parochum loci
 nomine Iulianum, ob ingenuam curiositatem sibi
 iam earum, salutaret. Cùm ab ipso aliquantisper ex-
 tra vicum deduceretur, occurrit illis Mulio floridum
 ramum ex Myrto gestans, latifolium, & flore pleno,
 qualem Peireskii neque viderat, neque inaudierat
 exstare. Itaque raram miratus Plantam, perducere vo-
 luit in mediam siluam, vbi enata fuerat, ac trans-
 ferri ipsam curauit, vt excoleretur, propagaretur-
 que. Transferri autem noluit in Belgenferianum
 hortum, quoniam non aderat qui illam satis dili-
 genter curaret; sed in hortum potiùs ipsius Iuliani,
 cuius futurum circa ipsam exquisitum studium con-
 fidit. Et excoluit ille sanè, vt par fuit, quosque ex
 planta

planta manente incolumi, propagatio fieri Belgenscrij potuit. Id attingere visum est, quia nusquam in tota Europa Myrtus pleno flore fuerat agnita; ac debetur Peireskio, quòd iam in hortis Regijs, quòd Romæ, quòd in Belgio, quòd alibi gentium visatur. Prætereo ipsi quoque deberi Fungum Coralloidem dictum, de quo cum Clusius rescriberet, *mentionem*, inquit, *faciam in auctario ad Exoticorum Historiam, quam spero brevi publici iuris facere, Fungi cognitionem tibi acceptam relaturus.* Heic nondum dixi Varium tantoperè fuisse illius consuetudine delectatum, ut donec fuit Aquis-Sextiis, continenter penè habere commensalem voluerit. Quin habere etiam voluit peregrinationes, rusticationesque cum illo communis; & cum sub Iulij initium profectus est Massiliam, ut Carolum Neouillam Alincurium Ex-legatum Regium Roma redeuntem inuiseret, illum comitem in via facundum consalutaturum deduxit. Cum destinaret autem pergere Parisios, insinuauit ipsi an-non vellet Urbem, aulamque cognoscere. Ipse nihil quidem sibi esse magis in votis professus est, & maximè in tanti viri augustissimo comitatu: at obstare dixit voluntatem Patruj, qui paratum aliàs negotiorum causâ eò discedere, id abnuisset, prætulissetque Fratrem proximè discessurum. Scilicet in Regis consilio tum agitabatur negotium circa solutionem Talliarum, ut vocant, ad quam Riantiensis contendebant ratione fundorum quorundam Reginaldum Patrem teneri. Enimuero Varius sese curaturum

recepit, ut ipse potius destinaretur, réque ipsa Patruo persuasit tenerum nimis esse affectum, iniuriámque esse, non benevolentiam, arcere tantam indolem à consummatione virtutis. Itaque Patruo, propter viri auctoritatem, consentiente (nam Pater alioquin votis filij numquam apertè repugnauit) dedit sese Peireskii in comitatum Varij, Augusti mensis initio, annóque huius sæculi quinto. Incredible autem dictu quàm citò Parisiis inclaruerit, partim virtutis propriæ, partim Varij commendatione. Primus, quem gestiit salutare, Augustus ille Thuanus fuit, tum ut ob summam humanitatem, ageret coràm gratias; tum ut ab illo acciperet, si à Scaligero quid haberet. Quantâ verò lætitiâ exceptus ab eo fuerit, exprimi non posse ipsemet narrauit. Aperta nimirum statim Bibliotheca tum priuata, tum Regia; apertum quicquid monumentorum ad contexendum historiam asseruabat in scriniis; apertum cor, & viscera sinceritatis miræ profusa. Ipse, tum plura edocuit, quæ ille de viris in Italia cruditis expetiit; tum, quia nonnihil desiderabatur ad conscribendum eorum elogia, recepit se per literas ex amicis consequuturum. Cùm iteratò illum inuisit, accersitus illicò fuit Isaacus Casaubonus, cui sub Thuano commissa erat Bibliothecæ Regiæ custodia. Is à primo statim congressu, nescias an magis suspexerit, an amauerit illum magis. Nimirum tam multa accepit, edoctúsque ab eo fuit, ut nec publicè, nec priuatim per familiareis lite-

ras tacere id potuerit. Nam primùm quidem edens 1605.
 Notas ad Epistolam Gregorij Nysseni, quæ est ad
 Eustathiam, Ambrosiam, & Basilissam, meminit
 nummi ærei Rogerij Regis Siciliae, quem, inquit,
inter multos Arabicè inscriptos, cum variis figuris di-
uersorum Principum nobis ostendit Fabricius de Petris-
co Senator Aquis-Sextiensis, vir eruditissimus. Deinde,
 cum Peireskii illi detexisset errores apud Vrsi-
 num, & Goltzium, qui Iacobo Stradae, potius
 quàm numismatibus fidentes, corruerant varia
 ex gentilitiis nominibus aliquorum Imperatorum,
 inter triginta Tyrannos sub Gallieno recensito-
 rum, ac nominatim MARCI PIAVONII VI-
 CTORINI, ET LVCII ÆLIANI, (ex
 quibus illi MARCVM AVRELIVM, VICTO-
 RINVM, & SPVRIVM SERVILIVM LOL-
 LIANVM, contra fidem numismatum, quæ ipse
 ostendit, commenti immeritò fuerant) Casaubo-
 nus gratias amplissimas egit, ac pergens; Oro te,
 inquit, *per amicitiam nostram nuperam, sed antiquis-*
simam, si per te licet; oro te, inquam, quæ habes eius
generis mihi communices. Omnino quam ingrederis viam
 illustrandi eas tenebras, certissima est, & unica. Ex-
 pectabo magna aviditate quæ supra huiusmodi *Συλλο-*
γιστής magnus Scaliger obseruauerit: sed auguror etiam
 post illius messem tuo spicilegio fore locum. Est enim
 cuiusdam felicitatis incidisse in eos nummos, qui in
 illa caligine lucem tibi affulserunt. Sed ne sum proli-
 xus, excerpto duntaxat quæ in hæc verba ad illum
 scripsit, vno, alteroq; post anno. Deum precor, ut

1605.

tanto Musarum Patrono omnia lata, ac fausta largiri velit. A te autem peto, ut qui semel tua beneuolentia me dignum iudicasti, etiam porro eandem mihi impertiaris, hoc est, rogatus facias, quod ultro cepisti. Ego me tibi & debere iam multa sentio, & debiturum etiam plura non despero, si tibi dabitur aliqua occasio de studiis nostris bene merendi. Nescio an rescueris missum ad me fuisse à Serenissimo Duce Urbinati Codicem Polybij, cuius tu mihi index fuisti: itaque tibi cum primis id beneficium debeo, &c. Notum, ac inter eruditos celebrem virum heic refero, ut ex eo iudicium de cæteris facias. Nam quid memorem Frontonem Ducæum, Papyrium Massonum, & nonnullos alios, quibus salutem per ipsum dici à M. Velfero fuerat expetitum? Quid Nicolaum Fabrum, Iacobum Bongarsium, Scæuolam, & Ludouicum San-Marthanos fratres, Franciscum Pithæum Petri germanum, & alios penè innumeros, quibuscum ex eo tempore familiaritatem contraxit? Dicere præstat nullam fuisse Bibliothecam celebrem, quam euolutam non fecerit, ac præter memoratas quidem, San-Victorianam potissimum, in qua referebat se, cum multa alia, tum speciatim vidisse omnia Puellæ Aurelianensis acta, vindictasque, & effigiem, contexto ex iis magno Codice, iussu Abbatis contemporanei. Sic & complura meminerat, quæ obseruârat in priuatis, ac nominatim Ioannis Iacobi Memmij Roissij, viri indole generosa, & tam virtute propria, quàm genere, & prole illustris, qui etiamnum uiuit. fœlici

senecta princeps Comitum consistorianorum. Itém-
 que Renati Poterij Episcopi Bellouacensis, quem 1605.
 prædicare solitus erat rarâ doctrinâ spectabilem.
 Ac rursûs Pauli Petauij Senatoris summè laudati,
 cuius commendabat quidem supra mille MSS.
 codices : sed faciebat tamen Cimeliarchium pluris.
 Cùm ipsum autem videretur esse cumulatissimum;
 voluit tamen sponte augere variis Regum numis-
 matis tam primæ, quàm secundæ Stirpis. Dedit
 nempe quædam, in quibus nomina Regum lege-
 rentur, v. g. Clotarij coronâ gemmeâ redimiti,
 (Constantini scilicet more, qui pro laurea gem-
 meam vsurpauerat) quædam in quibus Comitum, sub
 quibus numi fuere cusi, vt *FILAPARII Rhemen-*
sis, cum inscriptione *REMVS FIT*. Pari ratione
 commendabat Francisci Oliuarij Fontanæi cimelia,
 ac libros. Ex Cimeliarchio autem Regio, cui Ba-
 garrius iam præerat, æquum sanè fuit nihil ipsum
 latere. Probauit porrò consilium, quo Francisci Pe-
 rerij nobilis Aquensis promptuarium præclaris ci-
 meliis instructissimum transferendum in illud erat:
 quippe multa adhuc deesse agnouit, vt dignum
 Regio nomine meritò existimaretur. Quia verò in-
 ter cætera Bagarrius illi ostendit Amethystum per-
 elegantem, in qua cælatus Solonis vultus celebris
 illius Dioscoridis Augusti cælatoris manu; ideò ce-
 pit ansam edocendi ipsum quidnam sibi vellent fo-
 ramina in Inscriptione, quam ostendit, obser-
 uata hæc serie,


1605.



Edifferuit enim esse forulos, in quos fuissent inserti clavi continentes Græcas ex metallo literas, quæ cælatoris illius, seu ΔΙΟΚΚΟΥΡΙΑΔΟΥ exprimerent nomen: sed ordine retrogrado, vt proprium est cælaturarum. Id autem manifestum fecit, vbi depictis in alba charta, vti mox est factum, foraminulis, lineas interdixit, quæ eas literas in hunc modum exprimerent,



Sic se interpretatum dixit foramina quædam, quæ visebantur Assisij in antiquo nescio quo Templo. Cùm enim nemo dicere posset ecquid illa significarent, diuinavit ipse inscriptionem esse, seu dedicationem factam ΙΟΒΙ ΟΡΤ. ΜΑΧ. idque demonstravit per lineas foramina sic connectentis.



Sic speravit se interpretaturum seriem quandam foraminum Nemaufensis Basilicæ, quam Quadratam Domum appellant, vbi cætypum obtinuisset. Sed

Parisijs vt rēgrediamur , vix publicum vllum monumentum fuit, quod in examen non reuocārit, de quo iudicium non tulerit. Quippe altero statim mense, ex quo in eam urbem accessit, literas dedit ad Flayosceum, quibus scripsit se nondum quidem monumenta priscorum Regum San-Dionysiana inuississe: sed iam tamen falsi conuicisse Tumulos constructos tum Clodouæo ad Sanctam Genouefam, tum Chilperico, & quibusdam alijs ad Sanctum Germanum. Et paucis pōst diebus, cū eos expendisset, qui ad Sanctum Dionysium, Nihil potui comperire, inquit, quod ante Diui Ludouici tempora satisfecerit; existimōque omneis illos antiquissimos tumulos tempore eodem, nec multò ante D. Ludouicum constructos. Qui autem placuit maxime, is est nostratis Margaretæ, sororis nimirum Beatricis primogenitæ, S. Ludouici vxoris. Denique commendans vetera figilla, quæ coram inspexit, cętypisque expressa tulit, ex Archiuis Abbatiarum S. Dionysij, S. Germani, S. Mauri, & cęterarum, vt in quibus continerentur germanæ effigies Karoli Magni, Hludouici Pij, Hlotarij Imperatoris, Pipini Regis Aquitanix, Karoli Calui, Karoli Simplicis, aliorumque Regum ex secunda stirpe, Hęc sanè, inquit, satis refellunt tumulosque, & statuas hęc Principibus confectas ante quadringentos, aut quingentos annos. Nihil non adiiciendum esset circa aliarum rerum studia: quoniam nihil extare accepit ex mirabilibus seu artis, seu naturæ operibus, quod non studiosè spectauerit, veluti ædificia, opificia, machi-

1605. nas, plantas, animalia, fossilia, omnia denique obseruatu digna. Hæc inter, varia officia quæ propè, quæ procul literatis exhibuit; & cùm anxie requisuisset ex Paulo Seruita, ex Scaligero, ex Casaubono, ex eruditis aliis ecquid nouissent de Iuueno Cælio Callano Dalmata, cuius Codicem MS. de Attilæ vita Venetiis absportauerat; is, vt ederetur, animuin
1606. applicuit. Anni sequentis incunte vere, ac breui in Prouinciam redituro Varo, non multo labore obtinuit, vt liceret sibi inuisere Angliam, comitatu præfertim virum illustrem Antonium Boderium Regium Oratorem illò destinatum. Neque id modò Varius est passus, sed laudato proposito (in quod etiam conspirârunt Thuanus, Memmius, Mericus Vicus, amici alij) recepit sese curaturum, vt Pater, Patruúsque factum comprobarent. Discedentem voluit Peireskius Aureliam vsque deducere; vnde priusquàm regrederetur, spectauit attentius tum prisca Ecclesiæ S. Crucis vestigia, quæ vetustatis esse duxit mille, vt minimùm, annorum: tum præter alias statuas, imaginésque tam Karoli Septimi, quàm Ioannæ puellæ, videre eas voluit, quæ in Municipali Curia asseruari perhibebantur; sensitque speciatim effigiem, qua Rex est depictus cum barba, & San-Michaëliano torque, non esse vndequaue fidam. Inibat porrò iam mensis Maius, cùm discedente Boderio, ipse paucis diebus retardatus fuit, coactus veredis postea subsequi, vt Caleti assequeretur. Cùm soluissent, perpauci fuère ex vniuerso comitatu, quibus ex nauis agitatione, halitúque maris stomachus non

non fuerit submotus. Peireskius, cum id præcaueret, cæteris relictis, ad malum confedit, vbi & melius habuit. Causâ requisitâ, respondit agitationem minimam illa in parte fieri; quamobrem se eò declinasse, ne nausearet, vt cæteri, qui longè magis, tam ad proram, quàm ad puppim agitentur. Appulsus in Angliam, ac postquàm præeunte Oratore Iacobum Regem salutauit, carus ipsi habitus est, accersitusque ab eo non semel. Admissus est etiam in conclaue, seditque inter primores Comites in solemnino quodam Conuentu per ea tempora celebrato. Ad viros doctos quod attinet, quos seu Londini, seu Oxonij, seu aliis in locis conuenit, primus fuit ille de sua Britannia benè meritus Guillelmus Camdenus, apud quem cum aliquando sermo incidisset de antiquitate Britannicæ linguæ, ad quam Aremorica spectat, & præsentè Doctore Tato, post rogatas circa complureis variarum Galliæ regionum voces, requisisset etiam quid Arelate, quid Tolonum significarent, responsum tulit, Arelatem eâ linguâ dici ciuitatem in vliginoso loco constitutam; & Tolonum citharam, fortè ob vicinum promontorium, cui Citharistes nomen fuit. Accepit & id genus alia, ex quibus penè deductus fuit in Strabonis, Taciti, aliorumque sententiam, qui scripserunt Gallos, & Britannos eadem primitus lingua vsos. Alter fuit Robertus Cottonus, inter curiosos, optimèque animatos conspicuus. Deinde tam Iacobus Collius, quàm illius socrer Matthias Lobellius, regius Botanographus, quem vtrumque deuinctum voluit. Post-

1606. cā Albericus Gentilis, Henricus Sauilius, Ioannes Nordenus, & plerique alij. Non tacendus verò eruditus tum iuuenis Ioannes Barclaius, quem quanta benevolentia prosequutus fuerit, intelligetur inferiùs. Dolere autem solebat non agnitos sibi nec Guillelmum Gilbertum auctorem libri de Magnete, nec Thomam Lydiatum celebrem Mathematicum. Non heic memorabo Bibliothecas varias, in quibus rariores libros obseruauit; non Musæa, in quibus vidit, & ex quibus comparauit quicquid pretiosum licuit. Magni verò ducebat præ cæteris gemmam, centum & quinquaginta libris Turonicis emptam, propter cælatum Aëtionem cum Tiara Phrygia, quem Patrem Andromaches Hectoris vxoris argumentabatur. Referam solùm, quia maturiùs, quàm concepta spes, discedere voluit, ideò maximum fuisse factum ipsius desiderium, & in familia Oratoris, & apud eruditos viros, qui cum postea variè ipsius meminerint, sufficiet heic excerpere quod memoratus Camdenus habet in descriptione Britannix, cum de numismatibus ad rem suam pertinentibus verba facit. *Cuiusmodi, inquit, non alibi effossa hætenus audiui, priusquam nuperrimè nobilissimus, & in re nummorum antiquaria longè doctissimus, & perspicacissimus Nicolaus Faber Petriscius eiusmodi in Gallia reperta mihi ostendit. Et commoratus quidem fuisset nonnihil ampliùs in Anglia: sed quia treis duntaxat mensese abfuturum promiserat, idcirco post mensem discessit in Hollandiam, quam ab vsque initio (sed planè tamen tacitus) constituerat perlustrare. Quo*

discessurus tempore fuit, adiungere se illi voluit nobilis turba iuuenum, qui ipsi quoque fuerant ex Gallia Boderium sequuti. Verùm illi quidem ad arma, aliáque studia diuerterunt; ipse perrexit requirere eruditos præsertim viros. Ac salutauit quidem primùm quos Middelburgi, Dordraci, Roterodami, Delphis, Hagæ celebrari acceperat: sed id tamen tum in transcurso solùm, quoniam præcipua illi cura inuisendi Scaligerum Lugduni Batauorum degentem. Constituerat cum ipso primùm quasi ignotus colloqui: quamobrem nomine mutato epistolam commendatitiã, quasi à Peireskio conscriptam, missãque illi obtulit. Scaliger autem eã perlectã, ipsum est humanissimè in Peireskij gratiam complexus. Post multos confertos sermones, & productos obiter libros, voluit Peireskius ex nescio quo paucas lineas exscribere: vbi verò ille chartam, calamùmque exhibuit, ac inter dictandum primas lineas characterem vidit, & *ιδροδειας* agnouit, tum in amplexus proruens, gratiosissimè conquestus est fraudem. Cùm deinceps variis de rebus colloquerentur suauissimè, Scaliger inter cætera declarauit velle se quidem iteratò procurare editionem Eusebij (nempe non planè arridebat quæ iam tum primùm absoluebatur) itémque paterni in Aristotelis de Animalibus commentarij: sed esse tamen animum redeundi postea in Galliam, & apponendi ossa sua Iulij parentis ossibus. Cùm excepisset autem Peireskius non esse illum igitur *επεροδδξοι* moriturum, illacrymatus Scaliger verbum ea de re non

adiecit. Interpretatus illi Peireskii numismata varia, ac præsertim Siclos, donatus est, inuitus licet, singulari Semisclo, cuius ille præ cæteris interpretationem fuerat demiratus. Donauit ipse multa vicissim, & quod fuit illi iucundissimum, exhibuit, quam detulerat, expectatam ichnographiam, cum inscriptis carminibus sepulcrorum Scaligeranorum. Scilicet eam demùm superiore Martio Veronâ obtinuerat, nec pluribus literis datis habere prius potuerat, ob varios morbos Nichezolæ, & quod Syluius Donius, qui illam aggressus primus fuerat, inter perficiendum obiisset. Vnum, de quo Peireskii auebat interrogare Scaligerum, & non est tamen vnquam ausus, ne rem molestam faceret, fuit opus illud Cyclometricum, seu de Circuli quadratura ante duodecim annos in lucem emissum, ac statim à Francisco Vieta, Adriano Romano (postea quoque à Christophoro Clauio, hominum Societatis *IESV ΠΑΜΑΤΕΧΝΗΤΩ*) aliisque in eo puluere exercitatissimis erroris conuictum. Nimirùm præmonitus fuit non posse illi eam camarinam sine quadam bile moueri. Quod attinet verò ad Genealogiam, non professus est quidem se subdubitare an reuerâ attineret ad Veronensis Principes, quorum stirpem ille in se desituram asseuerabat: sed paullò tamen liberius, & quasi vellet quid cæteris responderetur, accipere; proposuit ipsi quæ à Scioppio, Guillandino, aliisque fuere obiecta. Post Scaligerum cura fuit inuisendi Karolum Clusium, quem octogenario maiorem podagra tum primùm tentabat, vt & primùm Scaligerum exer-

cuerat , ante paucos menses. Deprehendit autem imprimi curantem in Appendice altera exoticarum plantarum figuram Fungi Coralloidis , quem ad illum ex Prouincia , cum aliis penè innumeris plantarum , radicum , seminumque generibus transmiserat. Commodum etiam illum admonuit circa Indicas quasdam plantas , in quibus describendis errasset , & quasdam , de quibus nihil audiisset , idque prolatis commentariis iuxta ostensos sibi Parisiis à Vespasiano Robino fructus. Inuisit quoq; post Clusium , præcipua Academicæ lumina , ac speciatim iniit amicitiam cum Bonauentura Vulcanio , qui circa Procopij versionem tum occupabatur ; cum Dominico Baudio , qui ad peritiam historiæ adiciebat poëseos elegantiam , & cum nonnullis aliis. Dolere verò solitus fuit , quòd per ea tempora abfuisset Lugduno Daniel Heinſius , quem non semel audierat à Scaligero commendari. Fuit deinceps Amsterodami ; vbi fatiari vix potuit interrogando , & cognoscendo tam multa præclara , & rara , quæ ex vtraque India in id emporium conuehuntur. Fuit Encusæ , vt spectaret illeic celebre illud Bernardi Paludani Cimeliarchium , in quo non ægrè tulisset , tanquam ad Cyaneos scopulos consenscere. Redeundo , nonnihil Hagæ commoratus , discedere noluit ; quin prius agnouisset Hugonem Grotium , quem , tamenſi adoleſcentem , eruditio planè matura , ac omnigena commendabat. Diuertit verò Scheuelingam , vt exploraret veſtationem , & velocitatem Currus eâ solertiâ à paucis annis excogitati , vt passis velis in littore

1606. nauigij instat euolaret. Inaudierat nempe Comitem Mauritium post Neoportuensem victoriam experiundi gratiâ illum conscendisse, vnâ cum capto in prælio Francisco Mendoza, ac intra duas horas attingisse oppidum Puttenum, quod inter, atque Scheuelingam horaria milliaria quatuordecim intercipiuntur. Quare ipse quoque experiri voluit, commemorarêque solebat stuporem, quo correptus fuerat, cum vento translatus citatissimo, non persentisceret tamen (nempe tam citus erat, quàm ventus) cumque animaduerneret scrobeis occurrenteis præteruolari; restagnantes passim aquas superficie tenus duntaxat attingi; qui antecedeabant cursores visos quasi retrorsum niti; quæ distantissima apparebant, momento penè præteruchi; & quædam id genus similia. Delphis iucundè exceptus fuit ab Abrahamo Gorkæo, quem fortè offendit cælari curantem Græca quædam numismata, quorum aliquot miserat Parisiis, oblati priùs ad vsque mille, quæ ex Italia adduxerat. Satagebat nempe Gorkæus complere illa Paralipomena antiquorum numismatum, quæ promiserat in Dactyliotheca; quare & commisit Peireskio descriptionem breui prælo subiiciendam, vt pro suo candore eam expenderet, &, quâ opus foret, duceret lituras: ipse autem morem bona fide gessit, correxitque potissimum nescio quid scriptum circa Traianum. Quo loco narrare solebat rem memoratu non indignam, nempe Gorkæum, cum aliàs Latinæ linguæ non studuisset, intellexisse tamen libros omnes circa rem nummariam Latinè conscriptos;

eodem modo, quo Forcatulus omneis circa rem Ma- 1606.
 thematicam : tantum valet improbus labor ex desi-
 derio quidpiam noscendi vehementissimo profectus.
 Vidit etiam Delphis superstitem adhuc Religiosam
 quandam ex eo tempore, quo Hollandi à Catholi-
 co-Romana religione defecerant ; viso prius Ultra-
 iecti Canonico in primæua sua professione viuere
 permisso. Cùmque suspexisset non modò quicquid
 antiquissimorum ad conclusa illa Rheni ostia mo-
 numentorum superest ; sed etiam quicquid domi-
 natio Burgundionum Ducum expressum reliquit ;
 tum miratus maximè est , maximoperèque laudauit
 temperasse sibi Hollandos ab euerfione Templorum,
 & asseruasse intactos Choros, cum affixis insignibus
 Equitum aurei velleris à Philippo vsque Bono insti-
 tuti. Cæterùm redire voluit per Brabantiam , Flan-
 driam , reliquasque Belgij Prouincias , impetratis
 prius ab Hollandis , & ab Archiduce liberi com-
 meatus libellis. Accessit autem primùm Antuerpiam
 circiter finem Iulij , inistque ibi amicitiam cum An-
 drea Schotto , & Carolo Scribanio ex Societate
 IESV viris eruditis : itémque cum Auberto Miræo,
 Ecclesiæ Decano, rerum Belgicarum, ac totius Hi-
 storix Ecclesiasticæ eximiè perito ; & cum Nicolao
 Roccoxio rei antiquariæ impensè studioso ; & cum
 Henrico Sedulio auctore vitæ B. Elziarij. Cùm de-
 inceps Machliniâ peruenisset Louanium, nihil æquè
 doluit , ac non fuisse amplius in viuis Iustum Li-
 psium , præclarum illud bonarum literarum lumen
 ante paucos menseis extinctum. Sperârat enim sese

illum non minùs, quàm Scaligerum omnibus officiis breui deuincturum. Doluit pariter non adesse per eos dies Adrianum Romanum Mathematicum illum celebrem, quem gestierat summoperè cum Scaligero conciliare. Postquàm inuifit Academiam, doctòsque, qui in illa viros, uifere uoluit apud uiduam Medici cuiusdam cornutos duos lepores, qui ex Noruegia dicebantur allati. Et quia reperit mortuum alterum, obtinere quouis pretio & illius cornua, & geminorum iconifmum uoluit. Bruxellæ amicitiam iniit cum Karolo Bromantio, Comite Brouæo, & quibusdam aliis; at fufpexit potiffimùm celebrem Pictorem Venceflaum Cobergeum, qui tum habebat præ manibus infigne opus quadripartitum de Architectura, de Pictura, fcripturæque antiqua, de Deorum imaginibus, de Numifmatis, feu mauiis Medaliis, aut metallicis æncis à Iulio Cæfare ad Gallienum ufque. Memorabat porrò varios circa parteis fingulas confertos cum illo fermones, maxime autem circa poftremam, propter Cobergei opinionem, quòd Medaliæ huiufmodi monetales eflè non poffent; argumento præcipuo, quòd tyfus feu forma, qua ferirentur, fignarenturque, elaborari non poffet ante duos menseis ab artifice; adeò ut, cum plures ducentis percuti eodem typo non poffent, pretium operæ fuiffet longè fuperaturum monetæ ualorem. De colloquio, memini folùm obieciffe Peirefkium, ufurpatam fuiffè Seruorum induftriã, quæ pretio non redimeretur; & excepiiffe Cobergeum, rem peractam fuiffè cum Serui edicto

edicto pröhiberentur non modò quidpiam pingere, 1606.
 sed pingendi etiam addiscere artem. Bruxella disces-
 surus, scripsit ad Cottonum epistolam pereruditam,
 misitque simul ectypos variorum nummorum, ac
 nominatim Commodi, ob inusitatam scripturam
 vocis BRITANIA, per duplex TT, & simplex
 N. Salutare voluit exinde Gandavi Laurentium
 Deebrotium, quem in Italia nouerat. Infulis Flo-
 rentium Nallæum, eruditum Canonicum, antiqui-
 tatum Liturgicarum auctorem. Tornaci Dionysium
 Willerium Canonicum, & Cancellarium, ac Hiero-
 nymum Winghemium similiter Canonicum; il-
 lum rerum antiquarum instructissimum, istum stu-
 diosissimum rariorum Plantarum. Duaci Guillel-
 mum Richardotum Ioannis Præsidis filium, quicum
 ex vsque Italia colebat amicitiam; & Andream Ho-
 ium Professore Græcum, abs quo memorante ac-
 cepti quàm iucundè suauissimis Peireskij, ac Richar-
 doti confabulationibus tertius interfuisset. Enim ve-
 rò præ cæteris referendus hoc loco est eximius Prin-
 cepts Karolus dux Croius, & Arschotanus, qui ipsum
 totis decem diebus in celebri domo Bellimontana de-
 tinuit, continuò spectantem vt innumera, ita raris-
 sima cimelia, ditissimásque metallothecas, quibus
 curiosissimus, eruditissimúsque ille exornauerat no-
 bilissimum Musæum. Quin discedentem etiam coë-
 git absportare omnia, quæ habebat antiquorum
 Galliæ Regum tam aurea, quàm argentea numifina-
 ta; itémque ex Græcis ad vsque sexaginta; præter
 aliquot vascula, ponderáque, & mensuras antiquas;

1606. cùm tamen nihil aliud à Peiresckio accipere voluerit, quàm æreum nummum Ioannis illius, qui Theodosij, ac Placidij Valentiniani temporibus arripuit Imperium. Quo loco venit in mentem, aduexisse illum ex Flandria numismata Gallorum Regum, ex prima quidem Stirpe quadraginta aurea, præter varia argentea; & ex secunda quinquaginta argentea, præter vnum aureum Ludouici Pij, quod æstimabat maximi, quoniam non modò rarissimum, sed etiam parùm aberat, quin singulare arbitraretur. Instabat tùm tempus, quo perhibebatur celeberris fore cæremonias ad Fontem bellaqueum, in Delphini Principis, hoc est Regis Franciæ Primogeniti, baptismo. Videlicet illius sponfor dicebatur Pontifex Summus, ac nomine Pontificis Maffeus Barberinus Nuncius. Quamobrem sub Augusti finem discessit ex Belgio, ac satis tempori adueniens solemni pompæ interfuit, quæ peracta est die mensis sequentis vigesima quarta. Renuntiatum intereà est obiisse domi Nouercani, expectarique eius rēditum variis rebus componendis. Quocircà amicis quæ coram, quæ per literas salutatis, regressus in Prouinciam est sub initium alterius mensis. Domi exceptus non abnuuit consilium, quod Pater, Fraterque potissimùm sumperant (nam Patrus non nihil repugnârat) coëmendî ipsam Riantij Baroniam, cuius quia Valauesum erat subcliente-lare prædium, idcirco fuerat litigiorum benè multorum seminarium. Heinc ipse et curam assumpsit paciscendi, contrahendique cum Ludouico Grollæo Medullioneo Marchione Brissiaci, càmque ob caus-

sam in Delphinatum versus illum profectus est, re- 1607.
 diitque confecta re, sub initium sequentis anni, qui
 fuit salutis millesimus sexcentessimus septimus. Cum
 rediit, multis quidem rebus præclaris incubuit, sed
 nulli iucundiùs, quàm procurandæ multiplici vesti-
 giorum vrbs, portùsque Carthaginienfis descriptio-
 ni. Nimirum non alia ratione summos Auctores
 intelligi, conciliaris que posse putauit; cogitauitque
 ea re gratificari Casaubono, quicum de Portus præ-
 fertim situ, formaque differuerat, neque illius ta-
 men dubiis nouerat esse factum satis. Scripsit præ-
 terea copiosè ad Alardum Compendiensem Cano-
 nicum circa rem monetariam, ac inter cætera, de
 vsu Aurei Solidi in Gallia ad tertix vsque Stirpis ini-
 tium, ostendendo viginti duos huiuscemodi soli-
 dos pependisse integram libram (tametsi quam vo-
 cant monetalem libram ex viginti solùm constaret)
 ac demonstrando Solidum non semper pro duode-
 cim tantum denariis argenteis oblocatum fuisse, sed
 nonnunquam pro pluribus, etiam ad vsque quadra-
 ginta. Inuasit illum intereà morbus oculorum mo-
 lestissimus, à quo medio vere vix fuit liberatus. Cæ-
 pit tunc illum Patruus vehementer extimulare, vt
 sese ad adipiscendum destinatam pridem Senatoriam
 dignitatem compararet. Ingrauescebat enim vale-
 tudo, infestabantque maximè articulorum dolores,
 quibus leniendis statuerat ad balnea nostra Dinien-
 sia ante ætatem accedere: sed timens ne quid for-
 tè sibi humanitùs contingeret, constituerat simul
 ex vrbe non antè decedere, quàm Nepotem coopta-

1607. tum inter Senatores vidisset. Et necessebat is quidem semper quàm gratiosè poterat, moras; sed ipsum die quadam, tacito consilio, deduxit ad Varium, ut iuberetur illius ore sese necessario examini subiacere, Senatuque aggregare. Tum ratus Peireskii nihil amplius cunctandum, postulavit solum octiduum, ut rem maturius aggrediretur. Medius erat Iunius, imminébátque anniuersarium, trimestréque Curia Parliamenti iustitium: quocirca festinandum fuit, cum examinari, approbarique, nisi pro Comitibus curiatis, non posset. Itaque paratus accessit, seseque probavit conuocatis Classibus ad vi. Kalendas Quintileis. Proposita ipsi Lex fuerat ex sexto libro Codicis, qua Gordianus sanxit ab eo, qui neque legatum, neque fideicommissum, neque hæreditatem, vel mortis causâ donationem accepit, nihil posse per fideicommissum relinqui. Eam porro cum exponeret, oblitus non fuit, quod à Valerio, & Sallustio de Scipionis Æmiliani facinore proditum est, qui à Masinissa Numidiæ Rege sibi coniunctissimo totius Regni hæres testamento nuncupatus, enixéque rogatus, ut ipsum inter quinquaginta quatuor superstites filios æqualiter herisceretur, egregiè adco id præstitit, ut ne minimam quidem rem sibi retinendam putârit. Non item oblitus quod Aristoteles in Politicis detestatus est tam Carthaginensium, quàm Locrensiū instituta, quorum alij patrimonia æqualia habebant, alij quæ habebant, vendere non poterant, ut antiquæ hæreditates penes familias diutius starent; quoniam,

præter incommoda cætera , heinc efficeretur , vt ciues inopes tam in expectandis , quàm in possidendis patrimoniis forent. Cætera mitto , vt attingam qua præsertim re admirationem sui creârit. Nempe tamerſi quod ad theoriam , quæſtionésque Iuris spectaret , existimatus fuerat paratiſſimus adfuturus ; quod attinebat tamen ad vſum , iudiciorúmque formulas , creditus non fuerat perinde inſtructus. Sed nimirùm neque Pariſiis , neque Aquis-Sextiis , occasionem vllam prætermiſerat ſciſcitandi pragmatikos , cognitorésque , & ſtructores litium , ac reducendi in commentarios quicquid aut ex ipſorum ore , aut ex inſpectis instrumentis , ſaccularibúſque copiis didiciſſet. Profecerat etiam conſilio , exemplóque optimi , conſultiffimíque Senatoris Antonij Thoronij , dictionem nullam in toto formulario iure intactam relinquens , cuius notationem , cauſámque non noſſet , vt vſum meliùs eliceret , animóque infigeret. Vt paucis expediam , mirus fuit applauſus , mirúmque elogium , quo fuit denique Patribus conſcriptus. Inardefcebat deinde Patruus deſiderio veniendi Diniam , ſed obſtitit increſcens morbus , inualeſcénſque Solis feruor : proxima quippe erat tempeſtas dierum Canicularium , per quos ab uſurpandis balneis , thermíſque mos eſt abſtinere. Auebat etiam Peireſkius vnà cum Patruo accedere ; tum vt obſequio continentem gratitudinem teſtaretur , tum vt hanc partem Prouinciæ nondum ſibi viſam luſtraret ; tum vt Baronem Flayoſceum interuiſeret , qui ducta in vxorem filia vnica Guillelmi Falconij Di-

1607. niensis Profenscalli, apud socerum morabatur. Ab-
 nuit tamen id Patruus, seu ne absisteret à iure di-
 cundo in Classe per ferias statuas delecta; seu ne dis-
 cederet à Vario, qui illum abs se abesse ægrè patie-
 batur: seu ne curam dimitteret, qua rogatus fuerat
 præesse Cayero pictori in obducendis laqueatæ Au-
 ditorij Palatini contabulationi Gallorum Regum
 Iconibus. Ipse nimirum solus par fuit suppeditare
 maximam quandam germanarum iconum seriem,
 quam ex numismatis, sigillis, sepulcris, vitris, aliis-
 que, huiusmodi monumentis deduxerat: memin-
 que, cum veram faciem Hugonis Capeti diù deside-
 rasset, dixisse non semel habere se gratiam optimo
 viro Augusto Galandio, quòd illam ab eo obtinuis-
 set, ectypo sigilli expressam. Discessit ergo Patruus
 sine eo, post Caniculareis exactos. Enimverò Varius
 rem gratam utrique factururus, constituit per Septem-
 brium mensẽ vnà aduenire, adducereque Peiref-
 kium, vt vnà Patruum inuiserent, vnàque regionem
 spectarent. Et nonnulla quidem obseruanda illis oc-
 currerunt antiquitatis vestigia: sed nihil mirabilius
 visum nostratibus Thermis, in crypta subrupea, quam
 aquæ calentis prætercurrens alueolus sic feruefacit,
 vt lenissimè sudorem educens, mire conferat pitui-
 tosis, frigidisque humoribus; idque præsertim vbi
 illi dispositi prius ad exsolutionem fuerint Balneo
 quodam, Virtutum dicto, ob singularem energiam,
 mirabilisque, & desperatas aliis remediis curatio-
 nes. Optabant porrò illi quidem prætereà spectare
 Serpentes, ex obuersa Austro, ac præcella rupe, ad

cuius radicem sunt Thermæ , Balneaque deciduos, 1607.
& maximè quidem quia innoxij , expertesque veneni sunt : verùm illi non decidunt , nisi Maio , ac Iunio , & ferè quidem copulati , dum prurientes variè discurrunt , èque rimis in rimas subeuntes ad præcipitium non attendunt. Faciam heic fortè rem non ingratham hominibus nostris , si duo quædam commemorâro , quæ edifferentem Peireskium audierunt. Vnum apud Petrum Trichaudum , San-Martinium Inquisitoris classis Præsidentem , qui solitus Dinia per ætatem degere , illum cum Vario domo excepit. Cùm enim causa exquireretur caloris aquarum Thermalium , & Guillelmus Alamandus doctus Medicus esse diceret non actu , sed potentiâ ignem ; excepit ipse debere potiùs esse ignem actu ardentem in cauernis illis subterraneis , quæ exinde incalescentes aquam præterfluentem feruefacerent ; neque enim seu bitumen , seu sulphur , seu aliam materiam potentiâ solùm calidam excalefacere aquam seu traiectam , seu infusam , etiam vitriolo , halinitro , aliisque huiusmodi mineralibus turgescentem. Adiecit fumos , seu vapores ex aquis thermarum in fissuras rupium subeuntes ita Serpenteis afficere , vt veneni generationem seu impediunt , seu corrigant ; eadem ratione , qua in Ponto idem facit vsus absinthij , ex Plinio. Qui Plinius quidem , cùm aliunde non improbet venenum serpentum in felle esse , & serpentes congressuri dicantur fel euomere ; mirum non videri , si quo tempore Serpentes isti coeunt , deciduntque , veneno careant. Alterum,

1607. apud Antonium de Bononia Episcopum, qui sequenti die vtrumque, ac etiam Trichaudum conuiuio excepit. Cùm enim ex ostensis sibi à Flayosceo in duobus Sacellis maioris Ecclesiæ tam Porcellitanis, quàm Villanouanis insignibus, edisseruisset tempora, quibus Prælatos optimos ex iis familiis habuimus; incidit sermo de tempore, deque titulis, quibus Auenio, Comitatusque Venascinus ad Pontificem Maximum peruēnit. Cùmque alij nihil scirent aliud, quàm factam à Ioanna Regina Clementi sexto venditionem, anno supra millesimum trecentesimo quadragesimo octauo, ac die nona Iunij, pretio Florenorum octogies mille; retexuit ipse totam historiam ab anno vsque ducentesimo nono, quo Raymondus tertius Tolosatum Comes hærescos Albigenensium fautor, & Legati interfecti auctor creditus, fuit ab Innocentio tertio iterùm excommunicatus. Inde enim cœpit ditione spoliari, ac post annos nouem-decim transactio Parisiis sic fuit inita, vt Alfonso illius filio sola vrbs Tolosa, cum paucis adiacentibus cesserit; cætera ultra Rhodanum loca ad Regem attinuerint; quæ citrà verò possidebantur, ad Pontificem spectârint. Cùm homines autem eiusce regionis non satis lubentes id ferrent, quòd Romam passim prouocarentur, ac ideò Alfonsi partibus fauerent, Bonifacius quidem octauus prouocationes illas remisit, Clemens verò quintus, vt ampliùs demereretur animos, etiam sedere illeic voluit; & cùm, post Ioannem vigesimum secundum, Clemens Sextus Pontifex foret, facta

facta est venditio eorum iurium, quæ Comitibus Pro- 1607.
 uinciæ erant, à partitione vsque facta inter Ray-
 mondum Berengarium Comitem Prouinciæ, & Al-
 phonsum Comitem Tolosæ, anno supra millesim-
 um centesimo vigesimo quinto. Et hæc ille qui-
 dem, plurâque differuit, ac denuò comitatus est Va-
 rium triduo post redeuntem. Patruus postea, vt re-
 stitutam valetudinem tueretur, & vt tranquillius de-
 geret quicquid æui supererat, non Aquas-Sextias,
 sed Belgenferium, dum regrederetur, contendit. Oc-
 currerat illi Peireskio, ac non modò deduxerat, sed
 lateri etiam eius adhærere, neque à præstandis obse-
 quiis recedere statuerat: verùm non tulit Patruus,
 voluitque vt potiùs rediret Aquas-Sextias propter
 Remigalia, quibus fit Curia instauratio. Rediit er-
 go Peireskio, ac tantò minùs pœnituit, quantò au-
 dire licuit Varium sua illa oris suauitate de Lite, &
 concordia, deque amore Iustitiæ, Magistratuùmque
 perorantem. Deinceps verò ita cœpit suo defungi
 officio, vt desiderari nihil posset. Tametsi enim
 Varius, cum pensa curialia distribueret, nollet initio
 inspectorem multarum litium designare; quarum
 tamen paucarum curam illi commissam voluit, eas
 ipse ita solitus fuit otiosè, acutèque, & per omnes
 numeros, ac momenta iuris perpendere, vt confe-
 ctis instrumentorum enucleatissimis breuiariis, ex-
 planatissimè deinde, & summa cum fide ad Curiam
 referret. Cum verò alio expositore ferenda erat sen-
 tentia, mirè lætabatur, si tempus ad deliberandum
 daretur, aut controuersia commentarios præhabe-

1607. ret à partibus ; pudebat enim , nisi foret communiendo suffragio instructissimus , calculum conferre. Rursus autem , quoniam persæpe ob litium anfractus animo pendebat , conuenire solitus erat memoratum Thoronium , qui scrupulos eximeret , nec dubitabat etiam Vario grauiores causas proponere , qui ob eximiam grauissimi , sanissimique iudicij perspicuitatem eas illustraret. Agebat verò id præsertim in vespertino colloquio : iam tum enim Varius singulis noctibus aduocabat illum in frugalem cœnam , vt sermones conferere , sepositis arbitris , posset. Cæterum , quia nescius erat tempus frustra conterere , idcirco satis supererat , vt bonas artes excoleret , & cum doctis viris tueretur commercium. Inter cætera , procurauit exquisitam fieri anatomiam magnæ cuiusdam Testudinis (longitudine nempe cubitali) quam è Martigio mari eductam pisciculis nutrierat , à mensibus circiter tribus. Cùm singularia verò multa in ea dissectione obseruata fuerint , tum illa non postrema , Quòd omoplatæ anteriorem , non posteriorem habuerint situm. Quòd arteria aspera fuerit longitudinis semicubitalis , diuisaque in tres ramos , tribus à pulmone procùl digitis , ac ramulos quosdam ad renes , & vesicam vsque producens. Quòd eadem annulos habuerit omninò , siue vndequaque (etiam versus œsophagum) perfectos , & cartilagineos , larinxque epiglottide destituta constitit. Quòd non ex sola vena porta venarum distributio in interanea fuerit , sed plurimæ etiam ex reliqua caua hepatis parte prodierint ; ex eadèmq; parte

cholidochus porus processerit geminus in dodeca-
 dactylon intestinum. Quòd nulla distinctio graci-
 lium, crassorumque intestinorum, nulla cæci dicti
 appendicula, nullus item lien, nullus adeps circum-
 uestiens cor (tamen id aquæ pericardio conclusæ
 innatauerit) & id genus nonnulla alia. Detexit aliunde
 non longè ab vrbe insignem quandam copiam
 non humanorum modo ossium naturæ factorum la-
 pideæ, sed variorum etiam animalculorum, itémque
 stirpium, foliorum, florum, similiúmque huiusmodi:
 quam confestim distribuit per vniuersam penè Eu-
 ropam. Adiecit autem tessellas quasdam, seu lapi-
 des Rhomboidaleis, tum rubeos, tum crystallinos
 (videlicet ipsius talchi, seu specularis lapidis specie)
 ex Riantiensi agro effossos, eaque in re mirabileis,
 quòd dum exsoluuntur in minutiores particulas, par-
 ticulæ quæque tuentur rhomboidalem illam figu-
 ram. Quin-etiam mittens Parisios, adiectam voluit
 congeriem diuersissimam conchyliorum, & piscium,
 qui monstrosâ formâ in mari Mediterraneo visun-
 tur: itémque pellem felis marini, & innumera alia,
 quæ destinauit præsertim ad pictorem celebrem Da-
 nielem Monsterium, à quo expectabat icones Va-
 rij, Thuani, Casauboni, atque Malherbij. In Ita-
 liam cum mitteret, nominatim verò ad Gual-
 dum, accepit magno suo dolore obiisse Baro-
 nium, deque lamentabili casu ad Flayosceum, &
 alios scripsit. Cum verò in Belgium, condoluit
 Villerio ob iacturam ab ipso factam Hadrianei nu-
 mismatis, in cuius auersa parte ex Villerij quidem

1607. sententia fuerat Phœnix exhibitus, ex ipsius verò Peireskij interpretatione, Ciconia. Argumentatus autem id fuit, ex proceritate crurúmque, & colli, cùm Phœnix soleat potius Aquilæ instar repræsentari: prætereaque ex serpente ipsi ad pedes appposito, & ex inscriptione P A T R I, qua designata fuerat Hadriani erga Traianum pietas: denique ex quibusdam aliis satis luculentis indiciis, quibus consolari adnixus est virum, monstrando rem deperditam non fuisse adeò, atque ille existimauerat, raram. Sic consolatus etiam est circa iacturam Iaspidis Argæum montem referentis; idque egens ipse tum quoque consolatione aliqua, quòd famulus quidam suffuratus fuisset numismata aurea primorum Imperatorum, & onychas, gemmâsque alias elaboratissimæ cælaturæ. Incidit interea Claudius Patruus in morbum lethalem non longè à Regalibus sequentis anni millesimi sexcentissimi octauis. Inuiserat illum Peireskius per festa Natalitia; & quia valentem reliquerat, ideò mira consternatione renuntiatum excepit casum, qui septimo die à decubitu carissimum abstulit caput. Constituerat optimus Senex cor, & intestina Belgenferij condi, reliquum verò corpus Aquas-Sextias in maiorum suorum sepulcrum transferri. Id itaque parentatione, magnâque pompa præstitum est, inuitatâ Curiâ actione (vt tum moris erat) panegyrica per Ioannem Petrum Oliuarium Senatorem optimum, & assensu factò per Varium oratione alia eximia, quæ inter funebreis habetur, inque editione posthuma est numero decima sexta. Ad
- 1608.

eius calcem videre licet quanti Peireskium fecerit, 1608. cum tantoperè commendauit studium, quo Patruus talem delegerat, parauerátque successorem. Nescio an dici debeat, quod demirata tota vrbs est, fidissimum defuncti canem affectatione perpetua circumstitisse feretrum, non potuisse per plureis dies amoueri à tumulo, & postquam domum reductus fuit, coram icone diù constitisse. Peireskius, sedato nonnihil dolore, sese, ut priùs, ad functionem Senatoriam composuit; paríque modo non destitit bonas horas succidere in gratiam libetalium & studiorum, & studiosorum. Nam primùm quidem varias ad varios amicos literas perscripsit; sed prolixiores tamen nullas, quàm ad Lælium Paschalinum, circa Vrsini lapsus, circa Francorum Regum icones, sigilla, numismata, titulos (conuictis specialiter iis; qui Karolum Pipini filium vsurpasse Magni cognomentum arbitrarentur) circa statuas thymelicas, circa suum Aëtionem, quem cum Velferus opinaretur pictorem esse, cuius Lucianus in Herodoto meminit, perstitit ipse in sententia, propter tiaram Phrygiam, seu insigne regium, quod ad Patrem Andromaches duceret potius referendum; circa columnas Herculeas, portum Ostiensem, & cætera curiositatis inexhaustæ. Ita egit cum Fontanæo de re nummaria; & cum Strada specialiter de numismatibus antiquis: cum Claudio Frereo libellorum supplicum Magistro, & Gratianopolitani Senatus postea Principe, de historia Francica: cum San-Marthanis Fratribus de Genealogistica; cum Pignorio de Purpura; cum Nico-

1608.

lao Fabro, cùmque aliis de rebus sexcentis. Deinde innumera fuere, quæ obseruauit circa genera piscium reiectanea, quibus Martigij, alibique condendis curam demandârat; quæ circa conchyliâ, circa plantas, circa lapides, circa cætera (quæ rursus variè distribuit) maximèque cùm per Aprilem diuersatus est Belgenserij, vnà cum Vario; vbi de prolatis compluribus rebus, quas ille nondum viderat, est suauissimè collocutus. Etenim sermo habitus est de Lapide cæruleo, in agro Olbiensi reperto, è quo eiusdem cognominis color extrahitur, vti etiam ex marmore lapidem lazulum imitante; de lapide item Coralloide stellato, de Coralloide punctato; de Lepadite, seu Lepadi conchæ vniualui non absimili; qui omnes fuerant eruti ex agro Castelletano. Rursus de Conchite striato, quem ex agro Antipolitano, ac Fossensi habuerat; de Gagate, & Succino flauo, eruto ad turrim Beuontiam. Huius occasione edisseruit Succinum rem fossilem esse. Quippe in Sicilia quoque effodi, & torrentium impetu detegi, deferrique ad mare usque, & repellente maris aqua, in littoribus sæpè inueniri. Probabile proinde esse, vt quod expiscantur ad Balthicum mare, vi aquarum erutum, translatumque eò fuerit (maximè verò cùm eodem modo plerumque contineat conclusas muscas, cæteraque id genus animalcula.) Quare & fabulosum esse, quod aliqui narrant, arbores prægrandis esse in Noruegia, ex quibus id Succinum, quasi gummi quoddam decidat, concreseat, atque induretur. Enimverò toto hoc anno nihil magis placuit, quàm quod ob-

seruauit, ac philosophatus est circa pluuiam Sanguineam, quam decidisse rumor percrebuit sub Iulij mensis initium; conspicuis nempe maximis guttis, tam in ipsa vrbe, ad parietes cæmiterij maioris Ecclesiæ, quod est prope muros; quàm ad muros ipsos; ac rursùs, ad parietes villarum, pagorum, oppidorùmque, ad aliquot milliaria circumuicinarum. Nam primùm quidem accessit ipse ad inspectandum guttas illas, quibus lapides rubescebant; nihilque non egit, vt alloqui posset quos agricolas memorabant vltra Lambiscum sic fuisse percussos ex decedente pluuiâ, vt derelictis operis in vicinas ædeis citi aufugissent. Deinde, cùm fabulam esse, quod de viris huiusmodi proditum fuerat, comperisset, non placuit illi quod Physici referrent huiusmodi pluuiam ad vapores è rubra terra sublimè euectos, & post concretionem deciduos; quippe vi caloris eductum vaporem absque colore sursum ferri; vt vel constare potest ex eo, qui eductus ex rosâ rubeis in limpida aqua concreuit. Minùs etiam placuit, quod vulgus, ac nonnulli Theologi opinarentur facinus esse Dæmonum, Strigùmve, à quibus fuissent infecti innocentes infantuli; scilicet hoc esse meram coniecturam, fortassisque etiam Dei bonitati, prouidentiaque iniuriam. Succurrit porrò interea casus, ex quo sibi met visus est germanam causam detexisse. Quippe ante aliquot menses concluderat pyxide inuentam quandam Chrysalin, magnitudine, formaque insignem. Eius cùm ampliùs non meminisset, excitari bombum inaudiit intra pyxidem, cæque ad-

1608. aperta, deprehendit chrysalin, deposito spolio, factam ex cruce papilionem pulcherrimum, qui statim auolauerit, reliqueritque in fundo guttam rubeam, amplitudine Solidi vulgaris. Quoniam verò id contigit circiter idem mensis initium, ac per idem tempus obseruata est Papilionum confertim per aërem transuolantium incredibilis multitudo: idcirco opinatus est papiliones huiusmodi interquiescenteis parietibus distudisse illic, quasi excrementum, guttas simileis, magnitudine videlicet pareis. Quare iteratò accessit, comprobauitque guttas illas non supra ædificia, non in deuexis lapidum superficiebus existare, vti debuerat contingere, si è cœlo sanguine pluisset; sed in subcauis potius, ac in foraminibus, vbi animalcula potuerant quasi nidulari. Accessit, quòd parietes iis tingebantur, non qui in mediis oppidis, sed qui agrorum vicini erant, neque secundum partem elatiores, sed ad mediocrem solum altitudinem, quantam volitare papiliones solent. Hac ratione proinde est interpretatus, quod Gregorius Turo-nensis refert de pluuia sanguinea Childeberti tempore conspecta Parisiis, in diuersis partibus; & in domo quadam territorij Syluanectensis. Itémque quod memoratur temporibus Regis Roberti sanguine pluuisse, circiter finem Iunij; adeò vt sanguis qui cecidisset super carnem, vellem, lapidémque non posset aquâ elui, posset verò qui super lignum. Quippe idem fuit papilionum tempus, & recentes quoque has guttas elui non posse vllâ aquâ è lapidibus comprobatum est. Hac, & similia cum apud Varium magnâ

magnâ coronâ edisseruisset , placuit simul rem explorare , contigitque vt cum variè per agros incederent , guttas quoque multas deprehenderint in lapidibus , rupibusque : sed ad cauas tamen , subuexâsve , non verò cœlo obuertas parteis. Accepit deinde ex Italia , & transmisit statim ad Thuanum elogia doctorum quorundam virorum , vt Hieronymi Columnæ , Gabrielis Faerni , Cruceij , & similibum , quorum ille voluerat in sua Historia meminisse. Rogârat aliunde ipsum Scaliger , vt instauraret commercium , quod per P. Ostagerium hospitem olim Masfilix suum instituerat in Oriente , coëmendis Samaritanis , Ægyptiacis , Arabicis libris ; dolens quòd à quindecim annis , quibus degeret in Hollandia , nihil prorsùs inaudiisset de Pentateucho Samaritano , cuius sibi procurandi Ostagerius fuerat pollicitus studium. Peireskio ergo , cum priùs quidem aliquid ea in re tentasset , tum tamen incumbendo acriùs , eiusmodi librum inter plures alios in Ægypto coëmi , afferrique ad se mandauit. Verùm nauis , qua uehebatur , à piratis direpta est , recuperarique is liber non potuit. Ita priuatus Scaliger fuit exoptatissimo Codice , vt etiam nunquam est assequutus expectatissimum responsum , quod Peireskio ab eius morte venit fœliciter in manus. Scripserat nempe Scaliger ad Samaritanos Ægypti , itémque ad magnum eorum Sacerdotem Eleazarum in ciuitate Sichemo morantem , quæsierátque ex ipsis varia circa obseruationem Sabbathi , aliorumque festorum ; circa Messiam , cuiusque apud ipsos nomen ; & ad extre-



1608. mum, exemplum Legis, Pentateuchive poposcerat. Ac ipsi quidem geminis Epistolis responderant; sed quòd illæ in Genebrardi, aliorúmque manus incidissent, detentæ sunt, donec, Scaligero mortuo, Peireskius & obtinuit, & per virum impensè doctum Ioannem Morinum è Congregatione Oratorij, latinas fieri nuper curavit. Curam quoque eo tempore euocandi Pacium resumpsit, & quod est ampliùs, efficiendi ne diutiùs in Religione heterodoxa perseveraret: at nimis multa interuenerunt, quæ sollicitudinem variam, variòsque conatus fecere rursùm irritos. Aberat per ea tempora Valauesius frater Parisiis, ob Riantiensia negotia: & quia ipsi aliquot mensium intercedebant induciæ; ideò rogauit illum Peireskius, vt, vel sui causâ, inuiseret Angliam, Belgiumque, & amicos illic suos salutaret, quæ donaria misit, offerret, rara quædam nancisceretur. Orauit etiam quam-maximè Aquis-granum contenderet, vt quicquid illic monumentorum Caroli Magni superesset, attentissimè inspectaret, inscriptiones exscriberet, icones quasque in Ecclesiasticis seu libris, seu vitris, seu vestibus, seu lapidibus, seu quibusuis aliis rebus impressas exprimi curaret; locorum, ornamentorúmque ichnographiam non negligeret, diplomatum apographa, sigillorum ectypa, prece, pretiòve obtineret. Adiecit se sic pœnitere, quòd in Hollandia cum versaretur, Aquis-granum non diuertisset, vt nisi Fratri consideret, paratus esset definire, neque alio nomine eò suscipere profectionem. Fecit porrò Frater abundè, & satis, mira sollicitudi-

ne, sedulitate, fide; cùm ipse interea post initum annum est digressus Monspelium, ob illa eadem negotia: scilicet Marchio Oresonius Bressiaco litem intenderat, ob diuenditum Riantij ius plenum. Redierat medio circiter vere, dolorem dentium infandum perpeffus, cùm non longè post incidente patre in periculosissimum morbum, contraxit ipse quoque febrim, quæ diuturna admodùm fuit, cessansque sic languidum fecit, vt vix denique per autumnum penitus conualuerit. Quo loco referendum est, quòd retulit ipse non semel. Cùm ciborum non appetens, fastidiosusque, tabesceret, rogasse Iacobum Fontanum clarum medicum, eiusque affinem, annon aliquid demùm esset, cuius esum appeteret. Annuente ipso aliquid esse, sed quòd se non impetraturum, haberet compertissimum; institisse illum, id modò, quodcumque foret, significaret. Cùm dixisset autem, Pepones: tum excepisse medicum, maeste, bonoque animo esto; neque enim permitto modò, sed adhortor etiam, ac præcipio, addòque, vt nonnihil meri præassumas, postassumasque, & absque pane, aliave re ad initium pastus, in stomachum mittas. Obsequutum igitur fuisse, adeoque benè inde habuisse, vt deinceps, ac donec vixit innoxie semper eadem ratione pepones esitauerit. Conualescens variis officii studiosos varios adiutavit, veluti Ioannem Taxilem Arelatensem Medicum, nescio quid de ea noua stella, quæ per memoratam magnam conjunctionem apparuerat, meditantem; Gasparem Bricium in eadem ciuitate parochum; virum bonum,

1609. industrium, & cælestium obseruatorem. Ioannem Baptistam Hansenium, quem nouerat Romæ in erudita familia Cardinalis Baronij, cuiusque procurârat, ut toto triennio foret Gymnasiarcha Aquensis. Atque istos quidem, aliôsque demeritus est, valetudine adhuc dubia, remissiorêque solùm morbo; cui contrahendo, producendôque non contulit parùm iactura trium amicorum insignium, qui in Hollandia elati sunt. Eorum primus fuit Scaliger, qui manum iam admouerat commentationi de Hebræis numismatibus, cùm laborare hydrope cœpit, ex intemperie iocinoris, quæ quarto demùm, aut quinto mense, ipsum, die Ianuarij vigesima prima, oppressit. Alter fuit Clusius, qui non tam podagra recenti, quàm debilitate naturæ, die quarta Aprilis interiit. Post-huma huius opera, siue Posteriores curas edidit curator testamento datus Franciscus Raphelengius, mentione sæpè facta Peireskij, cuiusmodi illud, *Allata est ex Guinea in Galliam Spica non dissimilis precedenti, nucule Indicæ fructibus constans, cuius iconem nobilissimus, & amplissimus vir Nicolaus Fabricius dominus de Peiresc, Aquis-Sextiis in Gallia Prouincia Senator ad Clusium miserat. Et postcà, Sequens Tragacantha icon, quæ nobis transmissa est ex Gallia Prouincia, nempe Aquis-Sextiis, ab amplissimo, & nobilissimo viro Nicolao Fabricio, Domino de Peiresc, Consiliario Regio in supremo Senatu Aquensi, cum literis ad clarissimum Clusium.* Tertius fuit Abrahamus Gorlæus, à quo non potuit cœptum opus Paralipomenon absolui. Parùm porrò abfuit quin hisce amicis Varius quartus

accesserit. Is per iustitium Septembri mense concesserat Antipolim, ut possessionem eius loci regio acquisiti patrimonio, Regis nomine adipisceretur. Cum inuisisset verò Fratrem, Petrum nempe Varium Vintensem Episcopum, incidit in febrim periculossimam, ac mense penè diuturniorem. Hanc Peireskio cum accepisset, teneri vix potuit, quin, laborans licèt, laboranti accurreret. Cum non posset tamen, mira sollicitudine, vel potiùs anxietate fuit, ut quocumque modo operam præstaret. Cætera inter, scripsit Massiliam, ac exstimulavit Carolum Cassaneum clarum Medicum, appararique illi curavit & rhedam, & lembum, ut seu terra mallet, seu mari, eò expedite aduolaret. Missitavit penè in singulos dies, qui exquisita quædam seu remedia, seu edulia ferrent, & quis foret status morbi renunciarent. Cùmque primùm facta est spes melioris valetudinis, sellam misit gestatoriam, quam domi habebat commodissimam; tametsi ille non potuit, nisi vectorio lecto reduci. Dum vterque deinceps residua autumnò conualescerent, dièsi que totos in colloquiis familiaribus ducerent, putaf-ne illorum sermones nihil habuisse eruditionis? Vnum præterire non possum, qui fuit postmodum aliquoties à Peireskio commemoratus, cuiusque occasione, etiam post eius obitum, superfuit quidpiam peragendum. Ansam fecere Conuentus varij, qui toto Regno Principis iussu habiti recens fuerant, ut de condendis perpetuis circa Monetarum valorem, vsùmque Statutis deliberaretur. Cùm enim ante septem annos statuisset publico edi-

1609. Cito, ut aureus Solatus antea oblocatus sexaginta solidis, valeret exinde sexaginta quinque; euenerat iam, ut pro septuaginta, & pluribus commutaretur. Itaque Vario sententiam poscente, respondit Peireskii vix esse sperandum, ut proserpens malum fisti vnquam posset. Causam enim esse commercium cum vicinis nationibus, apud quas aurum cariùs, quàm apud nos redimeretur. Nam tum quidem aurum nobis esse in proportione ad argentum non omninò duodecupla; apud Hispanos verò, exempli causâ, in plusquam tredecupla esse, idque edicto recentissimo, quo Rex Hispaniæ auri valorem decima parte adauxerat, intacto valore argenti. Qua in resanè non fuerat Principem nostrum imitatus, qui maiore solidorum numero aurum æstimans, maiore quoque æstimauit argentum, ne proportio illa euariata censeretur. Subiunxit, tametsi non modò Rex noster, sed etiam Rex Angliæ, cæterisque Principes nouis edictis eam proportionem euariarent, promouerentque; euenturum tamen, ut singulis æmulatione quadam vel aurum pluris facientibus, vel ipsius pondus, aut certè internum argenti valorem, imminuentibus, res definiri nunquam posset. Scilicet nunquam defuturas, vel bellorum occasiones, quibus, exhaustis ærariis, ad id remedium pro-uocaretur; vel nationes satis consultas, quæ puriores auri, argenti que species penes se seruare, aliundéve allicere hoc artificio procurarent. Et exemplo quidem esse posse Romanos, apud quos As æreus, Denarius argenteus, & Solidus aureus ita paullatim

fuère imminuti, vt postremò facti extra vsu fuc-
 rint; & Solidus ipse nominatim, qui cùm potuisset
 initio duobus Solatis exæquari; commutari demùm
 debuerit in speciem argenteam, quæ ipsa quoque sic
 degenerauerit, vt existimari possit in Solidum no-
 strum vsualem abiisse. Verùm ne tam procùl quære-
 ret exemplum, sufficere, si spectaretur vel vnus So-
 lati valor, qui intra centum postremos annos ita in-
 creuisset, vt decrecente simul interna bonitate so-
 lidi, duplo solidorum numero iam æstimaretur.
 Non esse verò probabile, vt deinceps consisteret,
 sed futurum haud dubiè, vt intra paucos annos tri-
 plò, quadruplòque incrementum acciperet, Solidus-
 que intereà non imminueretur modò pondere, sed
 euaderet etiam planè æreus, tunc pondere quoque
 suo decessurus. Nec verò vana fuit coniectura: quan-
 dò iam Solatus à nuperis annis taxatus est solidis
 centum quatuor; idque Ediçto publico, cuius occa-
 sione ipse, cùm foret adhuc superstes, adnotauit au-
 ri ad argentum proportionem proximè quindecu-
 plam esse. Sed ad colloquium vt redeam, cùm re-
 tulisset obiter Assen initio pependisse libram inte-
 gram, seu duodecim vncias; ac diminutum deinceps
 fuisse ad vsque duas, ad vnã, ad minus: Denã-
 rium, cùm tempore Regum pependisset trientem
 vnciæ; sub antiqua tamen Republica pependisse so-
 lùm sextantem, sub recentiore partem septimam,
 sub primis Cæsaribus octauam, seu drachmam (At-
 ticæ nempe drachmæ æqualem:) Solidum denique
 principio fuisse partem libræ trigessimam octauam,

1609.

postea quadragesimam, quadragesimam quintam, quinquagesimam, & ita deinceps: tum requisivit Varius, qui illæ Libræ, seu Vnciæ à nostratibus diffiderent? Excepit Peireskius, sibi ea in re nondum penitus factum satis. Nam habere se quidem pondera antiqua librarum triginta, decem, trium, singularum, quæ cum libra Parisiensi senum denum vnciarum zygostatica comparasset; sed comperisse tamen solum vncias Romanas duodecim, decem circiter vnciis Parisiensibus æquari. Circiter, inquam; nam nunc excessum, nunc defectum excurrere ad tres, quatuor, & quinque drachmas. Tametsi verò doctus Budæus proportionem præscripsisset proximè sesqui-alteram, quod putaret libram Romanam semuncia superadditâ libræ Marcæ, seu octo vnciis Parisiensibus æquam esse; attamen se varios Denarios antiquiores, integriorésque, quàm Budæo fuissent ad manum, ad eandem libram exegisse, deprehendissetque libram Romanam cum semuncia decem Parisiensibus vnciis, ut minimùm, æquipollere. Non audere tamen adhuc rem discernere; quod illi quoque denarij passim fuissent intertrimentum, expectareque donec Româ impetrauisset modulum Congij, qui à Vespasiani usque tempore in Capitolio consecratus, extaret, adseruareturque in Farnesiano Palatio, ac decem librarum vini, aut aquæ pondus continens, prodere posset quotnam libris, vnciisque Parisiensibus tale pondus æquaretur. Probauit ille, rogauitque æquam putaret Congij ad nostrates liquidorum mensuras esse analogiam? Peireskius
verò

verò dixit id quoque determinandum ex modulo; 1609.
 interea verò putare se continere Congium tres circiter Potus (sic enim in Prouincia vocantur, quæ Parisiis Pintæ, cum hæc illis minores sint) liceréque etiam id explorare, si constiterit quæ proportio inter Romanum Pedem antiquum, & nostrum quem dicimus Pannum, seu maui Palmum, intercedat. Romani nempe, vt Amphoram Congij octuplam definirunt magnitudine pedis cubici; ita Congij capacitatem dimidio pedis cubico definitam esse voluerunt. Heinc non vnum quidem duntaxat, sed duos quoque modulos Congij temporis progressu obtinuit: verum nunquam satis vacauit rem pro voto expendere, & postquam posteriorem obtinuit, citò nimis interiit, rem certo certius exploraturus. Cæterum quia nos, quantum licuit, illius curam supplēuimus, nescio an, si dixerimus, nimia sit futura digressio. Tenemur certè gratificari hominibus nostris, qui non modò pondera, mensurásque illas inter se, sed cum nostratibus etiam à Peireskio comparatum iri sperârunt. Vt paucis ergo res dicatur, cautiones adhibuimus easdem, quas Lucas Pærus, & Villalpan-dus; dum vas ipsum ad summum collum puteali aqua oppleuimus, expendimus, vasis pondus subduximus. Deprehendimus autem aquam, quæ Romano pondere esse debuit decem librarum, seu vnciarum centum viginti, esse pondere Parisiensi (quale nempe Parisiis exploratum, missumque est) librarum septem, minus vnciæ quadrante; seu vnciarum centum vndecim, & quadrantum vnciæ trium. Deinde

q

1609. ex hac proportione collegimus vnciam Romanam continere grana quingenta, & triginta sex, qualium quingenta septuaginta sex in Parisiensi continentur; vnde & illis in drachmas collectis, obuenerit cuilibet drachmæ grana sexaginta septem: idque proinde censuimus pondus Denarij Cæsarei, quem dictum est fuisse drachmalem. Adhæc difficile non fuit valorem huiusce Denarij, & cæterorum consequenter, ac monetæ cuiuslibet, monetâ nostrâ exprimere, & à recentiore præsertim Edicto, anni nempe M. DC. XXXVI. Cùm ex præscripto enim argenti valore, atque pondere colligamus argenti vnciam æstimari solidis Turonicis sexaginta quatuor: idcirco Denarius Romanus valebit septem solidis, ac denariis turonicis quinque, cum triente eiusdem turonici denarij (sicque parum prorsus excedet valorem Regalis Hispanici) & tale fuisse intelligetur non modo apud Romanos, sed etiam apud Græcos, ob parem Denarij, Drachmæque valorem, militum stipendium in singulos dies. Quinarius proinde, siue Victoriatus valebit tribus solidis, cum denariis turonicis octo, ac denarij besse; Sesterlius vno solido, cum denariis decem, ac triente denarij. Et quia, verbi causâ, Siclus Hebræorum fuit, ex Iosepho, Tetradrachmalis, seu denariorum Romanorum quatuor; idcirco valuit solidis similibus viginti nouem, cum denariis turonicis nouem, ac triente. Vnde & quia triginta vocati Denarij, quibus Christus Seruator à proditore Iuda diuenditus legitur, triginta Sicli fuisse videntur; ideo Pre-

tium colligitur librarum turonicarum quadraginta quatuor, ac solidorum tredecim, cum denariis quatuor. Quod spectat ad comparationem cum Prouinciali pondere, obseruauimus illam eandem aquam, siue Romanas libras decem pendere libras Prouincialcis nouem, cum vncix triente; seu vncias centum quadraginta quatuor, & trientem vncix. Obseruauimus aliunde libram Parisiensem cum prototypica Nostrate collatam continere ipsam semel, cum quatuor vnciis, & vncix besse. Sed notandum Zygotatam Stateras ita temperare, vt versus numerum centenarium, singularum librarum pondus singulis vnciis adaugeat, propter detrimentum earum mercium, quæ cumulatim emptæ, minutatim venduntur: adeo vt quæ centum libræ Parisienses æquiponderarent nostratibus centum viginti nouem, cum triente, exæquentur solùm centum viginti duabus, quatuordecimque vnciis, cum besse. Cùm liceat verò mensuram Romanam tam cum Parisiensi, quàm cum Prouinciali ex ponderibus comparare; addo duntaxat nos comperisse quatuordecim Pintas Parisienseis adæquari Potibus nostratibus vndecim; & liquidorum Modium, qui Parisiis continet Pintas ducentas octoginta, continere nostrates Mellereolas quatuor, cum potibus viginti octo: continente Mellereola Potus duodequingenta, quorum quilibet pendit Prouincialeis libras treis, cum quadrante. Ex quibus elicies Congium continere Potus nostrates duos, cum sextis ferè quinque; seu Parisienseis Pintas treis, cum semisse proximè: intelligesque,

Q ij

1609. exempli gratiâ, quantum biberit, qui treis vini Congios vno haustu siccaſſe coram Tiberio legitur; unde & Tricongij cognomentum tulit. Habebis rurſus quantum menſurarum noſtrarum contineat Vrina Congij quadrupla, Amphora octupla: quantum Sextarius ſexta pars Congij, & Semi-ſextarius pars duodecima, aliàs Hemina, ſeu Cotyle dicta. Vbi notabis, ſi lubeat, videri Pariſienſis appellare quartam Pintæ partem Semi-ſextarium, quod illa ad Semi-ſextarium Romanum proximè accedat. Dixi porrò obiter liquidorum Modium: nam alioquin Modius aridorum conſtans ex centum quadraginta quatuor Buxeis, ex quibus quatuordecim deprehenſi ſunt id ſtatuerè Onus, quod nos ex quinque Heminis, Pannalibúſve decem conſtituimus; talis inquam Modius æquiualeat noſtris Oneribus decem, pannalibúſque proximè tribus. Atque hæc ſunt quidem, quæ homines noſtros ſcire præſertim attineat; niſi adhuc adiiciam diuiſiſſe nos Pedem Pariſienſem ex prototypo deſumptum in mille particulas, obſeruaſſeque Palmum noſtratem, qui octaua Cannæ pars eſt, continere ſolùm ex iis partibus ſeptingentas ſexaginta treis: Pedem verò Romanum antiquum nongentas & ſex; ne memorem Anglicanum continere nongentas triginta treis; Hollandum nongentas ſexaginta ſex; Lugdunenſem, & Gratianopolitanum mille, & quinquaginta duas; Bracchium Florentinum mille octingentas, & duas; verùm de his nimis iam multa. Ad Peireſkium redeo, qui ſtatim inſequentè anno milleſimo ſexcenteſimo deci-

mo est rursus profectus Monspelium. Cùm rebus autem prosperè gestis, ineunte iam Maio rediret, insomnium illi contigit, quod aliquoties mihi enarrans solitus fuit præmittere se, si ab alio fuisset enarratum, non crediturum. Erat in eius comitatu Iacobus Raynerius Aquensis ciuis, qui in eodem cubiculo indormire solitus, indormiit speciatim intra id hospitium, quod vocitant Album, Monspelium, ac Nemausum inter. Somniauit autem Peireskius, ac nescio quid insolitum obmurmurare visus est: quare excitatus Raynerius, ipsum, ecquidnam noui esset rogitando, expergefecit. Tum ille, proh, inquit, quam gratum, bellumque excussisti somnium! Quærente Raynerio, quid-nam rei foret, somniabam, inquit, me esse Nemausi, oblatumque mihi fuisse ab Aurifice numisma aureum Iulij Cæsaris, pretio scutorum quatuor; iamque eram illi, ad ipsum habendum, numeraturus pecuniam, cùm excitante te importunè, & ex oculis Aurifex, & ex manibus Numisma euauit. Exinde, somnium nihil moratus, discessit Nemausum, & cùm prandium appareretur, per ciuitatem digressus est. Casu autem planè stupendo in Aurificem ecce incidit, ex quo dum requireret, si quidpiam fortè rarum haberet, habere se ille respondit Iulium Cæsarem aureum. Rogauit quanti eum venderet; responsum, pretio scutorum quatuor. Itaque id pretium statim numerauit, acceptoque Iulio, suum somnium fœlicitate mira compleuit. Mira, inquam; nam faciliè quidem cogitare Nemausum potuit, quò sequente luce erat

1610. accessurus : potuit illud Iulij numisma , quod vigilans sapius exoptauerat : potuit id repertum in ea ciuitate , in qua tot Romanæ antiquitatis vestigia : potuit apud Aurificem , ad quod genus hominum vulgè referunt qui talia effodiunt : potuit valorem mediocrem , quo aurifices potius , quàm Antiquarij ista pendunt ; potuit scutatorum quatuor , quo moderato pretio aurifex posset esse contentus : denique potuit Aurifex , & Nemausi quidem , ac eo pretio habere nummum : verùm hæc omnia concurrisse , & euentum somnio ita respondisse admirabile prorsus est. Non is autem erat Peireskius , qui propter eam somnij causam præternaturalem putaret , vt fortè fecisset , si sapius contigissent similia : sed cum nosset fortunæ lusus , habebat duntaxat hunc casum inter eos , qui sua raritate stuporem apud vulgus creant , cuiusmodi etiam memorantur de Eudemo Aristotelis familiari ad Pheras ; de duobus Arcadibus ad Megaram , & de nonnullis similibus ; quamquam historiarum huiusmodi omnium penes auctores fides esto. Commoratus est deinde Peireskius aliquot diebus Arelate , vt præter aliàs obseruitata , exploraret curiosius monumenta quædam insignia ad monasterium Montis-maioris. Cùm inde autem discessisset , & iam Salonem accederet , attingit eum Cursor ab Archiepiscopo , qui renuntiaret mox inauditam Henrici Regis luctuosam mortem. Consternatus mirè , festinauit tamen , vt consolaretur Varium : dolorem quippè præsentens , quo nouerat percussam iri. Et sanè illius accessus leuamen ad-

hibuit non mediocre magno Viro, qui iam factum 1610. rescuerat, hominibúsq; & literis missis dare operam cœperat, vt vniuersa Prouincia in officio contineretur. Memorabile porrò est ab anni vsque initio, & priusquàm Peireskius Monspelium discederet, allatum ipsi fuisse ex Hispania Prognosticon annuum, siue Almanach ab Hieronymo Ollerio Beneficiato Barcinonensi compositum, & Nouembri superiore Valentix impressum, in quo non obscure prædictus lamentabilis casus foret. Sic ille nempe designârat & natiuitatis circumstantias, & euenta quædam præcipua, vt denotari alius Rex, quàm Magnus Henricus non posset. Illud Varius cum ostendisset, communicassétque prætereà cum Iosepho Galterio Priore, & Domino Valletæ, viro totius quidem Matheseos, sed Astronomicæ præsertim peritissimo, digna omnino visa est res, quæ, licèt Astrologicis prædictionibus non esset fidendum, non negligeretur tamen, tanquam sacrum attinens Caput, pro cuius incolumitate nulla cautio posset censerì superflua. Itaque Varius ex eo tempore ipsummet exemplum transmisit ad Regem. Ac prætereo quidem vt magnus, verèque generosus Princeps laudato Varij affectu contemplerit prognosticon: sed quia euentus comprobauit, ipsèque Ollerius aliud postea edens in sequentem annum, est propterea mirè gloriatus; idcirco taceri non potest, quod saltem dubium faciat ex ipsis Astris, an potiùs aliunde rem euenturam coniecerit. Nam de Astrologica quidem vanitate non est quòd hic loci.

1610. quidquam memorem, & maximè cùm euulgata ante treis annos Themata, nisi post' annos præterea quatuor, nihil ominarentur infaustum. Non is etiam sum, qui subdubitem habuisse Vatem cum prauo Genio, qui id præfagierit, reuelaueritque commercium: dico solùm potuisse ipsum aliqua ratione esse conscium machinationis illius, qua infandum adeò parricidium commissum est. Ea certè neque in Hispania, neque in Italia celari planè potuerat; nam etiam Regij Oratores, ac nominatim Venetiis agens ille virorum optimus Ioannes Bochartus Campinius, Regem iam illius præmonuerant. Comprobatur aliunde est Massiliensis nautas, quotquot ex Hispania ante duos menses aduentârant, retulisse rumorem fuisse in Hispania disseminatum, quòd Rex Francorum nunc occisus, nunc occidendus gladio foret. Narravit etiam Peireskius, scripsitque ad Malherbium, quod in hunc locum inferi possit. Memorabat nempe die Sabbathi, ac triduo post mortem Regis renunciatam, transisse Aquis-Sextiis illustrissimum Venerum ex Priulorum familia, qui fuerat Orator Parisiis, ac tum pergebat Orator Madridum. Cùm inuisisset autem Varium, sibi aliunde cognitum, enarrasse ipsi inter cætera, se Mediolano iter facientem salutasse illic Comitem Fontanum; & cùm Regiarum copiarum vim inter colloquendum exaggerauisset, tum excepisse Comitem, nihil sibi ex iis metuendum, quòd vnus hominis mors esset breui eas euersura. Sed temperandum ab istis est. Accepit subinde Peireskius scriptas à Pignorio tertiacius

cuis mensis die literas , quibus admonitus est dete- 1610.
 xisse Galileum inuento recens Telescopio magna
 quædam , admirandâque circa stellas spectacula , ac
 potissimum quatuor novos Ioui circumductos Pla-
 netas , quos Mediceos nuncupauisset. Scilicet ab
 ineunte usque superiore anno sexcentesimo nono Ia-
 cobus Metius Alcmariensis , dum varia vitra compo-
 neret , vt effecta experiretur , inciderat casu in eam
 conuexi , concauique comparisonem , ex qua , in-
 teriecto potissimum tubo , viderentur intuenti res
 paræ grandescere , & sepositæ admoueri , (vnde &
 illi prima defertur Telescopij inuentio ; tametsi Ioan-
 nes Baptista à Porta tale quidpiam iam euulgârat)
 Galileus verò ex solo rumore inuentionis ad se per-
 ducto , cœperat ipse excogitare tum causam effe-
 ctuum Telescopij , tum conficiendi artificium ; adcò
 vt post molimina , ac tentamenta varia , peruenisset
 tandem ad vnius exactissimi constructionem. Ipsum
 fuit , quo per primos duos anni decimi memorati
 mensis obseruationes illas peregit , quas titulo Si-
 derei Nuntij mense Martio typis vulgavit. Peires-
 kius ergo re cognita , magno cum ardore fategit , vt
 & librum , & Telescopium quam-primùm posset ,
 nancisceretur. Enimuerò cùm librum habuisset , ex-
 quisitum tamen Telescopium sortitus illicò non est ,
 quantumuis nonnulla impetrauerit tam ex Italia ,
 quàm ex Hollandia , ac etiam Parisiis , ex quo pri-
 mùm tempore elaborari illic cœperunt. Heinc est ,
 cur Iouis Satellitès ante Nouembrim detegere , ob-
 seruarèque nequiverit ; certè vt integram Choream

1610. censerî posset deprehendisse. Ex quo verò deprehendit, mirum quantâ lætitiâ id spectaculum fuerit contemplatus. Nam statim quidem rem demonstravit Varîo, aliisq; amicis; sed & ne tempus frustra abiret, apparauit obseruatorium, inuitauitque, ac sæpius per complureis dies detinuit memoratum Galterium, cùmque eo in obseruando biennium penè totum consumpsit. Erat adhuc frater Parisiis: quare illum sollicitare, varièque vrgerè nunquam destitit, donec vitra Telescopica confici curauit, misitque ad vsque quadraginta. Videlicet spes erat fore, vt consequeretur tandem optima, & cuiusmodi fuerant à Galileo vsurpata. Interea tamen aliquot reuolutiones speculatus, cepit cum Galterio consilium de Motuum hypothesebus, tabulisque concinnandis. Quamobrem Galterius eam Spartam aggressus, sic breui perfecit, vt exquisitè, quantum licuit, determinârît tempora, quibus singuli Medicei circumuolutiones proximè absoluunt, Extimus nempe diebus sexdecim, cum sexdecim horis: Sequens septem diebus, cum horis tribus, & semisse horæ: Tertius diebus tribus, cum tredecim horis, ac semisse itidem: Intimus die vnica, cum horis octodecim, ac simul semisse. Minutias non recenseo; quandoquidem licèt ad vsque secundas, vt Astronomi loquuntur, supputatæ fuerint; nihilominus dies docuit addendum quidpiam, demendumque: vt etiamnum quoque restat aliquid, quod obseruatio, ac diligentia temporum sequentium valeat emendare. Hæc solùm attingo, vt innuam, quàm vehementer Peireskius in id

incubuerit, vt res adhuc nascens in suo exortu perficeretur. Quippe delegit præterea virum industrium Ioannem Lombardum, qui obseruando operam conferret; ac eruditos adolescentes Petrum Robertum Medicinæ, & Ioannem Baptistam Morinum Philosophiæ candidatos, qui se Galterio addicerent, vt quia nimis molestum erat numeros omneis retinere, calculis præscriptis, ipsum subleuant. Obtinuit etiam obseruationes, quas præter Galileum, Ioannes Kepplerus clarissimus ille Cæsaris Mathematicus, aliique iam peregerant; vt ex illarum collatione perfici hypothefes possent. Curauit quoque elaborari Theoricen mechanicam, Peurbachianæ vulgaris instar; vt suppositis radicibus motuum, Mediceorum loca possent colligi in annos, menses, dies, & horas. Nomina præterea imposuit, quibus discerni singuli possent. Nam cum Galileus vniuersè Mediceos indigitasset, noluit ipse nuncupationem vlla ratione immutare; sed principes tamen delegit ex Medicea familia, quorum nomina inderentur. Quia debebat verò præsertim seruato familiæ honore Reginas duas inclytas, quas illa nostræ Galliæ dedisset, sideribus adscribere; ideò extimo planetarum Catharinæ nomen fecit proprium; alteri, qui præ cæteris eximiè resplendet, Mariæ; tum sequenti Cosmi maioris, & intimo Cosmi minoris. Cogitauit deinde tam Obseruationes euulgare, quàm Tabulas; sed quia accepit Galileum curis continentibus in id negotium incumbere; ideò ne videretur palmam illi debitam prærepturus, sese ab incepto con-

1610. tinuit. Denique venit illi in mentem adiutare Geographos in tradenda methodo Longitudinis inueniendæ. Quippe quia horum Planetarum sunt motus citatissimi, configurationesque per singulas nocteis variæ; ideò cogitauit, si illæ, quibus contingunt momentis, in diuersis locis ad ortum, occasumque obseruarentur, posse, pro temporum varietatibus, exquisitè designari intercapedines locorum: possèque adeò Tabulas, chartasque Geographicas sic emendari, ac perfici, vt exinde vsus rei Nauticæ consummationem nancisceretur. Heinc ea de re Amsterodamum ad Iodocum Hondium dedit literas, quibus etiam rogauit illum, vt indicaret nomen, & patriam Inuentoris primi Telescopij; scilicet ignorabat adhuc cum fuisse, quem iam diximus. Scripsit & Parisios copiosè ad Fratrem, postulans ab eo varia Telescopia, quæ obseruationibus faciendis in variis locis destinasset, ac potissimum in oriente, & in nouo Orbe, quò nonnulli amicorum erant breui discessuri. Et postmodum quidem obtinuit obseruationes aliquas, ac potissimum à mox antè nominato Ioanne Lombardo, qui profectus Alepum vsque, versus orientem, fuerat; sed neque illæ fecerunt fatis; neque peruidit, omnibus etiam horum Planetarum configurationibus in Ephemeridas relatis, fore propterea inuentionem adeò generalem, ac animo conceperat. Agnouit enim non posse Nautas ad illos attendere, neque interdiu, neque cælo nubiloso, neque Ioue Soli coniuncto, aut noctu sub terras delato; neque toto sexennio ad alterum

polum, cùm Iupiter esset versus alterum; & id genus similia. Quamobrem eam curam deposuit; ratus aliunde Galileum, Kepplerúmve in eam curam incubituros, & pro sua solertia rem perfectiùs exsequuturos. Certè non parùm gauisus est, cùm non ita pridem accepit venisse Galileo in mentem, vt methodum perficeret, & cum Hollandis communicaret, à quibus arcanum Longitudinum est tantoperè expetitur. Porro cùm Peireskius foret circa ista summopere sollicitus; non destitit tamen interea pluribus curis distineri. Annus sæculi vndecimus erat, quo nescio an dicere debeam apparuisse primum in Prouincia, ac in eo hortulo, quem Peireskius intra ædeis Aquis-Sextienseis habuit, flores calyceos Tulipas dictos. In eo scilicet ab autumno superiore defoderat missas Tornaco à Winghamio bulbosas illorum radices. Referebat autem, cum eo tempore nonnihil terræ in hortulo excolendo aggestum fuisset, Caniculam quandam nomine Marphisam conquisiisse catulos, quos abiici præceperat, sepeliissèque sub aggere, & aliquot diebus ita incubuisse, vt neminem accedere, etiam prætextu edulij subministrandi, pateretur. Non memini porro an hæc, an dicta ipsi Sultana fuerit, cuius obitum cùm agrè tulisset, lætatus tamen fuit ob factum circa illam experimentum. Ea educabat treis catellos, qui vnà cum matre eodem morbo laborauerunt. Vno demortuo, proiectoque, ipsa quoque mater interiit. Nemine caussam agnoscente, Anatomicum euocauit, incidique iussit, vt interanea dispiceret. Ec-

R. iij,

1611.

ce autem secundum totam intestinorum prolixitatem series aliquot cōhærentium candidarum molecularum, cuiusmodi cucurbitæ, aut cucumeris grana sunt; unde videtur fuisse vnus ex iis latis lumbricis, quos Cucurbitaleis nonnulli appellant. Erant verò infernè quidem maiusculæ, duriusculæque; superne verò ita paullatim in minutulas, molliusculasque desinebant, vt in summo tandem nihil, nisi confusus albor appareret. Peireskiius ergo, cū non placeret quicquid curando illi morbo proferebatur tam à Chirurgis, quàm à quibusdam Medicis; iussit, nescio quo ductus genio, afferri sibi theriacam, è qua cū materiæ illi adhibuisset, obseruauit magno suo, circumstantiūque stupore ipsam statim liquefcere, effluerēque in decliue. Quapropter iussit catellis duobus qui supererant, exhiberi theriacam, alexipharmacum esse ratus. Ac alter quidem animam iam agens inter exhibendum extinctus est; alter verò adhūc robustior remedio assumpto omninò conualuit. Contigit illo eodem anno decantatissima historia de Ludouico Gaufrido cacomagiæ infamato, deque Magdalena Paludana illius præstigiis correpta à Dæmone. Ea res verò vt totam Curiam, sic præsertim ipsum Peireskium admodum sollicitum habuit, qui vniuersam penè historiam literis prolixis descripsit. Ac pro tempore quidem ipso in eadem cum vulgo opinione fuit, mouebantque præsertim ipsum Stigmata illa insensilia corpori vtriusque iniusta, & Cacomagiæ credita indicia: at dubitare postmodum cœpit, num in toto negotio impostura

quædam, aut stupor animi latuisset. Placitum tamen 1611.
 semper defendit, quo Curia Magum cremari iussit:
 quippe qui aliàs sacro-sancta Religionis mysteria
 libidinosus pessumdedisset. Aiebat quoque tametsi
 Magi non tantum habeant cum Dæmone, quan-
 tum putatur, commercium; nihilominùs pœna affi-
 ciendos ob prauum affectum, quo desciscunt à Nu-
 mine, & Caco-dæmonem implorant. Sic, licet factis
 vnctionibus non transferantur reuerã in eas Syna-
 gogas, in quibus nihil non patrent nefandum; pu-
 niendam tamen voluntatem, qua id apperunt, sese-
 que operi accingunt. Quod permouit autem ipsum,
 impostura fuit, qua non multò post Massiliensis qui-
 dam Sacerdos accusatus Magiæ fuit, prodente quo-
 dam Dæmone, quem Gaufridus dicebatur in mulier-
 culam intrusisse. Is quippe iudicio absolutus est, sed
 corpore tamen toto interpunctus, vt designata à
 Dæmone conquirerentur stigmata, quæ deprehendi
 nulla potuerunt. Tantò verò magis Peireskîus rem
 vocauit in dubium, quantò post treis proximè an-
 nos accepit à Winghemio similem historiam conti-
 gisse in Flandria, hoc est interpunctum toto cor-
 pore Canonicum quendam, qui fuit denique habi-
 tus innocuus. Documentum lanè insigne, ne facile
 ad eò fides adhibeatur siue Dæmoni, quem Sacra
 Scriptura appellat Patrem mendacij; siue muliercu-
 læ, quæ partim natiua imbecillitate, partim vehe-
 mentia vaporum cerebrum exturbantium, partim
 malitia, aut odio, partim concepta, innutrita, defixa
 altum opinione, imponere facile potest. Quod ad

1611. Stigmata illa spectat, hæsit Peireskius num reuerâ non essent notæ Caconiagiæ; idque præfertim ex quo agnouit rem vocatam in controuersiam à Martino Delrio, aliisque viris impensè doctis. Fortè enim esse posse à natura, pertinereque ad singularem Elephantiascos speciem; aut saltem posse ipsos Magos eas sibi, quasi cauteria inurere, ac perturbatæ menti defigere, inuersionem illam perinde referendam ad Dæmonem, ac referre solent vnguenta, quæ ipsimet parant, & inter se communicant, confisi se ipsorum vi ad maligna illa concilia transferri. Habuit Peireskius toto eo anno valetudinem vacillantem. Fuit autem dubia potissimum circiter æstatis initium; tametsi propterea nihil fuit graue passus, neque interquieuit à solitis studiis. Quinetiam visus sibi est pro votis satis confirmatus, vt adesset Varius grauissima febre totos quadraginta dies in villa Massiliensis agri, Florida ab ipso indigitata, laboranti. Non refero quanta se illi assiduitate deuouerit: hoc vnum non est prætereundum. Conualecebat ægrè Varius, quod teneretur anorexiâ, miroque ciborum fastidio. Cùm venaretur autem Peireskius occasionem addiscendi cequid posset gustum mouere, & datâ plerumque operâ sermones interfereret de rebus gustatu iucundis; contigit aliquando Varius obiter innuere Truttas lacus Geneuensis non iniucundi esse saporis. Ille ergo id subnotans, tantâ obtinuit diligentia insignem ex eo Lacu Truttam, opere pistorio conditam; vt, nomine licet alieno oblatam, Varius tamen diuinauerit Peireskij facinus esse.

esse. Sic excitare gustatum voluit, cum fartum illi 1611.
 obrulit ex linguis Phœnicopterorum; tamen id
 per hiemem, quoniam ea sola tempestate aues illæ
 maritimæ ad Arelatensis paludes capiuntur. Parùm
 aberat, quin eæ linguæ exæquarentur hædinis: &
 quia tamen esca videbatur suavior, nihil pronun-
 ciauit Varius, neque diuinavit, quousque Peires-
 kius illud Martialis extulit,

Dat mihi penna rubens nomen, sed lingua gulosis
 Nostra sapit.

Rogatus subinde fuit de sapore carnis Phœnicopte-
 ri: excepit autem mirari se, cur illam Apicius apud
 Plinium, & Imperatores Caligula, ac Vitellius apud
 Suetonium, Heliogabalus apud Lampridium, &
 nonnulli alij tantis in deliciis habuissent. Esse enim
 eam iniucundam, aut saporis certè non exquisiti,
 aquaticarum aliarum instar, cum etiam piscem oleat;
 vnde à Prouincialibus vt plurimum abiicitur, exu-
 iæque solùm sunt vsui, in fastuosis conuiujs, car-
 nibus aliarum auium obtegendis.



DE VITA
 PEIRESKII
 LIBER TERTIVS.

IN SEQUENTE anno Parisios iteratò profectus est. Aduocârat enim illum Valauesius, quo tempore existimabat illa de Riantio negotia extremo iudicio definitum iri. Et contingit quidem, vt cùm moras aliquo-vsque traheret, iudicium interuenerit, literisq; in itinere acceptis id rescierit; verùm quia non tam negotiorum causâ, quàm amicorum conuiscendorum desiderio discesserat; idcirco noluit regredi; sed ardentius viâ insistens accessit Parisios, quo tempore frater erat excessurus. Is verò bono suo fato in vrbe adhuc constitit: incidit enim statim in morbum, quo fuit per integrum mensem câ exagitatus vehementiâ, vt nisi caput carissimum aduenisset, adstissetque, vix ab illo emergere, conualesceréque potuisset. Cùm à mense autem Iunio restitutus fuisset valetudini pristinæ, discedere tamen absque Fratre noluit, qui in

mensē vsque Nouembrim dilatū voluit reditū. 1612.
 Prætextus fuit illud nuperum iudicium, quod litigiorum Riantiensium non fuit penitus decretorium: nam ad cognoscendum quo iure vteretur Prouincia, audiendis Ordinū comitiis locum interpositum fecit. Vnde quia comitia non poterant cogi absque Prorege Guisio, ipsēque Protex ante id tempus non erat aulâ excessurus, ideò Peireskius hanc sibi metam, redeundique ansam præfixit. Heic nihil necesse memorare quanta cum lætitia, virtutisque æstimatione exceperint illum Thuanus, Campinius, Roissius, Faber, alique amici, & insignes viri, quorum iam antè meminimus, quique illum facie, vel famâ iam nôrant. Nihil recensere officia, quibus literatos plerosque deuinxit, non modò qui erant in vrbe, cuiusmodi fuère, præter superius memoratos, Ioannes Sauaro, Carolus Labbeus, & alij; sed etiam qui alibi gentium, vt in cæteris Galliæ ciuitatibus, in Italia, Anglia, ac Belgio. Attexere præstat, cum nullum intermiserit studium promouendi artis ingenuas, spectabilem præsertim fuisse quam curam continentem gessit obseruandi cœlestia, deque iis coràm edisserendi cum viris Mathematicis, bonarumque rerum studiosis. Factum est quippe, vt nemo melius Phænomena noua calleret, quod nemo ardentius, & constantius in iis cognoscendis operam posuisset. Heinc habitum propè miraculo fuit, quod distractus tot aliis curis, consequi potuisset notitiam adeò exquisitam huiusmodi rerum. Quippe non de ipsis Phænomenis solū, sed de

1612. confectiōe etiam, vsūque Telescopij multa declarauit; eaque occasione p̄serumque ducere secum solitus est, qui tam fabricæ Organi, quàm rationis vtendi inspectores forent. Hec referendum, cū operam circa Mediceos Planetas nauaret, adnotasse cum aliquid, quod, quibus ista curæ sunt, non fuerit fortassis ingratum. Attendit videlicet Iouem transiisse Cordi leonis ad Boream, non multū ante vesperam diei Iunij trigessimæ, & Venerem corniculatam transiisse adhūc magis ad Boream, inter eam vesperam, & consequentem primæ Iulij; qua etiam nonnihil coniunctionem cum Ioue prætergressa fuit: cū & Luna tunc, omnibus borealior, ipsi eidem Cordi leonis instaret proximè coniuncta. Sic Eclipses duas obseruauit, alteram Lunæ, alteram Solis. Et de Lunari quidem, quæ contigit die Maij decimaquarta, retulit in schedas obstitisse nubis, ne adnotaret aliud, quàm Eclipsin cœptam, & ad quadrantem propè diametri promotam, cū vrbana horologia variè pulsarent horam nonam, ipsæque in automato haberet nonam, ac semissem; promotam verò vltra trientem, & ad semidiametrum penè, dum ex vrbanis haberetur nona, cum semisse, ex proprio verò decima. At paullo exquisitiùs circa Solarem, quæ eiusdem mensis die trigesima accidit, scripsit se obseruasse Solem fuisse iam factum, qualis est Luna ad dichotomiam proximè accedens, cū iuxta vrbana horologia foret hora nona (matutina nempe) ac triens. Deinceps quoque horâ decimâ cum triente, semisse, ac besse, vilam increuisse Eclipsin; at

horâ vndecimâ iam imminui cœptam, & ad cen- 1612.
 trum Solis reductam. Horâ vndecimâ cum besse,
 vix superfuisse digitum : denique horâ duodecimâ,
 minùs sexta parte, Eclipsin desiisse. Quæ comme-
 moro, vt intelligas diligentiam saltem in eo non
 potuisse desiderari. Et expetiisset quidem postea
 obseruata fuisse omnia scrupulosius: sed satis tamen
 peractum duxit, vt summa cum lætitia obseruatio-
 nem compararet cum Romana quadam Lunarise
 Eclipsios, quam Ioannes Remus Quietanus clarus
 Medicus, & Mathematicus retulit; & cum Hafniensi
 duplici, seu vtriusque Eclipsios, quam celebris vir
 Christianus Seuerinus Longomontanus, Tychonis
 Brahei quondam adiutor, descripsit. Prodiit per hæc
 tempora liber Italicè scriptus, titulo Squirinij, quo
 libertas Veneta ab ipsis Reipublicæ fundamentis
 fuit discussa. Is, quia visus est continere eximiam
 quandam Imperij, Gotthorùmque Regum Historiæ
 notitiam, idcirco statim creditus fuit (quæ etiam-
 num est multorum persuasio) Peireskium habere
 auctorem. Enimvero testari licet nihil tale ipsi ve-
 nisse in mentem. Quin potiùs sic semper reueritus
 fuit Reipublicæ maiestatem, quòsque in illa amicos
 habuit, vt ad præstandum obsequium potiùs, quàm
 ad contumeliam fuerit comparatus. Ac non disqui-
 ro quidem an auctor huiusce libri fuerit Antonius
 Albizius, nobilis ille Florentinus, qui Christiano-
 rum Principum Stemmata ediderat ante duos an-
 nos, vt nonnullis persuasum est; an, vt videtur ve-
 rosimilius, insignis ille Marcus Velserus, cuius sæ-

1612. pius meminimus, ob consummatam eruditionem, propensionemque singularem erga domum Austriacam. Addo duntaxat, immerito videri quosdam suspicatos tam Gualdum, quam Pignorium, aut contulisse operas in eo opere conscribendo, aut communicasse cum Peireskio quos digereret commentarios. Ille fuere enim magis ingenui, patriæque suæ magis amantes, quam ut ea impietatis labe commaculari voluerint. Vt cumque sit, Peireskii certe nihil simile unquam cogitavit. Parisiis porro discessurus, ac vale iam amicis dicens, recepit, inter cætera, se ad Mericum Vicum, hieme ingruente, transmissurum per Phœnicopterorum. Subierat quippe earum avium enutriendarum desiderium, non ob pulchritudinem modò alarum rubore flammantium, (unde nostrates *Flammantem* vocant) obque proceritatem crurum, & colli, cuius causâ à Iuvenale Phœnicopterus Ingens dicitur; sed præsertim ob speciem victus, quo Peireskii quosdam apud Varium educatas commemorabat. Referebat enim illas noctu potius, quam interdiu capere cibum (qui ferè illis parabatur ex pane aqua madefacto:) præsentire frigus aduentans, ac tum ad ignem accedere, pedibusque etiam interdum cremari; dolente pedum altero, illius vice uti rostro, ipsoque, & altero pede alternando incedere; dormire erectas in alterum pedem, reliquo in ventrem, plumasque subducto; parci esse somni, aliisque similia. In ipso discessu summoperè doluit eripi sibi extremo morbo amantissimum sui Nicolaum Fabrum, qui non mul-

tòs ante dies commendàrat apud Regem egregium 1612.
 virum Thomam Billonum operosissima illa sua, ac
 felicitatis miræ Anagrammata oblatorum. In itine-
 re diuexatus est magna vrinæ difficultate Postquàm
 rediit, nulla res æquè eum affecit, ac iniuria Vario à Se-
 natorum vno illata, tum ante Natalitia, tum initio al- 1613.
 terius anni ; cuius proinde toto decursu vix à latere
 ipsius discessit, nisi quo octiduo graui morbo labo-
 rauit sub finem Aprilis. Rediit interea Frater Pari-
 sios, ipseque per illum varia munera ad amicos de-
 dit. Misit quoque multa in Italiam ad Paschalinum,
 Benedictum, alios, quibuscum varia edisseruit, & ex
 quibus aliqua pro amicis aliis vicissim expetiit. Hos
 inter fuit Casaubonus, itémque Henricus Polanius
 Monetalis Ex-præfectus, qui postulàrat tum varios
 libros operà ipsius in Italia inuestigandos, tum pon-
 dera antiqua varia, aut institutam certè ipforum
 cum Parisiensi comparisonem. Scribens aliunde
 Parisios, nihil æquè fategit, ac Hannibalem Fabro-
 rum Iuris professione clarum, & meliorum litera-
 rum studio cum primis insignem, facere tam apud
 Thuanum, quàm apud cæteros amicos, quibus il-
 lius eruditio iam innotuerat, commendatum. Ad
 eruditos alios quod spectat, Edens non multò pòst
 Sirmondus in Sidonium Apollinarem Notas, consti-
 tutionem retulit, quam Cusanus esse Constantini
 Magni, Scaliger Constantini Tyranni opinati fue-
 rant; Peireskiius verò docuit, ex Codice Arelatensi,
 fuisse potiùs Honorij, & Theodosij Augustorum,
 scriptam scilicet ad Agricolam Præfectum Galliarum

1613. de agendo singulis annis Arclate septem Prouinciarum conuentu. Deinde Iacobus Fontanus nuncupans illi Commentarios in Aphorismos Hippocratis, hisce verbis inscriptos voluit, *Hunc verò, quem in hoc opusculo condendo insumpsi laborem, tuo fauore rectum in lucem prodire exopto, qui virtutum, & scientiarum omnium cumulo coruscans, fugabis omnia omnium obiectatorum conuitia, efficiésque et hoc opus medicinae studiosis utile, sit omnibus futurum iucundum; cum ita his non tantum placeas, sed etiam reliquis omnibus, qui literarum studiis incumbunt, ut nullam sibi ipsis propriam virtutem esse putent, nisi tibi restatam, & acceptam intelligant.* Dicatum quoque, editumque eodem tempore fuit opus à memorato suprà Taxillo, continens Iudicium de ea noua Stella, quæ colluxerat ante nouem annos. Verùm Peireskii neque consilium, neque iudicium probare potuit; quòd ille aduersus meliores auctores, etiam à se communicatos, argumentaretur Stellam sublunarem, ac suprema aëris regione non superiorem. Nimirum ferre non poterat, ut obseruationibus, demonstrationibusque refragantibus, quærentur argutiæ, quibus opiniones in scholis inueteratæ stabilirentur; tanquam docere nihil dies posset, neque experimenta forent ratiociniis umbratilibus præferenda. Quocirca eodem tempore collaudauit Pacij candorem, qui rogatus sententiam ferre de Solaribus Maculis Telescopio iam obseruatis, ad deliberandum tempus petiit, conturbatum se asserens, & ex obseruationibus nouis hypotheseis nouas constituendas sentiens. Sub idem tempus

tempus rumor percrebuit de Giganteis ossibus, quæ in Delphinatu reperta Rex imperavit ad se transmitti. Ferebant enim detectum fuisse in fabuloso quodam loco, non longè ab ipso confluyente Rhodanum inter, & Isaram, sepulcrum lateritium, triginta longum pedibus, latum duodecim, altum octo, cum superposito lapide, in quo hæc inscriptio, THEVTOBOCHVS REX. Addebant, sepulchro aperto, apparuisse intùs Skeleton humanum, longum pedes viginti quinque, cum semisse; latum ad humeros, seu scapulas decem; profundum ad thoracem quinque. Cranium obseruatum fuisse quinque pedum secundum longitudinem; secundum verò ambitum, decem. Spectato prodigio per integrum diem, cætera quidem ossa abiisse in cineres; at superfuisse, quæ translata nemo non vidisset Parisiis, partem maxillæ inferioris, vertebrae duas, portiones costæ, humeri, femoris, alterum femur, tibiam, astragalum, calcaneum; præter non transmissa aliquot fragmenta, ac nominatim femoris, itémque duos dentes. Memorabant etiam reperta argentea numismata, numero circiter quinquaginta, cum effigie Marij, & in auersa parte literis MA, nominis ipsius initialibus; unde & confirmatum volebant sepultum illic Theutobochum Theutonum Regem à Mario deuictum, virum tantæ proceritatis, vt Auctores meminerint fuisse trophæis eminentiorem, & quaternos, senosque equos transilire solitum, aliáque id genus. Porro vt Peireskius rem vertit in dubium; ita expendit quidnam potuisset fabulæ locum facere, idque præ-

1613. fertim, ex quo libellum à Nicolao Habigoto Parisiensi Chirurgo ea de re conscriptum pellegit. Ac non hæsit quidem, quin ossa in ea regione detecta fuissent: concessit posse alicuius vetustioris Gigantis esse; at cuius esse perhibebantur, in animum nunquam induxit. Nam primùm quidem, neque Theutobochus, neque illius subditi latinam linguam vsurpârunt, vt excitato tumulo inscriberetur Latina vox; neque Romani, si pro sua illa hostili pietate monumentum condidissent, illud extruxissent ex lateribus (signinum certè opus non fuisset, quale ad sepulchra tunc vsui non erat) sed potiùs, nisi ex marmore, saltem ex alio lapide, in quo & suæ victoriæ, & pietatis aduersum hosteis insculptæ notæ relinquerentur: cùm aliunde locum delecturi fuissent, nisi sublimem, aut saxeam; saltem non ita arenosum, atque lubricum, cuiusmodi is fuerat; ne facilè obrui, aut subuerti posset. Mirabatur etiam neque asseruatum, ostensumque fuisse inscriptum illum Lapidem, qui Parisios sanè fuerat transferendus; neque sepulcrum relictum fuisse vel intemeratum, vel cum insignibus vestigiis; vt Dominus illius loci propagandæ ossium Giganteorum famæ curiosus, videbatur cordi habere debuisse. Suspicionem adaugebat, quòd acceptæ Cranij dimensiones perhiberentur, cùm id nimirum solidum, nec cinereum existeret; & tam citò tamen, aliis ossibus superstitis, exsolutum fuisset. Videbantur enim fabulæ auctores subueriti fuisse, ne ex accurata eius inspectione comparationeque cum humano cranio posset veritas felicitiùs

exquiri. Ad Numismata quod spectaret, dicebat illas literas designasse non MARIUM, cuius prænomen C. non fuisset omisſum, neque integrum nomen MARIUS Romanorum more exprimi neglectum; ſed potiùs MASSILIAM, tum Rempublicam, cuius, vt ciuitatis Græcæ, ea numismatum argenteorum forma erat propria, non ipſorum Romanorum. Quoniam verò à paucis annis, neque longè ab eo loco reperta complura huiuſmodi numismata fuerant, ipſæque nonnulla ab illuſtri Frereo, cuius eſt ſuperiùs facta mentio, habuerat; eam ob cauſam ſubdubitauit, num callidè, vt tempora, ita loca forent confuſa. Quòd Theutobochus verò legatur fuiſſe Trophæiſ procerior, arguere id quidem, fuiſſe illum altitudinis decem, duodecimve pedum noſtrorum vulgarium, cuiuſmodi erant trophæa, quæ in ouationibus, ac triumphis geſtabantur (idque computata geſtantium, brachiorumque elatorum altitudine) cuiuſque modi etiam Heroum exhibebatur ſtatura (ad humanam nempe communem ſeſqui altera) non verò pedum viginti quinque. Sed neque id, quod legitur de Equis quaternis, ſenſque, ita eſſe intelligendum, quaſi diſtentiſ cruribus ipſos vnà complecteretur: ſed potiùs, quòd moris haberet ex vno tranſire in alium; hoc eſt, mutare ſæpius equum, tamquam breui ſpatio pondere laſſatum. Argumento eſſe, quòd Florus (à quo id ſcriptum) prodidit illum quaternos, ſenſque equos tranſilire ſolitum, vix vnum, cum fugeret, aſcendiſſe; quaſi indicetur non vnà deductam equorum multitudinem, vt deduci

1613. moris erat. Denique plura edifferebat & de loco victoriæ, & de triumpho, cuius pars, seu spectaculum Theutobochus fuit, & de nonnullis aliis rebus, quibus euulgato rumori habita fides cleuaretur. Obtinuit etiam postremis annis aliquot fragmenta huiusmodi ossium: sed ex illorum inspectione confirmatus magis in sententia fuit, ratus tum demum grandia ossa, quæ effossis sæpe sepulcris miramur, esse Elephantina; quasi belluarum Domini illa cara habuerint, aut fortè etiam posteritati illudere uoluerint ex ea sepeliendorum cura. Opinatus est etiam, commonstrari interdum ossa, quæ effossa fuerint ex arenis, aliisve locis, ubi casu quodam fuerint obruta; cum reperire vix liceat virum aliquem fide dignum, qui sepulcra fabrefacta oculis suis conspexerit, fidésque penes illos sit, qui diuendunt, monstrant, aut se inuenisse, cruisseque profitentur. Heinc optauit sæpiùs virum aliquem tam falli, quàm fallere nescium, in Siciliam nauigare, explorarèque quæ effossa non procùl Panormo Gigantum ossa perhibentur, ac specialiter Crania. Sperauit enim fieri posse, ut is vteretur ingenua illa voce Suetonij, esse Capreis immanium belluarum, ferarumque membra prægrandia, quæ dicuntur Gigantum ossa. Sed hæc iam nimis. Sequutus annus feralis fuit amicorum illustrium morte. Accepit enim ex literis Aprili mense à Gualdo scriptis, obiisse & Contarenum Procuratorem Venetiis; & Lælium Paschalinum Romæ, & Veronæ Nichezolan. Accepit etiam postmodum obiisse Augustæ optimum Velscrum, die Iunij vige-
- 1614.

fima quarta ; quò etiam proximè tempore Casaubonus mortuus in Anglia. Quin ipse quoque literis ad Natalitium Benedictum mense Maio scriptis meminit Ducis Arschotani, tanquam antè demortui. Meminit aliàs, vt vita functi Heidelbergæ, Marquardi Freheri Iurifconfulti, & Historici, cuius amicitiam Velferus parârat. Nescio an alij fuerint ; sed numerare solebat annum ab alio ferali quintum, creptorum nempe sibi capitum carissimorum iacturâ, numeròque infaustissimum. Addebat sibi solatio fuisse, quòd inire interè amicitiam licuerit cum aliis viris oppidò magnis. Vnus fuit Ioannes Franciscus Vidius à Balneo, Patracensis Archiepiscopus, & per ea tempora Auenionensis Vicelegatus. Singularis enim deinceps necessitudo intercessit, seu donec ille Auenione degit ; seu cùm est versatus perillustri Nunciis tam apud Principes Belgarum, quàm apud Regem Christianissimum ; seu postquàm factus est Cardinalis raræ, & spectatæ virtutis. Alius fuit Franciscus Sauarius Breuius, qui diu fuerat Orator Regius ad portam Ottomanicam, quique tum Roma rediens, vere nouo fuit Aquis-Sextiis ; ac secum habuit Gabrielem Sionitam ex Maronitis Libani montis, linguarum Orientalium interpretatione iam clarum, quicum etiam Peireskius amicitiam contrahere, porroque excolere suauissimum habuit. Alius rursùm fuit Guillelmus Catellus, eximium Senatus Tolosani lumen, quicum multa communicauit, seu ad specialem Comitum Tolosanorum historiam, seu vniuersè ad Occitaniæ commentarios spectantia ; quod

1614. ipse etiam testatus alicubi est, Peireskium *virum doctissimum, curiosissimumque* appellans. Infelicitas alia, quæ illum eodem anno exercuit, morbus fuit gravissimus, qui totos duos menses sic Patrem afflixit, ut ipse, pro amore feruentissimo, vix vnquam ab illius lecto, cubiculove recesserit. Alleuamento interea fuit, quod rara nonnulla accepit ex Belgio, ac speciatim iconem Jacobi Metij Telescopiorum inventoris, quam procuravit Winghamius; quod obtinuit etiam Arelate expressam e marmore nouem Musarum effigiem; & Monspelio aliam duarum Musarum cum Homero in medio, & inscriptione O M H P... & aliqua alia, quæ statim cum variis numismatibus ad Natalitium Benedictum misit. Succidit etiam aliquas horas, quas lectioni cum destinasset, insumere præsertim voluit pellegendæ, expendendæque Prouinciali Historiæ, quam tum edidit Cæsar Nostradamus. Ut verbum autem adiiciam de illius examine, non prorsus quidem probauit stylum magna parte poeticum: non etiam fidem habitam commentariis nescio quibus, aduersus quos authentica quædam monumenta exstarent: non aliquos metachronismos, & annorum initia Kalendis Ianuarij constantè tributa, cum potius ad Incarnationis Dominicæ diem spectarent: non antiquam nobilitatem nouis hominibus quæsitam, antiquis verò familiis ereptam, aut præteritam; non aliqua id genus alia. Verùm cum ista excusaret, quod Author omnia peruidere non potis, fidei alienæ stetit; commendauit pium consilium, laborémque sanè

ingentem; & cāndorem plurimi fecit, quo ille maluit Comitum Prouinciæ seriem à Gilberto incipere, de quo indubia fide constat; quàm à Bosone illo, de quo, eiusque ad Gibertum vsque successoribus adeo sunt variantes sententiæ. Prætereo autem vt Peireskius etiam ipsi caligini ex ipsa fide instrumentorum, actorumve authenticorum adferre lucem studuerit. Adnotauit enim Rothboldo, qui ante annum millesimum fuit, successisse non modò Bosonem (de cuius progenie nihil, præter Rothboldum filium, comperit) sed alium etiam filium nomine Willelmum, qui ipse filium cognominem, & vnà cum Gauzfredo fratre Comitem reliquerit. Successisse illi Bertramnum, qui partim cum Gauzfredo patruo, partim cum patruale Willelmo regnauerit. Bertramno natum alium Willelmum, aliūque Gauzfredum, qui Comes etiam fuerit. Et probabile quidem esse fuisse Gilbertum Willelmi filium; sed ad id statuendum non suppetere instrumenta, cum etiam Franciscus Claperius Odonem interiiciat. Quanquam de isto Odone hæsit, quem ille regnasse scribit ab anno supra millesimum trigesimo nono, ad vsque nonagesimum: cum annis intermediis, vt quadragesimo secundo, sexagesimo tertio, & aliis regnasse Willelmum, Gauzfredūque comperisset; & anno etiam nonagesimo præter Gilbertum, fuisse vnà Comitem Prouinciæ Raymundum Sancti Ægidij, qui fuerit fortè filius Gauzfredi. Prætereo quoque, vt deinceps plurima obseruauerit, in quibus tam Claperius, quàm Nostradamus sint hal-

1614. lucinati. Illi enim, exempli gratiâ, fecere Gilberti, & Tiburgidis filiam, non modo Dulciam, quæ Raymundo Barcinonis Comiti nupsit: verum etiam Phaitidem, quæ Ildefonso Comiti Tolosæ; vt hac ratione Prouincia inter Raymundum, & Ildefonsum fuerit diuisa, anno, vt supra attigimus, centesimo vigesimo quinto; cum tamen Phaitis fuerit potius filia Raymundi Sancti Ægidij, Comitissæque Aluiræ; ad cò vt diuisione illa idcirco minor pars Prouinciæ Phaitidi obuenerit, quòd compensatio fuerit facta cum Ruthenensi, ac Giualdensi Comitibus, quos Dulcia ex Matre Tiburgide tulerat. Fecere illi rursus ex Dulcia progenitum alium Gilbertum, & ex hoc Gilberto Stephanitidem, quæ nupsit Raymundo Baulcio; cum is tamen Gilbertus secundus nullus fuerit, & Stephanitis fuerit non ipsius filia, sed Gilberti illius primi, atque vnici, ac soror proinde, & non neptis Dulciæ, licet non ex Tiburgide, sed ex vxore alia, seu Geribergera, seu Francisca. Plura memorare importunum foret: cum hæc attigisse sufficiat, ad designandum studium, quod Peireskii interposuit tum amicorum casibus, tum paternæ infirmitati. Parum porrò abest, quin ad eundem annum referendus sit sæuissimus morbus, quo conflictatus ipsemet fuit. Videlicet mense Nouembri Rocca-brunam profectus est, oppidum prope Forum Iulij, vnum ex eorum numero, quæ soluendo æri alieno imparia, ipsum fundis redimebant, instituta speciali Classe Disceptatorum, & Iudicum, quibus Peireskii erat conscriptus. Et quoniam

niam

niam constituerat non prius in urbem redire, quàm 1614.
 perfecta essent præscripta negotia; ideo postulavit
 licentiam perseverandi à Vario, qui literis variis amo-
 re plenissimis se illius absentiam ferre grauius te-
 stabatur. Postulavit etiam à Patre, qui inuitarat il-
 lum ad nuptias Sufannæ sororis, à memorato Segui-
 ranno in uxorem ductæ, sequente Ianuario. Ac in- 1615.
 terfuisset quidem lubens, absente præsertim Valaue-
 sio, quem Nobilis Prouinciæ ordo ad generalia
 Franciæ Comitia, Rege iam maiore quatuordecim
 annis, Parisios destinauerat: sed valetudini consu-
 lens abstinendum duxit ab itinere, illa præsertim
 tempestate. Ad morbum autem ut veniam, regre-
 diebatur sub vesperam Kalendarum Februarij ex
 peruetustis nescio quibus monumentis interuisen-
 dis, cum animaduertit atram nubem ex hiemali ortu
 sensim procedentem; monitusque ut maturaret, vix
 maturè satis peruenit ad oppidum. Exhalabat illa
 fœtorem propè intolerabilem; adeò ut coniecisset
 exortam fuisse ex Strongyle, cæterisque Vulcaniis,
 quarum fuissent igne commota, perturbatæque in-
 teranea. Eadem paullò post, & nocte sequente eam
 effudit grandinis copiam, quæ die altera libertatem
 incedendi præcluserit, nisi quæ prius egeretur. Die
 tertia supercidit nix, quæ totam Prouinciã ita oc-
 cupauit, ut meminerim me tum ex hac urbe pergen-
 tem Aquas-Sextias, fuisse tres dies totos ad Vallem-
 solam detentum; tantâ scilicet eius copiâ itinera ob-
 ruta erant. Cæterum Peireskius ex eo tempore in-
 fandis fuit doloribus vniuerso propè corpore cor-

1615. reptus; sed ad dorsum potissimum, secundum seriem vertebrarum. Heinc neque lecto decumbere, neque sedere ad cathedram, neque pedibus consistere potuit. Durabat solum aliquantisper, cum duo fanuli sese heinc inde supponerent, sustentantesque humeris, ad incedendum adiutarent. Non postremus vero ex vigiliis penè continentibus labor; adeò in somnum erat proclivis, adeò, quocumque statu esset, doloribus excitabatur. Translatus Aquas-Sextias, vix quidquam melius habuit reliquo anni decursu toto. Caput illi totum nudatum, eoque casu effectum est, ut pro capillis densis, rigidisque, quos eò usque habuerat (sentiebat nempe inter mirandum, hærescendumque ipsos attolli, ac pileum etiam subuchere) rariores simul, ac molliores, & suborti fuerint, & deinceps perseverarint. Et iam quidem accedente vere anni millesimi sexcentissimi decimi sexti conualescere videbatur, cum superuenere hæmorrhoides, quibus fuit acerbè vexatus. Non morbus tamen sic discruciauit, ac obstaculum propemodum factum, ne exhiberet Variò, quod destinauerat obsequium. Quippe Varius iam aliquoties à Rege vocatus, ut Nomophylaciæ, sacroque Sigillo præfret, tum demum in Aulam discessurus erat; ac iam tota Prouincia, ut abeuntem velut parentem prosequeretur lacrymis, Aquas-Sextias conuenerat, cum morbus illè visus est solum Peireskium remoraturus. Laborabat porrò decimum iam diem, cum Varius illum inuisens, & valere iussit, & clauium, curamque librorum, ac cimeliorum concedidit. Ipse autem lecto

1616.

confurgens, & aliquo- vsque comitari lecticâ volens, tentauit primùm, si vel tantillum equitationis patiens foret. Rem semel expertus, eam sibi paullatim virium accessionem sensit fieri, vt vix pauca millia-ria cogitare initio ausus, totum denique iter conficere par fuerit. Nihil hîc opus commemorare quanto cum applausu à Rege, ac Regina Matre, & à viris Principibus, magnatibus, omnibûsque bonis exceptus fuerit Varius; quàm generosè protestatus, sacramentum præstiterit Regij Sigilli dispensandi; qua deinceps constantia, integritatêque defunctus fuerit eo munere. Consentaneum solùm dicere Peireskium fuisse ipsi semper summas inter curas magnum lenimentum; & quemadmodum cætera, sic specialiter adnotasse, descripsissêque quicquid illi memorabile accidit. Proximum proinde delegit hospitium, vt (quod solebat Aquis-Sextiis) possêt cum ipso singulis diebus & leuiore illa cœna comessari, & supremis illis horis, quibus ferè solis vacabat, congregi familiariter. Consentaneum quoque referre Peireskium eam sibi legem edixisse, vt nullam vnquam Vario commendaret caussam, nisi virorum literatorum. Id etiam in Prouincia perquàm rigidè obseruârat, veritus semper ne foret viro, sui licet amantissimo, importunus. Exceptos autem semper voluit benè mērenteis de literis, ingenuisq; artibus viros; tum quia sibi temperare illorum ergò non poterat; tum quia nôrat Varij genium, qui vt erat æqui seruantissimus, ita non ferebat cultores Musarum anfractibus illis forensium contestationum distineri.

1616. Heinc patens, magnúmque asylum literatis omnibus fuit; quandò ad ipsum concurrerunt quotquot in Aula, ac præsertim referenda ad Varium habuère negotia; nemòque vnquam abiit, cuius patrocinium non fuerit ab eo cum alacritate susceptum. Qui primus est statim initio sollicitudinem illius expertus, fuit memoratus Ioannes Barclaius, qui post editum de summo Pontifice opus, nec iam solitâ apud Regem, suosque pollens gratiâ; quam primùm accepit Peireskium accessisse Parisios, subduxit sese ex Anglia, & in amici sinum prorepit. Ipse verò non modò illum excepit perhumaniter; sed egit etiam vt Varius complecteretur, tuereturque. Discessuro Romam, literis præiuit ad amicos omnes in itinere, effecitque vt varia exhiberentur officia; ac Massiliæ præsertim, à sibi affine Balthasare Viassio, inter Latinos Poëtas huiusce æui celebri, qui illum per aliquot dies detinuit, ac fouit, & apparato nauigio rebus necessariis instructum dimisit. Præterea fuisse Peireskio sollicitudinem non minorem circa Barclaij vxorem, filium, & Io. Ludouicum Debonærum vxoris germanum, cum quarto post anno profecti Romam ad illum sunt. Quod etiam statim in bonarum literarum gratiam peregit, fuit editio Inscriptionis, quâ Romæ effossa ad portam Capenam, continebatur elogium Lucij Scipionis Barbati filij, ob Corsicanam expeditionem. Quippe non prius ab Aleandro, & Pignorio exemplum habuit, quàm laborauit non leuiter, vt quantum posset, illustraretur. Existimauit enim vix vllam an-

tiquiorem ostendi posse, aut aliam formâ characterum vetustiore[m] existere; constructionem Grammaticam à vulgari quidem abhorrere, at sæcula tamen prisca sapere; denique edoceri res, ignotas alioquin mansuras; ut quò referri deberet illud ex Ouidio inexploratum,

Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur,
Cùm penè est Corsis obruta classis aquis.

Inscriptio enim sic habuit, HONC. OINO. PLOVRVME. COSENTIONT. R. DVONORO. OPTIMO. FVISE VIRO. LVCIVM. SCIPIONE. FILIOS BARBATI. CONSOL. CENSOR. AIDILIS. HIC FVET. A. HEC CEPIT. CORSICA. ALERIAQVE. VRBE. DEDET. TEMPESTATEBV[S]. AIDE. MERETO. Itaque cùm ipsi maximè placuisset illa Sirmondi interpretatio, qua probatum est Inscriptionem hanc esse anni ab vrbe condita CCCC. XCIIII. Sicque anno solùm posteriorem inscriptione Duilliana, siue columnæ Rostratæ, habita hûc vsque pro omnium vetustissima; idque præter explanationem orthographiæ, phrascos, rerumque in ea contentarum; ita nimirum legendum censuit, HUNC VNVM PLVRIMI CONSENTIVNT ROMÆ BONORVM, OPTIMVM FVISSE VIRVM, LVCIVM SCIPIONEM. FILIVS BARBATI, CONSVL, CENSOR, ÆDILIS HIC FVIT. HIC CEPIT CORSICAM, ALERIAMQVE VRBEM; DEDIT TEMPESTATIBVS ÆDEM MERITO: ideò ipsam quoque edi procuravit, sed tacito tamen nomine Sirmondi, quod ille,

1616. præ modestia, referre eam laudem noluiſſet. Enim-
 uerò illius nomen Peireskius non reticuit; cùm miſ-
 ſitatis quoquouerſum exemplaribus, literas ad ami-
 cos dedit. Heinc mentionem fecit ipſius Seldenus
 erudito illo de DIſ Syris opere; inſcriptionem ſe-
 cum communicatam dicens à Cottono, cùm is ha-
 buiſſet, è Gallis, inquit, à *Nicolao Fabricio Petriſcio,*
viro & genere, & eruditione clariffimo. Itémque mox
 antè nominatus Alcander, qui editione Romæ ite-
 rata, & additamento facto, reſpondit ad difficultates
 deinceps obiectas. Cùm porrò, inter cætera, mirum
 videretur mentionem nullam eius triumphii, quem
 Scipio egit, fieri; ſubditum ab Alcandro eſt, *Vir ſanè*
perſpicaciffimus, ac literatorum non minùs, quàm litera-
rum amans Nicolaus Fabricius Peireschi Dominus, de-
ſiderari meritò ſuſpicatur alteram L. Scipionis Inſcriptio-
nem huic noſtræ geminam. Grandi enim mole ſepulcra
apud veteres exædificabantur; neque exiſtimare abſurdum
eſt, ab uno quidem latere hoc elogium, ab alio marmor
itidem fuiſſe aliud, in quo triumphus memoraretur, atâſ-
que, & dies obitus, &c. Hæc, & id genus alia mo-
 liebatur Peireskius, cùm à Vario, Nouembri menſe,
 Sigillum repetitum eſt, perilluſtriſque ille vir fuit in
 priuatam aſſertus vitam. Peireskius porrò, qui in eo,
 non tam ſplendorem muneris, quàm eminentiam
 virtutis ſpectabat, noluit vnquam deſerere; indi-
 gnum ducens facinus, ſi qui perſitiſſet in proſpera,
 recederet in aduerſa fortuna. Quamquam teſtari de
 viro ſolebat, duxiſſe illum ſemper hunc caſum non
 infœlicem, infauſtùmque, ſed fortunatiſſimum; vt

quo solo posset exoptatam diù tranquillitatem adipisci. Quare & magna alacritate restituisse depositum; & redeuntem ex Regia, voluisse paullò vberius vnà cum Malherbio; ipsòque Peireskio (tanquam negotiis nihil iam interturbantibus) cœnare; & secessu facto, placidissimè, iucundissimèque cum libris, amicis; eruditis viris, conuersatum fuisse. Fuisse per id tempus Riantiensia negotia Parisiis Tolosam translata; fratèrque Valauesius sub anni sequentis initium eam in urbem profectus est. Tametsi verò ipse quoque illeic desiderabatur, plurimùmque suâ præsentia expectabatur profuturus: attamen adduci non potuit, vt, quantumcumque negotia periclitarentur, dimitteret virum. Nec verò putes illum propter eam rei literariæ dimisisse curam. Siquidem innumeram propè librorum multitudinem ad eruditos partim vtrò, partim requisitus quoquoersum misit; vti in Italiam, ad Pignorium, Aleandrumque, & ad Scipionem Cobellutium, tum primum purpurâ donatum, renuntiatumve Cardinalem, titulo Sanctæ Susannæ; cui est quoque non multò post Vaticanæ Bibliothecæ gratulatus custodiam. In Angliam verò ad Camdenum, Seldenumque, & alios, qui ipsum seriò interpellârunt, ne literatæ hominum nationi inuideret diutiùs eruditas suas in Nummos antiquos, & in Galliam Narbonensem obseruationes. In Hollandiam autem, cum ad cæteros, tum potissimùm ad Thomam Erpenium, Arabicæ linguæ Professore celebrem; adiecit verò libris, literisque Arabicos nummos, in quorum interpreta-

1617.



1617. tione minùs comperta adiutaretur. Prætereo vt vicissim multa expetita acceperit; vti ab Aleandro, modulum Congij Farnesiani, cum literis, quibus ille scripsit reuocasse se ad examen aquam Tiberinam, fontanam, & alias; ac post multiplicem comparisonem, discrepantiam in pondere reperire nullam potuisse. A Nicolao Alemanno Vaticanæ Bibliothecæ ante annum præfecto, notitiam Poëtarum Prouincialium. Ab Andrea Bruggioto, supplementum Indicis MSS. Græcorum, qui in eadem adseruantur. A Pignorio, breuiarium vitæ, ac tempus, quo obierat Ludouicus ille Cornarus, qui sibi sua sobrietate ad eò longæuam, viuidamque senectutem effecerat: scripsit enim sepultum Paduæ; postridie Nonas Maias, anno supra millesimum quingentesimo sexagesimo sexto. A Iacobo Colio, librum, cum excusatione, quòd non alia illustratione ipsius nomen expressisset, quàm appellando *Nobilissimum Gallum*. A Sandero, elogia; à Ioanne Meursio, varios eius fœtus; à Willerio, genealogica; à Winghamio, botanica, & ab aliis alia. Cœpit etiam ex hoc tempore apparare Notas in Kalendarium Constantinianum, quod post annos septemdecim Ægidius Bucherus Societatis IESV transtulit totum in commentarium Canonis Paschalis Victoriani, à pagina nempe ducentesima trigesima sexta, ad vsque ducentesimam octogesimam octauam. Et non requiro quidem modum, quo obtentæ schedæ, & cum viro eximiè bono, eruditòque communicatæ: hoc solùm moneo, illas aliunde non fuisse exscriptas,

ptas, quàm ex Perraro Codice, qui Peireskij fuit, 1617. ac etiamnum in illius Bibliotheca asseruatur. Egit autem multis de eo tam cum Aleandro, quàm cum aliis plerisque eruditis viris, qui ipsius euulgationem summopere desiderârunt; quoniam thesaurus visus est ingens, corrigendis fastis, emendandæque tam sacræ, quàm prophanæ Chronologiæ. Exempli enim gratiâ, obseruare in eo licet Consulatum Probi, & Paterni, non fuisse in fastis illis prætermissum; qui prætermisus ab Onuphrio, illum in errorem vnus anni induxit; neque etiam antecedentem, qui simul omissus à Baronio, errorem fecit duorum annorum circa Christianam Epocham, vti est à Scaligero, & Setho Caluifio notatum. Sed ne confectè id genus alia, obiter exinde perspicias, quid sibi eruditus vir Iacobus Godofredus voluerit, cum post annos vndecim Geographum Anonymum edens, neque Peireskium nominare ausus, ob non impetratam licentiam circa editionem Kalendarij, commutatam ea de re in præfatione Periodum huiusmodi verbis conclusit. *Si quid intra vnus, aut alterius pagelle angustiam concluditur, non eò minus est maximi momenti; cuiusmodi etiam veteres Notitias, & Consularia propediem expectamus.* Hæc inter, dolor infandus fuit, quo mortem excepit amicissimi capitis, Iacobi Augusti Thuani. Vix certè vnquam sine suspiriis meminisse illius potuit, vix vnquam sine elogio; quippe continuo illum dicens, quem & auitæ nobilitatis decus, & singularis erga Deum, Patriam; Principem suum pietas, & doctrina eximia, summusque erga litera-

1617. tos, ac probos omnes viros amos, & inexhausta bonitas, morésque candidissimi, verè Σελαστὶ redidissent. Solatio fuit primùm nobilis Progenies, in qua iam manifesta erant virtutis paternæ, auitæque femina; & maximè quidem in Francisco Augusto natu primo, qui vix ingressus adolescentiam, præ se iam ferebat animum Senatorium; & quantum Patrens calamo ex toto orbe descriperat, tantundem ipse oculis haurire coràm destinabat. Deinde commissæ Bibliothecæ cura nobilibus illis, atque eruditis ex sorore nepotibus Petro, & Ioanni Puteanis, Claudij Senatoris Parisini filiis; qui, vt literatis omnibus semper affulserunt, & gratificati sunt, ita semper Peireskio coniunctissimi exstiterunt. Speravit nempe, id, quod euenit, ipsis eam animantibus, Thuani genium superfuturum; & nobilem Musarum sedem, ex ingeniorum lectissimorum confesso, & frequentia, quam ipsorum candor, & antiqua fides conciliarer, agnitam fore. Contigit ea mors sub initium Maij. Cum Varius autem incunte Iunio restitutus fuisset, ingenti applausu, suo Muneri; perseveravit Peireskios, neque ab eo abfuit, etiam in Comitibus virorum Notabilium, qui è tota Gallia conuocati, confedère Rhotomagi, sub Nouembris finem: Procuracionem in iis egit communis sui Senatus causæ (ac potissimùm circa ius, vt appellant, annuum, seu pensionem, qua Magistratuum munera fiunt hæreditaria) vnà cum viro bono, & collega amico Honorato Agutio, qui ad eadem concesserat. Non modò verò adnotauit quicquid in eisdem con-

sultum, decretum, peractumque est; verum etiam, quia ex vniuersa Gallia selecti viri conuenerant; ideo non commisit, ut quisquam rediret in suam Prouinciam, quin illum aliquo officio demereri adnixus fuisset, & repetitis colloquiis plurima (nisi potius omnia) in eius regione singularia addidicisset. Vnum, quod permolestè tulit, fuit mors Nicolai Neouillæ Villaregij, inclyti illius à Secretis Maiestatis primarij, à quo vnice amabatur, quique etiam apud Varium, atque omneis bonos desiderium sui maximum reliquit. Habuerat ille magno in pretio virum eximie probitatis, prudentiæque Eliam Deodatum, quem sanè ipse quoque Peireskius non potuit ex eo tempore non suspicere plurimum, non impensè diligere: siquidem, præter cæteras doteis, commune illi cum ipso fuit, nullum non virum doctrina conspicuum totâ Europâ demereri. Cùm rediret postea, sequente Ianuario, transire voluit Lexouiiis, ut suâ industriâ temperaret quædam Capituli iura aduersus Episcopum; idque in gratiam Varij, Episcopatu recens donati. Parisios reuersus, nihil potius habuit, quàm Regium stemma vindicare à technis cuiusdam Theodorici Piespordij, Archiducibus, seu Principibus Belgij à Secretis, qui, imitatus Iacobum Valdesium, Hispanum consiliarium, conatus est Austriacam familiam mascula serie à Pharamundo Francorum Rege deducere, atque idcirco Franciæ Regnum Catholico, seu Hispano Regi ipso successionis iure vindicare. Videlicet ab anno vsque superiore ediderat stemma Habsburgi-Austriacorum

1617.

1618.

1618. Principum, seu Genealogiam Austriacam, per nobilissimos Habsburgi Comites ex prima Regum stirpe deductam; illiusque exemplum ante Natalitia missum à Winghemio ad Peireskium fuerat, misso prius alio, ac Regi oblato per Archiducum Oratorem; quod Peireskii non poterat, tanquam indignum facinus, non iniquo animo ferre. Ad refellendum autem imposturam, facile detexit imprimis nullam Chartam authenticam, nullumque Authorem citari centum, & viginti annis superiorem; ante id videlicet tempus, quo Trithemius, & alij Maximiliano Imperatori assentantes, prolixam illam Auorum seriem, non consentientes licet inter se, pertexere non erubuissent. Deinde, cum Sigebertus Aufrasius, vnus ex filiis Clotarij Regis à Pharamundo septimi, delectus fuerit, à quo familia Austriaca deduceretur; nulla ratione ostendi potuit integra illius successio ad Habsburgicos vsque Principes; quos aliunde Piefpordius perabsurdè, ac perperam ante annum Christi septingentesimum vigesimum sic nominaret; cum Habsburgum conditum solum anno supra millesimum vigesimo septimo constet. Argumentabatur etiam Peireskii, quamobrem illi Principes, qui ex Sigeberto orti fingerentur, quique vixissent tum Pipini, tum Capeti temporibus, conquesti nullo modo fuissent iniuriam sibi fieri, tanquam ex Pharamundi stirpe superstitis, & successione legitima ad Francorum sceptrum vocatis? Verum quia tamen Comites Habsburgici secundum lineam masculinam ex Regum nostratum stirpe descendissent,

nouerat tamen Peireskii ex actis Murenfis in Heluetia monasterij nuperrimè editis perspicuè probari Principes Austriacos serie duntaxat fœminea ad Habsburgicam familiam spectare, masculâ verò pertinere ad Tiersteinicam, cuius Piespordium, & alios suppudere non debuisset; idcirco magna contentione, & repetitis literis curauit, vt amicus sibi, & nominatus iam antè Vicus tum legatione Regia ad eas parteis fungens, dextrè obtineret authenticâ formâ Actorum Exemplum, quod posset inferri in Chartophylacium Regium (adeò verebatur ne Autographo sinistri quidpiam contingeret) ac præsertim antiqua illa, quæ præfixa Actis erat Principum Monasterij fundatorum Genealogia. Re iam in tuto collocata, procurauit sollicitè iteratam editionem tum Actorum omnium, tum maximè eius Genealogiæ, quam, ne vnâ quidem syllabâ additâ, vel demptâ redegit in perspicuum schema. Ex eo autem statim patescit Wernerum Comitem Habsburgi, qui obiit anno millesimo nonagesimo sexto, filiam habuisse nomine ITAM de Tierstein, siue Homberg, hoc est, more loquendi Genealogistæ, Rudolpho Tiersteinico, siue Hombergico nuptam, quæ Wernerum genuerit, Patrem Alberti, Auum Rudolphi, Proauum Alberti alterius, Abauumque alterius Rudolphi, qui fuit eius nominis, & familiæ Austriacæ Imperator primus. Et mira sanè est industria, qua tam Franciscus Guillimannus, quàm ipse Piespordius, Wernerum Itæ filium sic dissimulant, quasi ille fuerit non ipsius Itæ, sed fratris eius filius; de

1618. cuius tamen progenie nulla vsquam mentio: vt neque Adelberti alterius fratris, ex quo successio Habsburgica ad familiam Tiersteinicam, seu Hombergicam transit. Sed nempe aduersari fidei manifestæ non puduit, & ita variè comminisci, vt Guillimannus quidem fecerit Itam Ottonis sororem, nurum, neptem; & Piespordius sororem, vxorem, nurum, & sororis neptem ex Wernero Tiersteinico. Et sic quidem Peireskiius lætabatur se præsecuisse ansam adulatoribus illis Genealogisticis; ac tantò magis, quantò Guillimannus magnam se fidem habere dixit Actis illis Murensibus, ipsùmque Guillimannum duobus annis pòst delegit Gaspar Scioppius, quem in ea parte stemmatum Austriacæ domus sequeretur. Non memini porrò, an hæc, an alia ipsi caussa fuerit inuisendi Rhemis Capitulare Archiuum, Canonicis diplomate iussis aperta ipsi facere acta, & tabularia omnia; ac exhibere duo quædam Instrumenta præcipua, magni momenti res continentia. Id memini, habitum ipsum penitioris historix Gallicanæ scientissimum, ac editum fuisse ab eo specimen, cuius, præter ipsum, alios habui enarratores. Cùm enim mense Martio contigisset illa memorabilis Basilicæ Curix conflagratio, ad cuius spectaculum vnà cum Iacobo Gilloto Senatore optimo intempesta nocte accurrit, deduxit eò deinceps quotquot penè erant in vrbe eruditos viros, vt considerarent Regias statuas, quæ truncæ supererant, cæteris in calcem conuersis. Et cùm nemo dicere posset, cuiusnam esset Statua, quæ etiam ante incendium

præfecto vultu fuerat visa; ipse ex superante vno lo- 1618.
culamentorum, edisseruit eam fuisse Henrici Angli,
quam Carolus septimus mutilare contentus fuisset,
neque omninò deiecisset, tanquam locum destinans
suz alium à loco, quem statua vsurpatoris occupauis-
set. Nec modò verò specialem illam aduersus Pief-
pordium, & alios nauatam voluit operam; sed quo
affectu prosequeretur, & sacrz Regiæ Maiestatis, &
Francici nominis gloriam, meditatus est ex eo tèm-
pore editionem Auctorum omnium, coætaneorùm-
que præsertim, qui Francorum originem, Histo-
riamque scriptis mandârunt. Tum quia nôrat pluri-
mos adhuc in variis Ecclesiis, Monasteriis, ac Biblio-
thecis priuatorum asseruari ineditos; conquirendi
curam assumpsit; & (quoniam ipsi non vacaret)
communicandi cum Andrea Duchesnio Historio-
graphorum diligentissimo, ipso quoque ex eo tem-
pore ad id animato. Is apparabat editionem Hi-
storiorum Normaniæ: Peireskius verò, vt suam illi
sagacitatem, & diligentiam argumento quodam
probaret, quæsiuit, ac obtinuit à Roberto Cottono
Anglo tum Anonymum, de gestis Emmæ Reginz
Anglorum; tum Guillelmum Pictauinum, quos ipse
breui pòst adiunxit, testatúsque est, Camdeni inter-
uentu transmissos, *Ad virum, inquit, Ill. & de li-
teris benè meritum, D. Nicolaum Fabricium de Petrisco
Regium in Aquitaniensi Prouinciæ Curia Senatorem,
mihî summo amicitia vinculo carissimum.* Quoniam ve-
rò Fronto Ducæus parabat eodem tempore editio-
nem Codicis Græci, literis maiusculis scripti, ma-

1618. gnámque Bibliorum partem continentis, & ea quidem antiquitate, vt diceretur correctus manu propria Origenis, attestantis cum Tetraplis mage vetustis fuisse collatum : ideò cum Peireskius probè meminisset exstare apud eundem Cottonum M.S. Græcum pretiosissimum, ab vsque Theodosij temporibus, caractere etiam maiusculo exaratum, & à Rege Iacobo mille aureis coemptum; ideò, inquam, vt ea editio ex collatione fieret completior, scripsit, misitque in Angliam, & fide, sponsonéque data, Codicem obtinuit, eúmque Frontone communicauit. Autumnus porrò fuit eius anni, cum nominatus est à Rege in Abbatem Sanctæ Mariæ Aquiltriensis in Aquitania. Quam operam eius occasione præstari Romæ oportuit, contulere vltro Cardinales varij, vt Cobellucius, Ursinius, & (qui postea fuit) Marquemontius; sed nullus tamen studiosius, quàm Massæus Barberinus, qui deinceps fuit, ac etiamnum viuit summus Pontifex. Nempè ex eo iam tempore necessitudo intercessit, exultaque est literis, vltro, citroque sæpius datis. Occasionem fecit perelegans Ode à Cardinali in Beatam Magdalenam composita, cuius initium, *Innixa pennis versicoloribus*. Cum enim Peireskius illius exemplum ab Aleandro accepisset, mirificèque ea delectatus, applausum etiam ab omnibus, quibuscum eam communicarat, eruditus viris tulisset; impetrauit, eodem Aleandro intercedente, licentiam, vt typis mandata amplius vulgaretur. Distractis exemplaribus, placuit iteratò poemata edere, sed grandiore forma, vt posset & ad Sanctam

Etiam Balmam (rupem, ac Eremum pœnitentiâ B. 1618. Magdalenaë insignem) & per Ecclesias, facellâque reliquæ Prouinciæ appendi. Quinetiam rursûs edere visum, postquàm procurauit ab eodem in gratiam S. Ludouici Franciaë Regis Oden contexi, cuius est initium, *Obiectu gemini maris*; & post conditas etiam alias, quas obtinere licuit Aleandro quasi suffurante. Sub anni finem celebris in cœlo Cometes effulsit, ad quem obseruandum adhortatus est quotquot nouit industrios viros. Ipse destitutus organis idoneis, & cum se multùm credere cœlo, ob inualetudinem, non auderet, alia ratione non attendit, quàm Telescopio capitis formam, & diuersitatem à cauda discernens, caudamque ipsam comparans cum Solaribus radiis per fenestellam traiectis. Lætatus autem postmodùm est, cum accepit potuisse nos versanteis Aquis-Sextiis paullò diligentius omnia obseruare. Vt pauca ex iis seligam, in illorum gratiam, qui scire hæc volent, Apparuit Cometes à Nouembris fine in medium Ianuarium; & quia emersio fuit matutina, idcirco cauda sursum nitens aliquot diebus visa est, priusquàm caput conspiceretur. Caput fuit subpallida stella, quantæ sunt fixæ primi honoris (sed non illarum instar scintillans) rotunda, quæ Solem spectabat; crispata, quæ erat auersa. Cauda, seu Crines, radiatio fuit tenuior, & paullò candidior, longa initio octantem cœli, & lata ad extremum, (quæ etiam nonnihil primis diebus versus austrum deflectebatur) sextantem propè prolixitatis. Apparitio Capitis prima, quæ Scorpius brachia contrahit, fuit; desi-

1618. tio, quà Draco Vrfas dirimens , postremo loco explicat caudam. Scilicet præter motum diurnum, quo Cometes Siderum instar oriebatur, occidebátque, progressus est etiam motu proprio à meridie in boream; sed ita tamen, ac si cœpisset à medio Scorpione, secuiissetve ibi Solis orbitam, cum inclinatione ad occasum graduum proximè sexaginta trium. Cùm initio verò is motus esset dietim duorum graduum cum besse, factus est sub nonas Decembris velocior gradu integro; deincepsque ita decreuit, vt tandem elanguerit: vt etiam cauda, quæ fuit illis initiis adeò proluxa, ita sensim contracta est, vt euauerit denique vnà cum capite confusa. Peireskius, hac re intellecta, parùm abfuit, quin Keplero assenserit, existimanti illum motum traiectionem fuisse rectilineam, quæ facta fuerit proxima nobis, cùm velocissima apparuit; neque diurna reuolutione impediri potuerit, quasi ea foret ipsi afficta ex reuolutione Telluris: aliunde tamen, vt agnouit non esse Cometam halitum terrestrem, sic persuadere sibi non potuit vel eructatum fuisse à Sole, vel concreuisse ex aura ætheria. Concessisset lubentiùs in eam Senecæ opinionem, quæ statuit Cometas non minùs perpetuos, quàm sidera perpetuò visa; adeò vt iste, cùm est conspectus, non recens fuerit genitus, sed recens apparuerit; nec interierit exsolutus, sed ob immensam longinquitatem videri tandem desierit. Res tamen ipsi visa est dura, finitum esse mundum persuaso; facillèque solùm admittit, quòd ex obseruatis demonstratum est, traiectionem

nem Cometæ fuisse non modò superiorem Luna, sed vix etiam Sole ipso inferiorem. De directione caudæ Cometæ in plagam Soli oppositam, non est cur aliquid addamus; cum præsertim locus non ferat, vt edisseratur, quamobrem ab exquisita oppositione, & nunc quidem ad dextram, nunc verò ad læuam, cum inæquabili quadam deflexione recesserit. Non est etiam cur de præfagiis; cum non postremum sit argumentum imbecillitatis humanæ, ad ista expauescere, quibuscum res nostræ commercij nihil habent. Mirum, cur saltem Deo non credatur, dum à signis cœli nihil metuendum iubet; scilicet ipse signa non faciens, ex quibus non expositis, quid futurum sit, caueri non possit. Nisi autem Deus Cometam calamitatum signum constituat; vnde-nam esse in Cometa potest aut futurorum notitia, aut affectus significandi? Annon ille suam pergit viam, vt naturalia cætera; parùmque eius interest, quid humanæ gentes inter se moliantur? Ac iste quidem dictus est portendisse cladeis postmodum sequutas: sed nempe antè non fuerant bella, pestes, ac Reges mortui? nullæ iam viginti post annis excitantur tragædiæ? Referunt adhuc ad Cometam: verùm erit cur pari iure exorituras referant turbas, quousque nouus Cometes sit, qui obliuionem istius creet, tametsi ante centum annos appariturus non fuerit. Attamen digredimur nimis. Nihil non deinceps egit Peireskius, vt tam specialis, quàm generalis Orbis descriptio perageretur. Nam primò, vt studiosè fouit, sic non leuiter animauit,

1619. Petrum Bertium, tum ex Hollandia primum aduentantem, vt Geographicas illas suas molitiones in lucem daret. Deinde, quia tum prodiit illa orbis Terræ descriptio secundum septem climata, & Nubienfis Geographia à Gabriele Sionita (qui textum Arabicum est interpretatus Latine) inscripta ; curauit statim Peireskii, exemplo ad Cluuerium misso, condi ab ipso Tabulam, qua locorum situs iuxta hanc Geographiam expressi intelligerentur. Ad hæc, quia perhibebatur Ioannem Mærium, nauarchum Hollandum, detecto spatioso, & tranquillo freto ad ortum Magellanici, obseruatisque nouis rebus, regionibus, ac populis, circumnauigasse fœliciter orbem, nec velle tamen, certo consilio, obseruatorum narrationem publici iuris facere ; idcirco tantum aduigilauit, vt à Gulielmo Schuttenio, nauclero præcipuo, Nauigationis totius diarium obtinuerit, quod latinitate donatum edi illico procurauit. Quia verò Mærius propterea cum Schuttenio litem instituit ; ideò de litis æstimatione dependenda securum voluit. Neque id porro obstitit, quò minus quidpiam simile circa profectiorem aliam attentaret. Nimirum fama percrebuit rediisse Hollandorum nauim ex mari Hyperboreo, quæ septem gradus proximè accessisset ad ipsum polum ; sed nullo tamen modo potuit velificationis seriem obtinere. Commendauit autem interea Nauarchum, quòd quamuis potuisset se polo, minore cum difficultate, quàm credatur, supponere ; non fecisset tamen, quoniam aliàs incertissimus plagarum Mundi effectus fuisset ; nullo

quippe iam existente Septentrione, aut meridie; nullo exortu, vel occasu; nullo magnetis ad ventos vsu; nulla methodo, qua in vnam partem, potiùs quàm in aliam discedendum nosset. Rursùs, quia nòrat Vincentium Blancum ciuem Arclatensem longè, latèque peregrinatum, congefisse quamplurimas rerum visarum obseruationes; idcirco illas quæsitum misit, vt (liceret modò per ipsum) dari in lucem procuraret. Obtinuit ergo: verùm attendens omnia ratiociniis infecta, ac ea præsertim opinione, quòd Terræ superficies non globosa, sed plana sit; capropter totum negotium erudito viro Nicolao Bergerono commissum voluit, mandauitque seligeret, ac suo modo diceret quæ essent mercè historica, narrationisque haberent fidem. Suadere deinde conatus est Blanco, vt id probaret consilium; præstitum idem in historiis, siue relationibus Pirardi, Moqueti, aliorum; permittendum Philosophis, vt eas quæstiones disputent, neque esse recitatoris dogmaticum agere, præsertim contra communem fidem: posse quidem sententiam de terræ planitie attingi; sed tamen tanquam à Barbaris creditam, non ab eo defensam; fore, vt si institerit, literatis ludibrio sit, narrationisque aliunde suæ, tametsi veræ deroget fidem; integram, & sinceram laudem ex nuda peregrinationum historia illi superfuturam; curaturum sese, vt opus dedicaret Regi, aut alij, qui gratè accipiat, cæteraque huiusmodi; quæ virum tamen ab instituto dimouere nunquam potuerunt. Præterea curauit incidi, excudisque denuò Tabulam

1619. Chorographicam, seu delineationem Prouinciæ à Petro Ioanne Bompario ante annos triginta confecta. Cum forma, elegantior licet, nihilominus non placeret, effecit, vt Iodocus Hondius eandem biennio post iteratò sculpsit; qui adhuc non modò in eo displicuit, quòd reticuerit Bomparij nomen: sed in eo etiam maximè, quòd editiones alias imitari maluerit, in quibus gradus latitudinis præter verum designantur. Nam Aquis-Sextiis, exempli gratiâ, adscribitur gradus quadragesimus secundus cum besse, cui debetur quadragesimus tertius cum semisse, & vno, alteròve minuto præterea. Heinc fuit illi semper in votis Tabulam nouam construere, quæ adhibitis nouis obseruatis, dimensionibusque magis exquisitis, exhiberet singula loca, tam cum cælo, quàm inter se ad amussim consonantia: verùm instituto fata obstiterunt. Postremò, quia mirè illum delectauit, quod Ioannes Baptista Morinus, cuius iam antè meminimus, quique deinceps inter professores Regios Mathematicos meritò inclaruit, de sua illa in Hungaricas fodinas peregrinatione aliquoties commemorabat; ideo auctor fuit, vt eam Relationem scriptis mandaret, ac ederet. Id autem ille præstitit; sed præmissa Mundi sub-lunaris Anatomia, qua euincere est conatus, vt aër in treis regiones distribuitur, ex quibus suprema semper calida, media semper frigida, infima nunc calida, nunc frigida est; ita terram in treis discerni, quarum infima semper frigida, media semper calida, suprema, aëri contigua nunc illo calefcente fri-

geat, nunc frigefcente caleat. Non fuere illi hæc studia satis; sed variis præterea officiis commendatos virtute viros demereri conatus est. Quid memorem enim, quod Pacium ex hoc tempore pro ipsius votis Catholicum factum, ac iam exoptantem redire in Patriam, donari curavit professione Iuris primaria in Academia Patauina; ut etiam cum idem Valentiam repetere post biennium voluit, accersiri ipsum procuravit per literas à Delphinatus Protege ac Præfide primo, iussu Regis scriptas? Quod cum Philippus Iacobus Mauffacus magnum Senatus Tolosani ornamentum nactus fuisset iam memoratos Iulij Scaligeri in Aristotelis historiam de Animalibus Commentarios, ipsum non parùm animavit, ut eos cum Notis ederet; neque segnis fuit, ut iam editos ad omnes viros per Europam eruditos transmitteret, uti ad Aleandrum, Pignorium, & alios? Quod Barclaij operâ vsus, exscripta habuit ex Vaticano codice Erotica varia, in gratiam Gilberti Gaulminij, insignis bonarum literarum luminis: cum accepisset ea deesse in Theodoro Prodromo, tum breui edendo ex Salmasiano Codice; ut ille quoque testatus est in præfatione ad lectorem? Quod exemit variis varios scrupulos, ut Pompeio Paschalino de Patru defuncti Cameis; ut Thomæ Erpenio de Saracenica historia, ac huiusmodi alia multa. Inardescabant tum studia inter memoratum aliquoties pereruditum Iacobum Sirmondum, & Claudium Salmasium, illud aliud humanioris literaturæ decus eximium, circa quæstionem celebrem, cui ab vno

1619. anno locum dederat Iacobus Gottlofredus duabus dissertationibus de Suburbicariis regionibus, & Ecclesiis; seu de Præfecturæ, & Episcopi vrbis Romæ Diœcesi, coniecturâ. Et quousque quidem ea controversia processerit; quàm multi vtrîmque eruditi viri symbola sua contulerint, referre haud est huius loci. Dico solùm Peireskium omni cura allaborasse, vt, quod eruditos decebat, res leniter perageretur. Certè cum ipse quoque Alexander se interposuisset, mississetque Româ ea de re tractatum, qui cederetur Parisiis, vix id probare Peireskîus potuit: & cum vgeretur, editionem procuravit quidem; sed temperatis priùs quæ ille de Conciliorum, Pontificùmque auctoritate attigerat, quæque aduersus sententiam improbatam respererat paullò acerbîus. Eadem libertate, vt aliud attingam, vsus est aduersus Barclaium, qui Argenidi intexuerat nescio quem Dialogum paullò liberiozem. Accepit nempe sub idem tempus magnam operis eius partem, quam mandari typis curaret. Et Barclaius quidem in illo, tam ipsi, quàm Vario certam destinavit personam; at Peireskîus, laudato affectu, maioris longè duxit, gratiorinque habuit, quam se illi debere dixit, Virginij Cæsarini, bonis literis, artibûsque excultissimi viri amicitiam, acceptis eius literis, elegantissimisque elegiis. Sed Barclaius nempe laudandus, qui quocumque potuit modo est gratitudinem testatus; veluti rursùs, cum exceptâ per id tempus Romæ familiâ, Elegiam texuit nomine vxoris, in qua hæc, præter cætera,

Vera

*Vera loquor, multum, diuine Viassæ, iuuit,
 Quò fugerem lætus, tunc meminisse tui,
 Ingenisq; viri, seruent quem Numina Gallis
 Peiresij; nihil, hoc sospite, triste dabunt.*

Ingenium spectes, credas de Pallade natum:

Virginis hæc quàm sic ponere nomen amet!

Quicquid erant Musæ, quicquid Prudentia quondam:

Hunc unum Gallis scilicet esse putes.

Vinat, amètque meum, rata sint ea pacta, maritum:

Vinat, & in laudes crescat ad vsque suas.

Atque hæc quidem anno iam sexcentesimo, ac vi- 1620
 gesimo; cuius ineunte, ac ruente vere, stranguriâ,
 aliisq; morbis ita laborauit, vt non sine magno
 animi dolore præpeditus fuerit, ne sequeretur Va-
 rium, cum Rex ætatis initio ad sedandum Norma-
 niæ, Prouinciarumq; aliarum turbas; ac postea
 etiam in Aquitaniam, Bearniamque discederet. Con-
 ualescens, accepit Genuâ à Pio Mutio literas, quibus
 certior effectus est, nonnullas adhuc Pinellianæ Bi-
 bliothecæ reliquias exstare. Scripsit enim ille reperisse
 se quinquaginta duas orationes Themistij, quæ ser-
 uatæ ex illa fuissent, quæque editæ non reperiren-
 tur, etiam inter euulgatas ante duos annos à Dio-
 nysio Petauio, viro, quo nescio an habeat erudita
 LESV Societas doctiorem. Id ad ipsum retulit sta-
 tim; & cum offendisset meditantem iam opus illud
 ingens de Doctrina temporum, quod paucis post
 annis in lucem emisit, non pauca, eius occasione,
 in gratiam Scaligeri, amici quondam sui, differuit:
 Circiter id tempus, spectauit curiosius Sacelli Basili-

1620. *cx*, seu, vt vulgò indignant, Sanctæ Capellæ Gazo-
 phylacium: In rarissima autem illa, pretiosissimæque
 supellectile, Cimelium detexit omni pretio maius,
 Cameum videlicet, siue Achatem Orientalem, Sar-
 donychémve Arabicam, amplitudine Parisiensi, seu
 Regio pedi exæquatam; in qua sculptæ viserentur
 miro artificio viginti quinque figuræ, omnes can-
 dore eminentes, & in nigro æquore stauedine qua-
 dam subobscura interstinctæ. Exornata illa circum
 fuerat Christianis figuris, & epigraphis à Græco quo-
 dam Imperatore: adeò vt cum Balduinus eam op-
 pignerasset D. Ludouico, ac postmodum tandem
 venisset in manus Caroli Regis, nomine quinti, &
 crederetur sacram quandam continere historiam; in
 eum Thesaurum, quasi Donarium religiosum, fue-
 rit illata. Peireskiius portò, cum rem spectasset, &
 ad figurarum conditionem attendisset, cognouit po-
 tiùs prophanam quandam repræsentari historiam;
 & quantum coniecturis potuit assequi, credidit esse
 Apotheosin defuncti Augusti. Eam nuper Ioannes
 Tristanus Santamantius, rerum antiquarum eximiè
 peritus, ære inciso exhibitam in suos inseruit Com-
 mentarios. Testatus est autem se primam illius no-
 titiam hausisse ex Peireskio; præfatus *virum rare
 adeò, exquisitaque eruditionis, vt omnem suam commen-
 dationem inferiorem censeat ea claritate nominis, qua totâ
 Europâ euasit illustris.* Scribit deinceps se prima vice
 in comitatu Peireskij spectasse hoc rarum antiquita-
 tis monumentum, ocepissèque coniiicere, ecquid rei
 repræsentaret. Quandoquidem verò temporis pro-

gressu circa nonnulla capita à Peireskij mente deflexit, contigitque, vt aliquoties differentem ea de re τὸ μαχαεῖτιν audierim; ideò rem ingratham fortassis non faciam, si præcipua quædam interpretationis discrimina heic attigero, in illorum gratiam, qui rem totam studiosius examinaturi Achatem ipsum, aut cætypum, memoratùmve habuerint librum. Ergo, quem Santamantius interpretatur esse Iouem, succedente Ænea; Peireskius esse censuit Augustum, Deæ Romæ ope elatum in cælum; & quem ille vult esse Augustum; ipse interpretatus est Marcellum equorum amantem, quem fata terris solùm ostendêre, innuente Roma, quod ab illo recusabatur Orbis imperium, tradere sese Tiberio proximè supposito. Et certè, si attendas ad prototypum, adolescentis potius, quàm senescentis vultum agnosces. Sic quem Peireskius sub Marcello existimauit esse Drusum Tiberij filium, manu versus Iouem extenta, tanquam postulando, post patrem, imperium; autumat Santamantius esse Numerium Atticum, contemplantem, attestantemque fuisse Augustum raptum in cælum: Et quam assidentem Druso Liuillam vxorem ille censuit; censet hic esse posse Iuliam Augusti filiam in exilium actam; vt credidit illum ad dextram Iouis esse Drusum Tiberij fratrem; quem potius Iulium Cæsarem Peireskius esse existimauit. De Germanico, Agrippina, Caligula, discrimen nullum; imo nec de Tiberio; nisi quòd Peireskius vestem Imperialem serpentibus circumdatam esse dixit Ægidem Iouis; appellauitque lanceam sine ferro,

1620. sceptrum prælongum. Sic censuit Antoniam Germanici matrem, quam Santamantius Liuiam; & contra Liuiam esse putauit, quam Santamantius Antoniam. Sed hæc obiter. Cæterum Peireskius ita exultauit, ob præclarum adeò Cimelium repertum, vt non modò ad intuendum & Santamantium, & cæteros, quotquot erant Parisiis, curiosos viros inuitârit; sed etiam de eo literas ad amicos in Angliam, in Germaniam, in Italiam, per totam Galliam dederit. Scripsit autem de eo præsertim ad Petrum Paulum Rubenium Antuerpiensem, pictorem celeberrimum, & totius antiquitatis, sed Cameorum imprimis studiosissimum, peritissimumque, qui dicto citiùs exsiliit, vt rem spectaret cominùs, & exprimeret coloribus viuus. Tulit autem Peireskius, Cimeliique vice nobilem habuit effigiem, præter ectypos varios sulphureos, gypseos, chartaccos, quos ex Achate ipso expressit. Adiciendum verò, quòd præterea, non sine quodam numine, ectypum sulphureum obtinuit Camei alterius, in ipso Imperatoris Cimeliarchio asseruati. Achates est similiter, sed superiore nonnihil minor, quem Philippus Pulcher Pissiaci monialibus legauerat (cùm habuisset ipse ab Hierosolymitanis Equitibus, illum in Palæstina nactis) quemque per bella ciuilia furto sublatum, Mercatores quidam detulerunt in Germaniam, ac diuendiderunt Rudolpho secundo duodecim milibus aureorum. Expressus autem fuerat, adseruatusque ectypus, quem nescio qua sorte Peireskius fuit assequutus. Neque verò ectypum modò, sed ger-

manam etiam picturam consequutus est, elaboratam 1620.
iam pridem celebris illius Nicolai pictoris manu, cuius egregia opera in Fontis-bellaquei xysto inspe-
ctantur. Præterea autem eius figuras ita esse in-
terpretarum, ut opinatus fuerit illis designari Apo-
thecosin viuentis Augusti. Quippe, ut apud Iose-
phum legitur factus ab Herode Cæsaris Colossus,
forma, ac magnitudine Iouem Olympium referens,
itemque alius Romano par, referens Iunonem Ar-
giuam: ita videtur in his figuris repræsentari Augu-
stus habitu Iouis Olympij, unà cum Dea Roma ha-
bitu Iunonis Argiæ: apparentque aliunde Iupiter,
& Iuno abeuntes, locum cedere; itemque signum
Scorpij contrahere brachia, cæteraque huiusmodi.
Laborauit quoque deinceps infestissimo oculorum
morbo. Sed ut prosequamur quàm multa propterea
non destiterit per hæc interualla morborum moliri,
curauit ecce æri incidi elegantissimas figuras, quibus
illustraret librum à Rege Renato Comite Prouinciæ
de Torneamentis conscriptum, ac editioni destina-
tum; idque postquam obtinuit à Ioanne Iacobo
Chiffletio Vesuntino; medico claro, aliud de Tor-
neamentis volumen. Meminit huius curæ Andreas
Fauinus in libro Theatri honoris, ordinumque
Equestrium tertio. Resumpsit & curam memorati
suprà Constantiniani Kalendarij, de quo proinde
scripsit ad Schilderum Cameracensem Canonicum,
à quo illum habuerat; simulque ad Franciscum Ca-
rondeletium, eiusdem Ecclesiæ Decanum, qui exi-
mia rerum bonarum curiositate tenebatur. Sollici-

1620. tus fuit de variis rebus ; quæ auferabantur in Mu-
 fæis Ducis Arfchotani , & nominati mox Rubenij :
 ea verò in re fecit illi fatis Ioannes Gaspar Geuar-
 tius , celebris , & ; si quispiam alius , germanus Mu-
 farum alumnus , quicum amicitia non leuis fuerat
 Parifiis iam inita . Præterea singularia quæque cum
 Ramberuillero Vici commorante numismata com-
 municauit ; ne vicissim commemorem ipsum Ram-
 беруillerium nihil prorsus habuisse in pretiosis lo-
 culis , quod non fecerit cum ipso commune . Anni
 1621. insequentis primo statim vere amplius , quàm men-
 se decubuit : adeò vt neque discessurum iteratò cum
 Rege Varium comitari potuerit ; neque Hugoni
 Grotio , tum primùm in Galliam appulso , quàm
 multa , magnaque officia destinauerat , exhibere :
 scilicet tanti illum ducebat , vt in vicem Scaligeri af-
 fertum Gallix diceret . Prætereo autem , cum Grotius
 deinceps sese ad scribendum historiam suorum tem-
 porum compararet , communicasse cum illo Peires-
 kium tum monumenta varia , tam priuata , quàm
 publica , quæ fuere sibi præ manibus ; tum complu-
 ra , quæ ex Italia repetita obtinuit , nominatim verò
 ab Antonio Querengo docto , & magni nominis
 viro , ad quem multa fuerant ex Gallia transmissa ,
 conscripturum Ducis Parmensis , seu Alexandri Far-
 nesij gesta . Transit sub id tempus Parifiis memora-
 tus suprà Vicelegatus à Balneo , Pontificis Nuncius
 destinatus in Flandriam ; qui cum vellet singularia
 quæque in vrbe spectare , sed tamen quasi incogni-
 tus , commodùm profectò conualuit Peireskii , qui

ipsum variè deduceret ad eruditos, ad Musæa, ad opera omnia rariora; ac insigni alacritate præstaret vnus officia, vix à pluribus simul expectanda. Atque id quidem mense Iulio: sequutus est verò Augustus, quo luctuosiore non habuit. Eo nempe mortuus est Varius, cui per octiduum laboranti non potuisse suprema quæque exhibere obsequia, molestissimum sanè fuit. Obiit autem vir ille magnus Tonini Nitiobrigum, in obsidione Cleracensi, tertia dicti iam mensis die, ingenti Gallia totius luctu. Quàm verò speciatim percussus eo casu fuerit Peireskianus, nihil est necesse commemorare: quippe perspecta iam indoles, vehemensque amor, & diuturnus cultus, quo prosequutus virum fuerat, vel me tacente, satis insinuant. Meritò sanè quotquot penè de Varij morte condidere carmina, nuncupauere Peireskio: nemo enim fuit vt afflictior, ita consolatione dignior. Fuere in iis Hugo Grotius, qui sic illum affatus est,

*Quòd tu, qui nuper Regni moderantibus omne
Arbitrium curis dulce leuamen eras,
Morte super cunctos fasciis exstantis amici
Attonitus, tanquam propria damna, doles,
Optime Peirese, tanto indignissime casu,
Inuidet hunc luctum Gallia tota tibi;
Atque in communi Mundi, Patriæque dolore,
Præcipuas partis vnus esse vetat: &c.
Itémque Petrus Bertius, cuius hoc inter cætera,
Si, Peirese, tamen sic placuit Deo,
Quid maesti querimus! quin potius modum*

1621. *Lesso firmus, & nos quoque, cum vocat
Sors nostra, has patimur vices?*

Alios vt mittam ; dico solùm, cùm Peireskius in eo incubuit, vt honores Viri virtuti, dignitatique debiti, & decernerentur, & exhiberentur; egisse id illum, & quòd foret vnus ex tribus supremorum mandatorum Curatoribus (legatis simul Cimeliis, quæ fuere maxima ex parte numismata Gotthica) & quòd non posset satis pro votis erga eius Mancis testari affectum. Casum istum fuit consequutus alius, quem etiam ægerrimè tulit. Obiit enim Romæ Barclaius, eodem penè tempore, quò in Castris Varius: adeò vt illum Peireskius tum elatum acceperit, cùm ab eo consolatoriam, epicediùmque expectaret. Vtgebatur tum fortè Peireskius, vt editioni Argenidis extrema manus imponeretur: quare, inter cætera, doluit vitam absolutam Auctori non fuisse. Consolationi alicui fuit, quòd præhabuisset illius elegantissimam iconem: subscribi autem ipsi voluit carmine elogium, ex eiusdem Grotij vena diuite, quod ad ipsum quoque Debonerum misit. Non fuere casus isti satis; sed superuenit breui mors alia, quam ægerrimè etiam tulit. Ea fuit Henrici Lotharingij, Meduanij Ducis, qui die Septembris decima sexta Montalbani occisus est. Amor illius erga Peireskium fuerat vehemens, & candoris plenus; vnde voluerat, suamet sponte, Abbatiam Aquistriensem factam, restamque facere; in seseque recipere & fundorum, & hominum, per ea bella, protectionem. Cùm renunciata hæc mors fuit, laborabat Peireskius

kjus

kius octauum iam diem dolore renum, ac strangu- 1621.
ria; sub cuius initium non potuit id Prodigium per-
spicere, quòd non in ipsis mòdò castris, sed Parisiis
etiam, & per totam Galliam, alibiq̃ue visum, stu-
porem creauit. Claritas nempe insignis fuit, quæ
nocte sequente diem duodecimam, borealem cœli
faciem ita occupauit, vt auroram clarissimam per
multas horas fuerit mentita. Id sanè mirum, silen-
te Luna; sed mirabilius visum est, vaporem ea re-
gione fusum, & ad polum vsque euectum, sic fuisse
distinctum in quasdam veluti columnas albescents,
& subobscuras, alternatim sitas; vt cùm horis
ad amissim forent, promouerentur lentissimè ab
oriente in occidentem. Denique miraculo fuit, ex
albescensibus attolli, breui spatio, ad verticem vsque
pyramides quasdam, siue obeliscos valdè candidos;
ipsisq̃ue consistentibus, traiectos vapores, vt tenuis-
simos, ita candidissimos, motione adeò celeri, vt
fulgetra imitarentur. Hæc attingo, quia Peireskius
lætatus est, rem fuisse nobis obseruatam; factusq̃ue
exinde est certior, nihil aliud fuisse, quàm naturæ lu-
sum, quem Apparatum bellicum, aut Ideam exer-
citus multi fuerant interpretati. Addiderant sanè
nonnulli visas sibi instructas acies, incedentibus pe-
ditum, equitumq̃ue ordinibus; ac postremò visum
conflictum, cum explosione globulorum è tormen-
tariis fistulis. Mirum, quòd non simul clangorem
tubarum, clamoremq̃ue virum auditum depredica-
uissent; quandò eadem credulitas, infirmitasq̃ue hu-
mana est, quæ his figmentis locum facit. Credibile

1621. profectò est, nisi omnia, at benè multa, quæ in hì-
 storiis similia exstant, ex eadem esse origine, neque
 ampliorem fidem mereri. Ad lugubreis illos euentus
 vt redeam, nihil est quòd memorem de morte Car-
 dinalis Bellarmini, quæ sub idem tempus Romæ con-
 tigit. Quippe licèt eâ inauditâ Peireskius nonnihil
 conturbatus fuerit, consolationem tamen cepit ex
 opinione præhabita, & subsequuta statim fama ad-
 mirabilis sanctitatis. Attexenda est potiùs, quæ vi-
 rum eximiè constantem exanimare penè potuit,
 nunciata Pauli Gualdi mors, quæ contigit mense
 Octobri. Ea nimirùm fuit æstimanda ex habita vs-
 que apud Pinellum consuetudine, & ex officiis va-
 riis, literisq; suauissimis supra vicennium commu-
 nicatis. Miserat ad illum Peireskius mox antè, cùm
 varia Telescopia, tum vitra Microscopica, non ita
 pridem adinuenta à Cornelio Drebelio, ipso quoque
 Alcmariensi, & Regi Britannix à Mechanicis. Quia
 porrò Galdum ipsum tandiù, tantoperèque ama-
 uerat; carissimos proptereà habuit illius ex fratre ne-
 potes, Iosephum Archipresbyterum, & Ioannem
 Baptistam Equitem; huncque imprimis, qui sede
Romæ delecta, vt rerum bonarum fuit studiosissi-
 mus, ita illarum promptuarium cumulatissimum ap-
 parauit. An heic adiiciam non proprium quidem,
 sed lamentabilem tamen casum, cui interesse eum
 contigit? Is fuit incendium memorabile sublicij il-
 lius, ac gemini Pontis, superexstructarumque ædium,
 quibuscum opes argentariorum, sericeorumque.
 Mercatorum aut exultæ sunt, aut submersæ. Ille cer-

*Vide quid notauerim
 de h. Peireskio pag. 11
 in Laudatione P. Pei-
 reskij a Io. Iusto
 Brucardo Beronio
 in hoc volumine
 annexa*

tè & promptus accurrit, & magno dolore spectavit, 1621.
 & sollicitè descripsit quicquid infandâ illâ ignis ve-
 hementiâ patratum est. Dicere autem solitus fuit,
 se quouis pretio redempturum pictam tabulam, in
 qua illæ eructationes, molésque flammaram exhi-
 bitæ forent. Siquidem nihil æquè horrendum fuisse
 à Nerone spectatum; quòd tota penè materies ar-
 dens heic esset mera lignorum strues: cùm succensa
 illa spectante Nerone ædificia lapidea fuissent, ne-
 que fluctus, aut gurgites adedò immensi suppositi. Post-
 hæc, subiit illum quidem cogitatio redeundi do-
 mum; sed sensim tamen procraftinauit in vnum, al-
 terúmque annum. Commissam tulere per ea tempo- 1622.
 ra Sigilli sacri custodiam tum non postremus ami-
 corum dictus sæpè Mericus Vicus, tum Ludouicus
 Faber Caumartinius, quorum vterque eius affectus,
 quo Varius illum prosequeretur, videri hæres vo-
 luit. Perseueravit quoque gratus, carúsque ærarij
 Præfectis, eoque maximè nomine, quòd sibi nihil
 postulans, intercessorem solum egit virorum benè
 meritorum. Deinde finem nunquam fecit mittendi
 quoquo versum libros. Quamobrem Camdenus præ-
 aliis, *Par est, inquit, tibi de tua munificentia, & opti-
 morum librorum tanta suppellectile gratias agere cumulas.*
 Ad Seldenum cùm mitteret, rogauit ipsum aliquan-
 do, vt, vel sui causâ, obseruaret situm Ecclesiarum
 Angliæ, an nempe ingredientibus constitutæ forent
 versus ortum, & respectarent-ne Æquinoctium, an
 Solstitiorum alterum. Rem videlicet dignam iudi-
 cârat, quæ exploraretur; ad examinandum, vt puto,

1622. num maiores nostri direxissent potius ad ortum hiemalem, quàm ad alium; quòd iuxta antiquam Ecclesiæ obseruationem, traditionemque, Christus Dominus, qui dicitur Oriens, natus fuerit Sole versante in hiberno Tropico. Res profectò ipsi non malè Parisiis iam successerat, cùm exploratione facta per Iacobum Allealmum celebrem Mathematicum, deprehendisset omnes veteres Ecclesias ab Æquinoctiali exortu versus hiemalem deflectere, exceptâ solâ San-victorina, quæ deflecteret in æstiuum; & nulla habita ratione San-benedictinæ, quam Bistornatam hærebat dici, quòd fuisset seu bis, seu malè conuersa. Procurauit ad-hæc complura viris eruditis Manuscriptorum exempla; ac nominatim ex Bibliothecis Escuriali, & Vaticana: ex quibus habuit, præcæteris, exemplum Syncelli, cuius copiâ adiutauit virum eruditum Ioannem Baptistam Altinum, qui tum operis interpretationem, editionemque moliebatur. Cùmque ea occasione misisset ad Alemannum ichnographiam exquisitam porticus Sanctæ Genouefæ, pluriùmque aliorum locorum, accepit rursus pro eodem Altino exemplum *αλεξδδ'των* Procopij, eo animo, vt ederentur. Obtinuit etiam tum ex Vaticana, tum ex Ambrosiana Mediolanensi exempla quædam Africani, aliorumque Tacticorum, in gratiam Ludouici Machalti viri strenui, auctorumque Militarum, & Mathematicorum studiosi. Is est, cui Peireskius pulchro quodam diagrammate demonstrauit modum multiplicandi species vnus, eiusdemque rei, inter duo specula à se inuicem lateraliter

declinantia. Rursus, cum Nicolaus Bergerus Rheimensis scriberet gallicè historiam publicarum Romani imperij viarum, quas βασιλικαί Græci vocant, testatus est in præfatione *indicatam sibi à Peireskio itinerariam Tabulam operi suo pernecessariam*. Ea verò est, quam M. Velferus ex Pentingerorum Bibliotheca eruit (editis priùs, & commentario illustratis schedulis duabus, fœlici quadam sorte repertis) quàmque Abrahamus Ortelius post desideria longa obtinuit, & Ioanni Moreto euulgandam primùm reliquit, Petrusque Bertius, non sine Peireskij consilio, Ptolemæo suo apposuit. Insuper varia fuère officia, quæ plerisque exhibuit. Veluti Ioanni Mocenico, cui cimelia rarissima fuerant Venetiis furto sublata: Claudio Menetrio Vesuntino, rei antiquariæ studiofo, & à Chiffletio literas habenti: Kufflero cuidam Drebelij affini, & Microscopicæ fabricæ perito, pergenti in Italiam: & aliis oppidò quam-multis. Inierat iam annus alius, eratque Februarij dies duodecima, cum Cancellarium Sillerium inuisens, coronamque virorum illustrium, eruditorumque offendens, admonuit Niuem decidere, quæ sexangula, seu stellata foret. Re obseruata, omnibusque quasi prodigium habentibus, edisseruit rem esse magis, quàm crederetur, familiarem. Scilicet aliquoties per singulas hiemes ningere similibus stellis: sed neminem aduertere, tum quòd plerumque eæ stellulæ in flocculos quosdam inconcinnos abeunt, tum quòd decedentes solitariæ, vel humescentes citò euanescunt, vel commistæ citò confunduntur. Ac mirabilem

1623.

quidem esse contexturam illam ex virgulis tribus se-
 se interfecantibus, adeò vt appareant sex radij ex
 vno quasi centro prodeuntes : sed mirabile minùs
 non videri, radios illos nunc esse nudos, nunc quasi
 foliatos, arborecentesque, nunc quasi insertos in
 modiolum, aliàque id genus, quæ ab amico acceperat.
 Illum fuisse aliàs conatum causam reddere, tum
 candoris Niuis, ex bullulis lucem reflectentibus; tum
 formæ stellatæ, ex sex triangulis æquilateris, in quos
 circularia sponte nature conformantur : sibi verò
 nihil visum probabilius, quàm creari, formarique
 Niuem ex feminibus propriis; vt lapidum quoque varia
 genera eodem semper modo, non secùs, ac plantarum,
 animaliumque figurantur. Requisiuit tunc aliquis,
 num fortassis hæc semina fertilitatis anni essent
 causa, testantibus agricolis vberiore esse agrorum
 prouentum, vbi nix diutiùs incubuerit. Ipse excep-
 pit, alia Niuis, alia plantarum semina esse; nec pro-
 uenire ista vberius, quòd nix sua pinguedine, vt
 vulgò putant, agros fecundet; sed quòd prodeun-
 teis ex imò terræ pingueis halitus reprimat, & in ali-
 mentum satorum conuertat. Id intelligi, quòd eisdem
 existentibus calidis, nix infernè sic soluitur, vt
 locum faciat succrescentibus plantis, incrustetur, for-
 niceturque, & , succedente veris tepore, per latera
 montium in ingentis moleis disrupta excedat, pro-
 uectamque herbam interim relinquat. Facta exinde
 est occasio differendi de vi aquarum in quas niues
 resoluuntur; adeò vt iam Nili exundatio germanam
 hanc causam agnoscat; & cum ipse dixisset non to-

tam hanc aquam in torrenteis effluere, sed quadam ex parte etiam imbibit, scaturiginibus fontium adaugendis; quippe & Fontem Vallis-clausæ non vberioremodò tunc erumpere, sed aliquantulum etiam conturbari; pergratum fuit toti coronæ audire illum paulò copiosius de origine Fontium differentem. Tum verò sententiam exponens, qua constantiorem non habuit, declaravit sibi nunquam visum originem Fontium ex mari, aut ex aëris in aquam conversione esse; sed deberi prorsus aquis pluviis (adde & quidpiam nivialibus) quæ longè, latèque decedentes ita combibantur, ut in terram penetrent, quousque incurrant in varia receptacula, quorum sit fundus ex lapide, argilla, aut alia materia aquæ continendæ idonea; quæque infernè definant in eas meatuum angustias, ut collecta aqua sensim effluat, suppetereque adeò possit in dies, in mensis, in annos. Argumento esse, quòd insignes quæque scaturigines sint ad radices montium; in quibus, quòd sint rupei, pleraque interiùs existant eius generis receptacula, in vnum tandem concurrentia: & quæ in locis planis visuntur, ex montium procùl positorum receptaculis per subterraneos ductus deriventur. Possè quoque eadem ratione scaturire aquas non longè à verticibus inferiorum quorundam montium, quòd nisi illis sufficiant receptacula propria, possint per simileis meatus ex receptaculis editiorum montium deduci; cum aqua tantundem reflueret sursùm, quantum effluere deorsùm valeat. Unde & ratiocinabatur, neque in continente,

1613. neque in insulis, quæ haud dubiè superficie maris elatiores sunt, scaturigines exstituras, si ex mari deducerentur; quòd aqua non altiùs emergat, quàm demersa fuerit. Nam aquas quidem in summis ipsis summorum montium verticibus, quod vulgò dicunt, scaturire, id ipsum fide planè carere; nullis nimirum testibus existentibus oculatis. Causam proinde quare æstate, & per siccitates præsertim diurnas Fontes inarescant, aut valdè minuantur, non aliam posse assignari, quàm quòd aquæ iam memoratis receptaculis contentæ, vel omninò effluant, vel pauca supersint. Inde esse, cur redeuntibus pluuiis Fontes rursus scaturiant; quasi oppletis denuò receptaculis, non per leueis quidem, aut raras; sed per insignes, continenteis, & complurium dierum, atque mensium pluuias. Verum autem esse, quod Scriptura refert Originem fluminum, atque adeò fontium ad mare; sed nempè quatenùs ex mari partim aperto, partim subingresso in specus, ductùsque subterraneos, euehuntur vapores, qui in pluuias versi, originem fontibus, ac fluminibus expositam faciant. Sensit deinde necessitatem discedendi incumbere; quocirca edi demùm concessit, cum facta sibi à Pignorio nuncupatione, Opusculum illud de Magnæ Deùm Matris, Attidísque initiis. Id quia continebat interpretationem Symbolorum eminentium in manu quadam ærea Tornaci inuenta, & à Dionysio Villerio cum Peireskio communicata; institerat à tribus iam annis, vt mutatam dedicationem ad Villerium ipsum Pignorius referret. Impe-
trare

trare cum non potuisset, differri diutius editionem noluit, agente cum ipso Pignorio his verbis. *Tibi ut inscribam, multa faciunt; sed imprimis humanitas tua singularis, quæ me totum penè quotidianis beneficiis ita deuinctum habet, ut mihi non supersit amplius, quod meum iure possim appellare. Deinde vis omnigena eruditionis tuæ, quæ antiquitatem omnem, & quicquid uspiam præclari est, animo, & studio es mirificè complexus.* Imprimi etiam procuravit Georgij Ragusæ Epistolarum mathematicarum, seu aduersus artis diuinatrices libros duos, quos à Paulo Gualdo acceperat, quosque carissimo sibi Hannibali Fabroto, memorato superiùs Antecessori Aquensi, Parisiisque per id tempus agenti, reliquit. Sic sollicitè animum intendit, ut opera Varij adauctissima ederentur: quod quia non potuit ante discessum, ut optauerat, perfici, ideò absoluendæ editionis curam vniuersam Duchesniò commisit. Sic repetitam, adauctamque editionem poematum Cardinalis Barberini semiperfectam relinquens, totam penes Viasium, tum agentem Parisiis, operamque vltro pollicitum, sollicitudinem deposuit. Quod illum porrò iam adegit ad maturandum reditum, fuit ætas, ac morbus ingrauescens Patris. Et expectasset tamen autumnum, nisi ex quadam destinatione, ac necessitate transituro per Aquitaniam, ut Abbatiam inuiseret, præocupandum fuisset tempus. Discessit ergo mense Augusto, hoc est post menseis aliquot supra septennium Parisiis exactos. Aureliæ cum foret, accepit Româ à Debonato literas, renunciantes electionem Car-

dinalis Barberini in Pontificem Maximum, nomine Vrbanum octauum. Ea re gauisus, scripsit illicò ad Pontificem epistolam gratulatoriam, quam illi fuisse incundissimam neque ipse Debonærus, neque Aleander reticuerunt. Minimè verò etiam reticuit Pontificis Nepos Franciscus, qui Cardinalis Barberini cognomentum deinceps tulit; quique incumbit continuò artibus bonis promouendis, eruditorum fautor eximius, ipsèque captus omnium studiorum ingenuorum illecebris. Ille ex eo tempore usque, ut à Peireskio crebras accepit, ita & dedit literas, non eruditionis minùs, quam humanitatis, & amoris plenas. Aureliâ discedens habuit inter alios ex suo comitatu memoratum Ioannem Lombardum, cui à septem annis impetrauerat, & negotiantem quidem miserat diploma antigraphiæ, cognitionisque Regionum, & publicorum per Prouinciam ædificiorum. Destinârat illum Reginaldus parens, qui sollicitaret discessum; Peireskio verò iucundum fuit socium habere itineris, quòd illius industriam vtilem fore existimârit. Heinc præstò habere semper debuit calamum, chartam, regulam, circinum, ceram, sulphur, & id genus alia, ad delineandum, conscribendum, adumbrandum, exprimendumque cætypis, & apographis, quicquid viseretur adnotatu dignum. Et apud Andeis quidem exprimi potissimum voluit icones Principum Andegauensis stirpis, quales obtineri potuerunt ex vitris, Ecclesiisque tam S. Mauritij, quam Franciscanorum. Turonis diutiùs moratus est, quòd præ-

ter alia quamplurima, detentus fuerit potissimum S. Martini Tabulariis, in quibus diplomata Regum, aliâque acta perantiqua. Circa Abbatiam, totus fuit in suadenda reformatione, destinandâque instauratione ruinarum insignium, quas Monasterium fuerat per bella ciuilia perpeffum. Nimius sanè forem, si enumerarem quæ innumera obseruauit itinere deinceps toto, quæque est consequutus honoris, ac beneuolentiæ testimonia Burdegalis, Tolosæ, cæteris in locis, in quibus nemo fuit dignitate, aut eruditione conspicuus; qui non illius frui conspectu, colloquiôque desiderârit. 1623.





DE VITA
PEIRESKII
LIBER QVARTVS.

OCTOBER iam erat , cūm domum accessit ; plurimis quidem expectatus , sed Patri potissimum , per id tempus melius habenti. Non longè autem à reditu Diploma Curiaē exhibuit , quo à Rege permittebatur perseuerare in functione dignitatis pristinaē , seu exercere saeculare , laicumque , vt vocant , Officium ; tamen factus Abbas induisset Ecclesiasticam personam. Ipsa verò Curia non modò assensit , sed vnanimi etiam Senatusconsulto decreuit , vt iam admissus in primam Classē , in ea perpetuò consisteret : neque , vt fieri per vices solet , ad minus Auditorium , quod appellant Turriculam , & in quo de criminibus ferè cognoscitur , rediret. Ac obtinuit quidem praeterea Rescriptum à summo Pontifice , quo capitalium facinorum interesse iudicii licuit (nempe in maiore quoque Auditorio selectiora quaedam diiudicari mos est) , attamen illo

nunquam est vltus; sed ſemper, quotieſcumque ventum ad diſquiſitionem fuit, & duo, vel tres calculi in capitalem ierunt pœnam, ſolitus eſt pedem efferre, neque conferre ſymbolum. Muſæum quamprimùm aperuit, conſternatione maxima fuit, vbi caſſam non reperit, in quam coniecta reliquerat omnia ex Cimeliis rariora. Subducta nempe vnà fuerant aurea antiqua numiſmata pondo coronatorum mille; ex cœlatis gemmis mille, ac ducentæ, prætereaque nonnulla alia. Deſideravit autem præfertim inter nummos quidem, Talentum Ægyptium, ſeu Arſinoën Philadelphi, pondo coronatorum decem; & Solidum aureum Ludouici Pij, quem, vt iam antè diximus, ſingularem opinabatur: ex lapidibus verò cœlatis Præſinum quendam, cum capite, epigraphèque Seruij Sulpitij; & Onychem iam aliquoties memoratam, cum capite Aëtionis Regis Ciliciæ, & tiaræ Phrygiæ ornamento. Dolorem adauxit, quòd non auſus fuit in illum inquirere; quem furti reum ſuſpicabatur. Id ſcilicet non poterat, quin iactura Patri innotefceret, qui bona fide vni ciuium familiari, domeſticòque putandæ è fenestra vineæ crediderat Muſæi clauim: verebatur autem nè Patri indicata perfidia morbum illius exacerbaret. Cavet proinde ſollicitè, ne quid perueniret in eius notitiam; inò requisitus ab ipſo, num ſe omnia probè haberent, probè ſe habere reſpondit. Non deſtitit tamen aliunde ſagacitate ſingulari ſubſolfacere diſtractarum rerum veſtigia. Hinc, ne recenſeam quo ſtudio, quo ſilentio, qua cautione:

1623. adhibita, missitauerit quoquoersum literas, & amicos fidos; ea demùm fuit fœlicitate, vt rerum, quæ erant cordi maximè, recuperarit præcipuam partem. Gemmas certè obtinuit, ac in iis Aëtionem, & Seruium Sulpitium: forti autem bonæ tribuebat, quòd neutram auro, circumornasset; alioquin enim simul periissent cum aliquibus aliis, quibus aurum fuerat loco lenocinij. Sic longo pòst tempore habuit Talentum Ægyptium, seu Thebaicum, cuius causâ ipse ab initio concesserat frustrà Massiliam. De Solido autem Ludouici Pij, quòd recuperauerit, nunquam memorauit. Tenuit diu iactura illa renuntiatam amicos anxios; ex quibus fuère, qui condolentes, congratulati aliunde fuerint, quòd reuixisse videretur. Nempe rumor de eius morte disseminatus fuerat; & primùm quidem Parisiis, per nebulonem nescio quid rei inde consequi meditantem. Ipse verò quanprimùm pòtuit, repertorum securos iussit; se quod attineret, optare tam benè optimo Camdeno, quàm sibi foret vita superstes. Postquam non nihil ab hisce curis interquiescere licuit, ad suum genium reuersus est. Testis esto vel vnus Grotius, qui, nouo statim anno incunte, *Non otior, inquit ad illum scribens, sed in illo de Iure Gentium opere pergo, quod si tale futurum est, vt lectores demereri possit, habebis quod tibi debeat posteritas, qui me ad hunc laborem & auxilio, & hortatu tuo excitasti. Et statim, Pergis autem tu obligare me, cum inuicem meis nunc quoque & tam bona fide tangi ostendu, & qui præsens præsidio solebas esse, nunc absens es solatio. Ego verò, vel*
- 1624.

per te unum ita sum Gallie obstrictus, ut ad vltimas humane potentie metas trudi malim, quam sedem hanc deserere. Ac rursus, Literas dedi nihil quidem continentis illas, quod te scire attineat; sed testis tamen eius, quod tibi debeo, semperque debebo gratia, pro tot summis in me adiuuando, ornandoque beneficiis. Id porro Opus de Iure Gentium, cuius Grotius heic meminit, non videtur aliud à præclaro illo, quod de Iure belli, ac pacis, anno post in lucem emisit. Cùm Peireskium certè exemplo donaret, literas adiecit, ex quibus hæc non pigebit excerpere. *Accipe iussis Carmina capta tuis, ait, Poëta. Ego verò, Peiresi amplissime, non carmen, sed librum tibi mitto, tuo hortatu, tuisque auspiciis ceptum. Adderem, quòd ipsa hæc mea in Gallia habitatio non parùm tibi debet, quo conciliante in virorum maximorum notitiam perueni: ita ut hoc quoque titulo, si quid inde fructus nascitur, id à te possit vindicari. Si dicam magno mihi dolori esse, quòd tuo conspectu, tuisque colloquiis frui non licet, dicam quòd verissimum est; sed huic damno solatium aliquod adhibet V. N. frater tuus; frater sanè, non naturâ tantùm, sed morum humanitate, qui, &c.* Prætereo autem studium, quo ipsius Grotij iconem Duvriliij manu habere expetiit; & foelicitatem, cui vertit, habere simul Claudij Salmasij, Petri Puteani, Hieronymi Bignoni, (magnum bonarum literarum, & arcis legum, ac iustitiæ apud Senatum luminis) aliorumque amicorum. Miserat ipse prius ad Puteanos earum exempla, quas habebat; Vincentij Pinelli, & Iul. Cæs. Scaligeri; missurus quoque Paschalini, Portæ, Pacij, Camdeni, Lo-

1624. bellij, Barclajj, Marani, cæterorum plurium. Quoniam Iconum incidit mentio, addere sanè illas licet, quas per idem tempus obtinuit tam Pontificis Maximi, quàm Cobellutij, & Barberini Cardinalium. Effigiem simul Virginij Cæsarini optauerat; verùm præuenit pictorem mors, ac tum quidem penè, cum Peireskius ageret gratias, ob missum exemplum Sagiatoris, hoc est Libripendis Galileani, operis nempe de Comotis, quod aduersus libram Astronomicam Lorharij Sarfij (seu, ob literas permutatas, Horatij Grassij) Galileus condiderat, inscripseratque ipsi Virginio. Adhæc, non est sanè oblitus factæ pridem Pontifici, circa habendas aliquas B. Magdalenzæ Reliquias, pollicitationis. Quippe quòd paucis antè annis populus San-Maximitanus seditione facta obstitisset, ipse tunc & Regis imperio, & Senatus auctoritate, & Præsidis primi præsentia, & Latrunculatoris, ac satellitum stipatione vsus, obtinuit tandem, quod Pontifex pro sua pietate expetebat. Heinc habitæ sunt nomine illius à Cardinali ingentes gratiæ; testante aliunde quàm gratam habuisset commendationem ab ipso factam, cum aliorum Gallorum nobilium, tum maximè Thuani illius, cuius supra meminimus, quisque post lustratas regiones occiduas, etiam orientalis inuisere meditabatur. Plurimus adhæc etiam fuit in procurandis negotiis Regiensis Episcopatus, quo eximius Cardinalis Guido Bentiuolus pro Regis voto fuerat donatus. Fecit verò pro amicitia, quam insignem tum illo fouit, ex quo aduenit Nuncius in Galliam,

&c

& Roberto Cardinali Vbaldino, qui Peireskium 1624. quoque maximoperè amârat, successit. Non tacendum verò quòd intereà Cardinalis Bentiuolus ardentissimè intercessit, vt ex prædiuite Scipionis Cardinalis Burghesij Cimeliarchio obtinerentur, & ad Peireskium transmitterentur moduli varij ponderum, mensurarum, aliarum rerum. Erat Romæ id temporis Claudius Menetrius iam nominatus: ipse autem misit, fimulque adiecit pondera pleraque antiqua, cum modulis, ac cætypis; neque deinceps desuit mittere & numismata, & quæcunque alia vetustatis monumenta quouis pretio eruere, & acquirere Romæ potuit. Totus prætereà penè fuit in exhibendis officiis laboranti grauitè Patri. Cùm dolores verò illius nonnihil sedati per ætatem videntur, diuertit Belgenferium, vnde priusquam regrederetur, concedere Tolonum voluit ad Corallij expiscationem. Id nempe raris quidem locis in nostro mari nascitur; sed angusto præsertim spatio, quod à Cithariste promontorio non ampliùs, quàm duobus Prouincialibus milliaribus distat. Et quoniam accepit tempestatem esse illi eruendo opportunam; ideò nauiculam conduxit, viròsque delegit idoneos, à quibus deduci sese obseruauit, quousque certis quibusdam montium, colliumque cacuminibus in eandem lineam cõire visis, subindicatus locus fuit. Tum demissa per funem cratis, seu mauis, crux lignea, cum appensis retibus, quamprimùm hærefecere fundo deprehensa est, variè toto tractu detorta, diducta, deuoluta est, vt planta Corallinz retibus

1624. implicarentur. Vbi id ætiteratum latis, machina fursum educta est, animaduersumque retia dirupisse, auexisseque plantas Corallij non paucas, vnà cum plerisque fragminibus siccis, putridis, cariosis, vt patè quæ aliàs euulsa, aut relicta fuissent, aut inter abducendum retia, decidissent. Quæ plantæ porrò tunc auulsæ, eductæque fuerant, neque rubescebant, neque teras erant, nisi detracto cortice; molles aliunde, tactusque cedentes ad ipsa cacumina, quæ rupta, pressaque, emittebant lac, ficuum instar, & compressione desinente, apparebant interpunctæ tenuibus foraminulis, seu quasi vacuis venulis, quibus lac illud fuerat emissum. Id quoniam admonitus est esse admodum causticum, idcirco sollicitè cauit, ne cutis ipso attingeretur. Et quia rogando didicit id esse instar seminis, adeò vt contingens quidpiam solidum veluti concham, lapidem, aliud, coherentem illi plantam generet; ideo coniecit quemadmodum Pisano illi Cranio supercreatum corallium fuisset. Fuere, præter Corallij plantas, aliæ quoque multæ, & quam-multa etiam animalcula implexa, ac speciatim Limax sine cochlea, siue testaceo cortice. Eam verò totam congeriem translata Belgenferium inmisit in furnum, vt exsiccaretur, asseruareturque. Deprehendit autem Limacem effusam in liquorem purpureum, & quicquid erat contiguum, tinxisse colore purpuræ perfectissimo: quamobrem ansa illi est facta subdubitandi, num ea fortè esset vera Purpura, isque liquor germanum Ostrum, quo, seu Murice Tyrio, tinctæ olim vestes leguntur. Re-

liquo, & sequente anno qui fuit sæculi vigesimus quintus, discedere prorsus à Patre non potuit, nisi quantum necessitas ad exhibendum Legato exegit. Eo nempe anno Pontifex, propter Reipublicæ Christianæ negotia, destinavit Cardinalem Barberinum in Galliam, isque sub veris initium allapsus est Provinciae oris. Appulsurus erat Massiliam; verum tempestate cogente Tolonensem subiit portum, indeque pergens Auenionem Aquis-Sextiis fuit transiturus. Occurrit verò Peireskius ad tertium, aut quartum milliare, nihilque non egit, ut decretis ipsi per dignitate honoribus civitatem ingrederetur: at ille certo consilio prætergrediendum censuit, diuertereque Lambisci maluit. Inde sequente die profectus Auenionem cum accessisset, consequutus illum Peireskius non est: sed quarto demum die adfuit, deducto Aleandro veteri amico, quem oppiparè exceptum detinuerat intereà domi. Aleander nimirum adscitus in Cardinalis familiam, è comitatu ipsius erat, unà cum nobili Equite Cassiano à Puteo, qui profectò quantus vir fieri, eruditi, bonisque omnes ipsi devincti, Romæ loquuntur: itémque cum illo aliquoties memorato Debonæro, quem cum ob propria merita, tum ob Barclaj memoriam satis complecti nunquam potuit: ac rursus cum Ioanne Baptista Donio, eruditionis profundæ viro, quem Cardinalis habere voluit à Latinis Epistolis: & cum viro omninò bono Ludouico Aubrio Menilio Parisino, cuius fuerat varia officia tam Parisiis, quàm Romæ expertus. Ac fuere quidem alij plerique: sed.



1625. speciales tantum Peireskij amicos heic commemoro. Fuisset deinde Peireskius Cardinalem lubens sectatus; statuerat enim nec Parisiis, nec totâ Galliâ dimittere: sed repugnauit pietas, quæ Parentem deserere acerbissimè vexatum prohibuit. Cum esset verò Frater Parisiis, dedit ad illum literas, hortatusque est vt obsequium, quod ipse non poterat, cumulatissimè exhiberet. Dedit & ad varios amicos, ac nominatim ad Rubenium, pergulam Luxemburgicam Palatij noui Reginæ Matris pictis Tabulis adornantem: quod nosset illum pro ingenij fœlicitate, suauitatèque, & pro rerum exquisitarum vberissima copia mirè placituro. Ipsi, vt à Patre rursùm non abesset, non postrema causa fuit, quod duo illi Medici, quibus saluis benè semper sperare erat solitus, superstites amplius non forent. Siquidem Iacobus Fontanus, cum ipse esset adhuc Parisiis, extremum diem obierat: Antonius verò Merindolus à superioribus proximè Natalitiis concesserat fatis. Quo loco obiter dicendum, vix quicquam potuisse ad dolorem accedere, quem ex huius morte Peireskius concepit. Quippe & rara eruditio, & lenitas morum eximia, & diuturna consuetudo, & humanissima officia, iam pridem amicitiam conciliauerant non vulgarem. Non addo verò quid ad illam contulisset Peireskius: id enim potius intelligendum ex testamento Merindoli, quod est in Operum ipsius nuncupatione expressum. Scilicet ille declarauit velle se quidem opera sua sub Regis Christianissimi præsidio mittere in lucem: *Veruntamen*, inquit, *seposi-*

tum velim Tractatum de Febris, eo quidem nomine, 1623.
 ut nomen mihi carissimum in fronte præferas, videlicet
 D. Nicolai Fabricij de Peiresc, in supremo Aquens-
 Senatu Consiliarij Regij, & Abbatis Guistrensis, omnibus
 florentissima fortuna, & absolutissima doctrina virtutum
 comitata stipata subsidiis, atque ornamentis instructissimi.
 Hunc enim virum, in quo veteris vestigia recti, & mo-
 res video ductos meliore lapillo, semper inter ingenij mei
 patronos habui; proindeque huius libelli consecratione, tan-
 quam obligatoria syngrapha omnibus testatum cupio quot,
 quantisque nominibus ipsi me deuinctum esse confitear.
 Ad Patris morbum ut redeam, sesqui-annus erat, ex
 quo præter vesicæ, ac renum dolores, conflictaba-
 tur cum Podagra pertinaciter hærescente. Tum ve-
 rò ab vno, aut altero mense eò morbus euaserat, ut
 ex pedum articulis extraherentur lapilli, ac tantâ qui-
 dem copiâ, ut asseruati per octo menses potuissent
 molem conficere ipsis pedibus non minorem: &
 quoniam vix vnquam poterant auelli, quin neruo-
 rum, ac tendinum extremæ partes discerperentur,
 euenit, ut intra id tempus, gangræna quinquies in-
 uaserit. Peirescius porro continuo adfuit non reme-
 dia modò, ac regimen victus consultans, præscri-
 bensque cum chirurgis, ac medicis; sed simul etiam
 omnia apparatus, tractansque, & quicquid Pater ore
 fumebat, manu propria semper ministrans. Id vide-
 licet cauerat, Patérque ita suave habebat, ut non le-
 nimen doloribus efficacius experiretur. Cùm sic au-
 tem foret assiduus, adeò ut, nisi urgentibus in Sena-
 tu negotiis, à latere Patris non discederet, mirum

1625. non fuit, si ipse, præter frequentem stranguriam, hæmorrhoidas ita irritarit, ut ad eam partem subnatus fuerit importunissimus tumor. Eo laborabat iam grauer sub Octobris initium, sc̄m̄ imminentem reditum Cardinalis Legati accepit. Dilatis ergo remediis, præscripsit primum quo Pater foret continendus regimine, ac Legatum deinde Auenionem conuenit. Cùm Pater verò præscriptas metas aliquantulum excessisset, incidit statim in catarrhum, de quo Medici desperantes reuocandum mox Peireskium censuerunt. Nunciò accepto, is rediit, sed Patrem ita collapsum inuenit, ut continere spiritum duos duntaxat dies potuerit. Obiit ergo bonus ille, magno optimi filij luctu: sed testari luctum diu non permisit accessus Legati, quem Laribus suis excepturus fuit. Quippe efferebatur funus, cùm ecce renunciatum est propè iam Legatum adesse. Quare pompâ domum reductâ, excessit confestim, & vix ad miliaris dimidium aduenienti Legato occurrit. Is ceremoniis in Ecclesia ritè, & ex more peractis, ingressus est Peireskij domum; cuius stupendum fuit totam faciem ita momento immutatam, ut quæ aulæorum atrore, ob excessum Patris-familias, mox aritè præferebat luctum; illicò aliorum rubore, propter accessum hospitis, demonstraerit effusam lætitiã. Confestim etiam, post salutè ab vniuerso Senatu, omnibusq; aliis ciuitatis ordinibus dictam, mensæ ita fuere instructæ, ut excogitari non potuerit apparatus magnificentior. Octo profectò cœnaculis tempore eodem, & absque vlla confusione est ministratum: su-

spiciendusque admodum fuit excelsus viri animus, cuius providentia non potuerit consternatione exturbari. Mensis remotis, voluit Legatus etiam Musæum invisere, & suavis horas ducere familiari colloquio, singularibusque rebus inspectandis. Huc spectat illud Viasij in Panegyri ad Urbanum octavum.

— sic vidimus illum

*Post reditum à Francis, Peiresi ad vota receptum,
Illustresque domos, quas virtus, priscæque laudum
Nobilitas, Musæque fouent, & quicquid Athena,
Romæque, post veteres potuit servare ruinas,
Intus adest, meritumque ille se subtrahit ævo.*

Abscedentem cum deduxisset, concedendum fuit Riantium, ubi prætextu paternæ mortis moliri res novas audierat. Iis utcumque compositis, ventoque adverso Legatum interea ad Toloni portum detinente, iterum illuc ipsum convenit, obrulitque duas Capellas auribus promissis, adeoque oblongis; ut capite vel leniter depresso, contingerent terram. Hacce Legatione functus Cardinalis ocepit statim aliam ab ineunte sequente anno. Scilicet profectus in Hispaniam est; sed vi tempestatis aliquoties in oris Prouinciæ retentus. Hæsit verò; commoratusque præsertim est ad Tarrim Buquiam, quæ prostat in ingressu plagæ Martigæ, seu Colonæ Maritimæ; adeo ut Peireskius rescire, convenireque ipsum potuerit. Et certe grande illi solatium; quando præter aliquot dierum iucundissimam consuetudinem, libri etiam allati sunt; quorum lectione tedium le-

1616. uaret. Cætera inter, fuere nonnullæ marini æstus obseruationes, quas Peireskius non ita pridem fieri procurârat per Antonium Natalem, Prouincialem medicum in Arenorica versantem. Cùm ex Legato mirè placuissent, pollicitus est operam, vt fierent similes complures. Vtrò etiam promisit se, quicquid in ea Legatione singulare occurreret, cum ipso communicaturum, ac nominatim effectu, quod ille maximè expetiit, vt exscriberentur Epitaphia, & fierent icones Barcinonensium Comitum, præcipuèque Alphonfi Casti. Rediit porrò Peireskius domum rheumate insigni laborans; idque præter renum dolores, incommodaque alia à morbo vsque Patris contracta, quæ nocteis insomneis deinceps creârunt, & ne in ipso quidem lecto permiserunt conuiescere. Inter cætera leuamenta, non postremum duxit ex libris, quos amici varios miserunt, & inter quos fuere nonnulli mentionem ipsius facientes; veluti Glossarium Archæologicum, continens voces Latino-barbaras, auctore Henrico Spelmano Anglo, qui in operis præfatione, *Si ad externos, inquit, abeam, non me leuiter incitârunt nobilissimus apud Gallos Nic. Fabricius Peireskius, Regiæ Maiestatis à Consiliis in Senatu Aquensi, Hieronymus Bignonus, &c.* Vbi notandum est Bignonum, & quos præterea ille citat; excitatos fuisse à Peireskio, vt Spelmanum ad operis editionem sollicitarent. Itémque Notæ Pignorii in Vincentij Cartari librum de Deorum imaginibus; ac rursus eiusdem Epistolæ Symbolicæ, in quarta vigesima nona Pignorius recitat Peireskio Epistolam

lam Marfilij Ficini de caussa amicitiae inter se, & 1616.
 Bembum, eodem die natos, ex Codice, qui fuerat
 in Bibliotheca Pinelliana, *quam tu, & ego*, inquit,
florentem olim vidimus. Non postremum etiam qua-
 siuit ex variis antiquitatis monumentis, quae Aquas-
 Sextias transferri voluit. In iis praecipuum fuit Le-
 ctisternium, seu tumulus marmoreus elegantissimae
 structurae, cui prope Brinoniam cruto, & ad se con-
 uehendo tum specialem currum, tum viginti indu-
 strios, lectosque viros destinauit. Hoc certe opus
 tanti fecit, ut Rubenium postea discedentem in Hi-
 spaniam, non potiore vilo ad se lenocinio, quam il-
 lius inspectione inuitandum censuerit; & cum in eo
 figuras quasdam seu vetustate, seu iniuriam male affe-
 ctas obseruasset, habere Roma voluerit ceterum gy-
 pseum alterius, in quo visas sibi figuras consimileis
 notauerat, ut illarum instar curaret restitui. Alleua-
 mento quoque fuit Barbleus quidam Coloniensis,
 iuuenis industrius, & Medicinae etiam peritus, qui
 ipsi fabricatus est chartaceas sphaeras omnimodas,
 hoc est iuxta hypotheseis Ptolemæi, Copernici, Ty-
 chonis, aliorum. Non omittendum, fuisse quoque
 magnopere exhilaratum consuetudine perhumana
 Iacobi Lorini è Societate IESV, Psalmorum Com-
 mentatoris, qui cum prius Romam rediisset, Auenio-
 ne ad ipsum venit, & autographo quodam Bellar-
 mini donauit. Tandem, ut mentem diuerteret, le-
 git per id tempus quod tum è prælo primum prodi-
 bat, Arelatense Pontificium, auctore Petro Saxio
 eius Ecclesiae Canonico. Plurimum verò fuit indi-

1626. gnatus, quòd ille, studio nescio quò, affectasset eleuare Principum nostrorum iura, & non modò non reposuisset quæ opponi potuerant, sed interdum etiam tentasset præter fas illa enervare. Quamobrem non interquieuit, donec placito Curix libri euulgatio prohibita fuit. Paullò iam meliùs Peireskio erat, cum post literas varias & à Cardinali Legato, & à Puteano Equite, & ab aliis Madrito acceptas, admonitus denique est Cardinalem rediturum, transiturumque Massilià initio Septembris. Itaque, sanitate licèt parùm firma, illuc accessit, Cardinalisque appulsum aliquot diebus expectauit. Frustra id tamen; quoniam ille vento fruens secundo præteruectus est, substititque solùm nonnihil Toloni; vnde rariora quædam ex iis, quæ ex Hispania aduehebat, cum excusatione Aquas-Sextias misit. Ea Peireskio cum accepisset, gratias egit per literas, quibus aliunde Christophorum Puteanum professione Carthusiensem (quem aliunde & eruditio, & morum innocentia poterat satis arguere Parisiensium illorum fratrem) studiosissimè commendauit. Non refero autem quàm gratam huiusmodi commendationem Cardinalis habuerit: nam & ipse Puteanus scripsit imparem se esse, qui exprimeret quam propterea beneuolentiam, comitatémque fuerat expertus. Subiungo potiùs ipsum Puteanum haudquam degenerasse à necessitudine fraterna cum Peireskio arctissima; quandò nullum officij genus præstare vnquam potis fuit, quod non vltro præstiterit. Memorari verò heic debet commendatum sub idem

tempus Iosephum Mariam Suaresium Auenionensem, pereruditum iuuenem, eumque propterea in familiam Cardinalis adscitum fuisse. Nec reticendus Lucas Holstenius Hamburgensis, cruditorum ocellus, qui est etiam non longè post in eandem adscriptus familiam, cum illius virtus Puteanis commendantibus innotuisset Peireskio, & commendante Peireskio ipsi Cardinali Parisiis Legato. Vterque sane est deinceps testatus gratitudinem, literisque frequentibus, atque cruditis benevolentiam demeruit: Peireskio verò nullam vnquam, quin gratificaretur vtrique, occasionem prætermisit. Vexauit rursus per hiemem rheumatismus, & renum dolor; nec desit tamen propterea literas varias conscribere, sed ad Puteanos potissimum, quorum operâ prædicabat se cominùs conspicerè, quæ gererentur in mundo, vt Telescopiorum subsidio ea, quæ in cælo procùl latent. Inter alia verò causam edisseruit, cur constituti pridem Censùs deminuti iam tantopere forent. Cum enim, inquit, proavi, maiorisque nostri illos florenis exprimerent, qui tum temporis erant aurci, solatisque nummis valore præstabant; effectum est, vt quia floreni tunc elocabantur duodecim solidis argenteis, census iam vnus floreni non redimatur pluribus, quàm duodecim solidis; cum tamen hi nostri ab antiquis illis sic degenerauerint, vt sextuplò aucti iis non æquipollean. Dicendum nunc octuplò foret, ac breui etiam decuplò: vt edocentur, qui volunt census temporis lapsu non imminuendos constituere, ne aut libris Turonicis, aut

1626. vulgari pecunia ; sed frumento , aut alio simili pro-
 uentu illos æstiment , persoluendósq̄ stipulentur.
 Nam cùm semper sit eadem propè seu feracitas , seu
 sterilitas eiusdem telluris ; debet quoque caritas fru-
 gum constare eadem circiter : at pecuniæ vsualis va-
 lor non pari ratione idem perseuerat ; sed decrescit
 continuò , vt superiùs est declaratum. Intereà por-
 rò Valauesius est reuersus Parisiis , negotiáque illa
 Riantiensia post insuperabileis tam multorum an-
 norum liteis Transactiõne decisa sunt. Inibat tum
 1627. sæculi annus vigesimus septimus , cùm ab eiusmodi
 negotiorum sollicitudine respirans , constituit pro-
 ximo iustitio perlustrare Prouinciam , ad congeren-
 dum inscriptiones tum nondum habitas , tum manu
 non satis vel fida , vel erudita descriptas ; idque vt
 gratificaretur nominato iam Donio , qui para-
 tum editioni habens ingens volumen Inscriptionum
 apud Gruterum non exstantium , optârat collectas
 ab ipso Prouincialeis intexere. Et non est quidem
 nactus otium perficiendi quod destinârat : non de-
 stitit tamen proptereà sollicitare Donium , vt eam
 congeriem emitteret , sperans intereà fasciculum Pro-
 uincialium contextum iri ; ac præferens ipsas ad cal-
 cem continua serie subiici (Hispanicarum scilicet
 instar in Gruteri volumine) quàm confusè interiici ,
 vt in cæteris factitatum. Cæpit porrò exinde agere
 cum Donio non de inscriptionibus modò , sed , vt
 ille est reuerâ multiscius , de eius Onomastico , de
 opere Musico , de Conuiualibus , de monetis He-
 truscis , de Iustinianeis quibusdam numismatibus ,

de generibus armorum Antiquis , & id genus compluribus. Egit quoque sub idem tempus cum Nicolao Rigaltio Bibliothecario Regio , eruditioneque perrara conspicuo de solutione illorum Virgilianorum ænigmatum , circa eas Terras , in quibus inscripti nomina Regum nascuntur flores ; & eas , in quibus cœli spatium non ampliùs , quàm treis vlnas patet. Cùm verò circa illud prius , retulisset præclara quædam de variegatis floribus , tum circa posterius , quod solent interpretari de Puteo , meminit inter alia effossum Riantij fuisse puteum , è quo profectò oportuerit exiguum videri cœli spatium , cùm stellæ interdù conspicuæ ex eius fundo fuerint ; oculis nimirùm ob profunditatem in tenebras quasi nocturnas immergis , pupillisque ob dilatationem (vt in obscuro fieri solet) admittentibus rerum etiam minutissimarum vberiores species. Aderat tum recens Archiepiscopatui Aquensi Alphonfus Pleseus Richeilius , præful insigni eruditione , rarâque pietate assumptus ex Carthusia ; cùm Peireskius sese ab illo eximiè adamari sentiens , nulla non assiduitate , testationeque officij dignum se ipsius affectu probauit. Inuisenti Massiliam comitem se illi addixit , eaque occasione illeie salutauit Gabrielem Albaspinæum Aurelianensium Episcopum , qui tum eò secesserat , ac meditabatur opus , quod & post modùm edidit , de Eucharistiæ mysterio. Meminit in eo aliquoties communicatorum à Peireskio Codicum , ipsum appellando delictum , amorémque literarum , & ornamentum Prouinciæ. Fuit etiam Archiepiscopo non

1627.

multò post adiutor strenuus, vt institueretur Cursor publicus, qui fasciculos literarum in singulas hebdomadas veredis deferens Lugdunum, parique ratione inde afferens, etiam cum Parisiensibus hebdomadicum faceret commercium. Et diù quidem id exoptârat, aliquotiesque tentauerat, vt rem publicè vtilè, & amicis gratam futuram: sed nemo ante eum Præfulem satis animatus ad id fuerat, neque comitia Prouinciæ, vt impensas decernerent, potuerant vnquam persuaderi. Mira porrò fuit exinde lætitia, cum eruditorum omnium, qui crebras à Peireskio expetebant literas; tum Puteanorum maximè, qui ea ratione potuerunt sæpiùs, faciliùsque communicare quicquid aut recens cufum fuit, aut rerum nouarum occurrit, vt ipse vicissim ad eos mittere quicquid ex Italia, Africa, Oriente toto impetrauit. Quippe abheinc quoque commercium vberius, quàm antè, instituit cum Consulibus, Mercatoribusque illic vbivis agentibus, vt illorum operâ vsus Græcos, Hebræos, Arabicos, cæterarum exoticarum linguarum libros nancisceretur. Heinc statim aliquos obtinuit, ac nominatim ex Cypro præclarum volumen *αὐτῆ ἀρετῆς, καὶ γενεῆς*, Constantini Porphyrogenetæ, continens excerpta ex Polybio, Diodoro, Nicolao Damasceno, aliisque historicis, ex quibus possent variæ auctorum nobilissimorum suppleri lacunæ. Incredibile autem dictu, quàm pro nihilo duxerit ducentas Turonicas libras numeratas in pretium, vel ex eo quòd est coniectatus ipsissimum esse exemplum, quòd Imperator sibi habuerat, ob cha-

racterum formam, nitoreinque, ob compactionis elegantiam, ob præclara carmina in illius laudem præfixa. Obtinuit quoque diù requisitas, & ex Vaticanana etiam descriptas aliquot Assisias (sic appellant Comitia Christianorum Procerum à Palæstina recuperata) persuasus dudum, aliquod demùm in illis regionibus earum exemplum repertum ipi. Eodem circiter tempore scripsit quoquouersùm ad adiutandum Holstenium, meditantem nobilem manum Geographorum veterum nondum editorum proferre in lucem. Desiderabatur præsertim ab illo *διὰ πλους* Thracij Bosphori, auctore Dionysio Byzantio, quo Petrus Gyllius vsus est; sed Latinè solùm, ac per particulas, in eo Bosphoro describendo. Et quia congruum existimauit, vt textus Græcus reperiretur inter Codices Bibliothecæ Cardinalis Armeniaci, è cuius familia Gyllius fuerat; idcirco Peireskius dedit operam, vt Episcopus Rutenensis totam Bibliothecam versaret, catalogùmque demùm mitteret, quo faceret fidem huiusmodi librum irritò conatu perquisitum fuisse. Quas putas proinde literas non dedit ad Apostolicos Nuncios, ad Oratores Regios, ad quoscumque nouit eruditos viros (quos inter profectò speciatim dicendus eximius ille Tolosatum Antistes Carolus Monchalius, è cuius penu diuite tot rari Codices educti) vt quomodocumque tandem certus fieret, ille ne vsquam gentium exstaret. Et credibile sanè est vix exstare alicubi: quandò tantam viri sagacitatem effugit. Meritò quippe idem Holstenius, cùm ad illum scriberet, *Neque enim,*

1627. inquit, *quemquam mihi mortalium hæcenus videre con-*
igit, qui te antiquitatis cognitione superet, vel peruesti-
gandi diligentia, & felicitate æquet. His dum vacaret,
 accepit librum à memorato superius Ioanne Iacobo
 Chiffletio, iam tum Isabellæ infantis cubiculario
 Medico, de Portu Iccio Morinorum, è quo Iulius
 Cæsar in Britanniam soluit. Et facile quidem disces-
 sit ab ea sententia, qua ratum habuerat eiusmodi
 portum esse Caletum, seu Calitium; sed optauit ta-
 men præclarum cum virum explorare vberius totam
 illam oram, vt quamuis acutè probasset portum il-
 lum Mardicum esse, videret tamen, ne oræ nobis
 superstiti foret vindicandus. Quem legimus certè
 vltiorem Portum, interpretandum videri non in-
 teriorem, vt designetur interior plaga sub Audom-
 aropoli stagnantibus aquis interstincta; sed magis
 occiduum, vt indicetur vicinior, vndèque traiectus
 in Britanniam breuior. Cæterùm nihil gratius ha-
 buit, quàm quod simul legit exstare ad lacunam il-
 lam Audomaropolitanam Insulas Natanteis, quæ
 veterina, & homines ferant, & quibus alni, sali-
 césque lætis frondibus innascantur. Voluit proinde
 vt biennio post, cum illac iter facerem, spectarem
 illas curiosius, referrémque quicquid id esset. Præ-
 stiti autem, ac interim ramulum transmisi, quem
 decerpseram ex non humili salice, suo cum fundo
 simul natante. Sollicitus etiam tunc fuit de obser-
 uatione illius articuli, quo clandestina coniugia à
 Tridentino Concilio damnata sunt, neque inter-
 quicuit, donec Iudicibus quibusdam ordinis Eccle-
 siastici

fiastici scrupulosioribus fidem fecit, illum non modo pro comitiis sanctione Regia confirmatum; sed specialibus etiam Synodorum huiusce Prouinciæ Metropolitanorum decretis. Non addo quanto simul ardore sollicitauerit Aleandrum, vt serio se accingeret describendo illi Terræ-motui, quo Apulia concussa fuerat à die Iulij penultima, & quo Septembri tandem mense Archiepiscopatus San-seuerinatum absorptus fuisse perhibebatur. Non addo alia: refero solum singularem modestiam, qua commutatam voluit nuncupati sibi libri Epistolam dedicatorem. Completebatur liber ille spiritualia quædam Sanctorum Diadochi, Nili, & Hesyhij opuscula, quæ Alexander Fichetus ex Societate IESV vir pereruditus, cum Lugduni daret in lucem, nomini eius inscripta voluit. Vsurpârat autem Bibliopolæ nomen, neque se putârat hyperbole vti, dum commendaret Peireskium, cuius virtutem cum Aquis-Sextiis profiteretur philosophiam, publicèque concionaretur, perspectam iam habuerat. Verum Peireskius ipse non tulit, sed missurus Romam quædam exemplaria (vt nihil nouum prætermittebat) seponi iussit Epistolam, imprimique aliam, quæ præfigeretur. En nonnulla ex ea, quam suppressam voluit.

Regia Solis est mens tua, domus tua, bibliotheca tua, omnium ingeniorum orbis stellifer, in quo cælestes imagines, in quo doctrinarum omnium, & doctorum hominum astra coruscant; ita vt non aurea, non argentea, sed stellata omnia videantur; stellati plutei, librorum stellifer ordo. Tu verò in medio residens completensque omnia, lumen

1617. *omnibus fœnerari, decus addis omnibus, omnibus vitam quodammodo, & aternitatem impartiri; ut ad te meritis libri omnes, qui genium habent, quasi quidam ignes sacri bonarum mentium de toto orbe, velut ad cœlum suum reuolare gestiunt, ibi victuri, ibi lucem accepturi, reddituri que, &c.* Epistola hæc reuocat in mentem, quòd cùm exemplum Cœli Christiani à Ioanne Bayero affecti, & à Iulio Schillerio confecti sequenti anno allatum fuisset, commendauit quidem Peireskius pietatem, qua illi vulgatis Planetarum nominibus substituerunt propria Adami, Mosis, aliorumque Patriarcharum; indideruntque duodecim signis Apostolorum vocabula, & Asterismis cæteris aliorum Sanctorum, rerumve religiosarum nuncupationes; præter figuras recens confictas, conditaque noua de iis carmina: sed institutum non comprobauit peruertendi, confundendique quicquid cœlestis notitiæ à memoria vsque antiquissima respersum est in omneis libros. Quanquam seriò non timuit, ne propterea Astronomi vniuersam illam astrorum nomenclaturam immutarent; quoniam illicò peruiderent nihil se inde adiutari, turbari verò quamplurimum. Addebat peruerustos illos Schematismos siderum, tametsi prophanos, nihil officere Christianæ pietati; cùm & ipse olim obseruasset Vercellis huiusmodi imagines, à mille & ducentis annis fornici Ecclesiæ impressas. Denique optare, vt quæ solers manus nouas istas cælauerat, Vercellensis illas sua antiquitate commendabiles expressisset. Longè sanè magis commendauit opus Tabularum Rudol-

phinarum, quod tum à Kepplero euulgatum est. 1628.
 Quippe quòd illæ deductæ forent ex noui Atlantis
 Tychonis Brahei acuratissimis obseruatis, haud ma-
 lè opinatus est posse ex illis exquisitiorem cœlestium
 rerum notitiam, quàm ex quibusvis aliis haberi.
 Heinc quia id opus fuerat à multis annis expectatum;
 ideò maturè collegerat obseruationes varias ex qui-
 bus examinaretur. Non postremos verò rogauit vi-
 ros eximios Petrum Franciscum Tondutum San-le-
 gerium Auenionensem iuriconsultum, & Iacobum
 Valesium Scorum apud Delphinates generalem the-
 saurarium, vtrúnque omnis quidem matheleos, sed
 Astronomiæ cum primis peritum. Habuit præterè
 ab vtroque vnde errata varia Typographica emen-
 daret; & cum posterior significasset institutum à
 se fuisse Eleazarum Feronceum Ledigueriorum Vi-
 zilizæ hortorum olitorem oppidò industrium, & quo
 non alius vnquam est magis opportuna loquutus,
 qui obseruaret cœlestia; idcirco sategit Peireskius
 speciatim ab ipso obseruationes obtinere. Mitto
 quòd meas quoque nonnullas habere, asseruaréque
 voluerit, priusquam Parisios discederem (vnde Ta-
 bulas ad ipsum transmisi) ac cæteras inter nuperæ
 Lunaris Eclipseos, cuius Phases præcipuè Aquis-
 Sextiis obseruatæ prodiderunt illius medium conti-
 gisse eo ipso anno, die Ianuarij vigesima, ac hora
 nona, cum tribus quintis. Ipsam verò Parisios, Ro-
 mam, Florentiam, Patauium, Louanium, aliò de-
 stinauit, vt sicubi fortè peracta obseruatio similis
 foret, expendi posset intercedens meridianorum dif-

1628. ferentia. Nimirum cordi semper habuit instaurationem Geographiæ, de qua tum quoque ad Bertium scripsit; adhortando illum, ut simul cum editione Eusebii, quam pollicitus fuerat Geographiam sacram maturaret. Ne memorem, quod auctor fuit illi, ut Typum orbis ederet pro varietate figurarum, qua varij *την οικουμένην*, seu habitabilem Terram describendam olim censuerunt, ut Dionysius, Strabo, Plinius, Ptolemæus, & alij. Circa observationes ut quidpiam adiciam, exoptavit omnibus votis exoriri interpretem, qui explicaret figuras, characteresque conspicuos in fragmento quodam Lateritio, Babylone non ita pridem eruto, & ad se transmissio. Ipsum quippe esse rebatur ex illis coctilibus laterculis, quibus Plinius docet, ex Epigene, inscriptas apud Babylonios observationes siderum per septingentos viginti annos. Qua occasione mirè suspexit venisse in mentem hominibus haud-dubiè bonis inscriptionem lapidi inculpere ad portam Sacelli, supra rupem ad Druentiam prope Mirebellum eminentis, quam indicatam habuit à viro amico, & eruditionis paternæ hærede Ioanne Gallaupio Castuellio, Regio apud magistros rationaleis cognitore. Quippe ea nihil continet aliud, quàm monumentum Eclipsos Solis, quæ 111. Nonas Iunij, anno M. CC. XXXIX. contigit; cuius notitiam iam habuerat ex Necrologiis aliquot, ac nominatim nostræ Ecclesiæ; in quo memorata quoque alia, visa anno M. CCCC. XV. die Veneris septima Iunij, horâ à Solis ortu primâ, tantæ obscuritatis, ut stellæ clarissimè conspiceren-

tur. Inaudierat paullò antè abiisse è viuis Iacobum 1628:
 Allealmum Mathematicum: quare magnoperè con-
 doluit; veritus iacturam operum quorundam tum
 ipsiusmet, tum Francisci Vietæ laudatissimi Geome-
 træ; veluti etiam non longè pòst audita Fontanei
 morte, iacturam timuit cimeliorum, Manuscripto-
 rumque complurium; quos inter, ipsum Alciati au-
 tographum de rebus Mediolanensibus commenda-
 re solitus fuit. Expetebat verò vt rari, & bonæ nò-
 tæ MSS. nisi quamprimùm ederentur, asseruaren-
 tur saltem in publicis potiùs, quàm in priuatis Bi-
 bliothecis; quòd ea ratione longè minùs malo fa-
 to forent obnoxij. Sed & simul expetebat viros non
 deesse, quibus curæ foret, nimis diù latentis ex illis
 eruere, eamque ob causam ad Cardinalem Barberi-
 num cum scriberet, enixè contendit, precatùsque
 est, vt, pro summo suo in bonas literas amore, pro-
 curaret typographiam Vaticanam restitui, quò tot
 præclari codices Græci meritam recipere lucem.
 Atque huiusce quidem rei occasionem sumpsit, ex eo
 quòd Michaël Iayus ciuis Parisinus, generoso ausu,
 typographiam instituisset, quo iam cæpta erat edi-
 tio Bibliorum, futura locupletior Plantinianâ, &
 Regiâ dictâ; quòdque Romæ esset Holstenius, ope-
 ram lubens collaturus. An memorabo conscium
 fuisse meæ cuiusdam dissertationis cum Merindolo-
 pridem habitæ, de transfusione chyli in iecur? Ape-
 rueram scilicet iter per porum dictum Cholido-
 chum, mezenterij venis obstructis. Cum scripsis-
 sem ergo euulgatum librum, quo Gaspar Asellius,

1628. Anatomicus Ticinensis, referebat se detexisse venas in mezentorio Lactæas, probabiliterque chyli vectatrices (scilicet præter vulgareis rubeas) ipse mira festinatione conquistum misit libri exemplaria , quæ in medicos amicos distribuit , ac simul experiri voluit in cane, in oue, in boue, in plerisque omnibus animalium generibus, quod ab Asellio fuerat de singulari inuento scriptum. Cùm simul monuissem Gulielmum Haræum, Medicum Anglum, edidisse præclarum librum, de successione sanguinis ex venis in arterias, & ex arteriis rursus in venas, per imperceptas anatomoseis; inter cætera verò argumenta confirmasse illam ex venarum valuulis, de quibus ipse inaudierat aliquid ab Aquapendente, & quarum inuentorem primum Sarpium Seruitam meminerat; ideò statim voluit & librum habere, & eas valuulas explorare, & alia internoscere; veluti mæandros mediastini cordis, quos Haræus est inficiatus, & de quibus ipse feceram securum. Ita admonitus de lingua muscarum multicuspe microscopio conspicua; experimentum multiplex peregit in insectis adfinibus, ac in Ape potissimum, vt ex inde ansam præberet Rigaltio emendandi, illustrandisque Plinianum caput de Apibus. Ita, cùm Grotius significasset insectum quoddam multiceps ex lignis in mare demersis prognatum; non auctores modò omnes, qui simile quidpiam haberent, consuluit; sed requisiiuit etiam piscatores, curiososque omnes ad oram maritimam; effectumque tandem, vt nisi eandem planè rem, saltem piscem compererit, præditum

septem capitibus, mediisque quasi corporibus, longitudine inæqualibus, cuidam quasi umbilico, seu placentulæ satis densæ, circum-implantatis. Hæc, & similia cogitabat, dum à satis crebris hæmorrhoidum, stranguriæque laboribus conuiuiscere permetteretur. Cum Septembri autem mense, relaxandi animi causâ, discessisset Belgenferium, maturè satis rediit, vt die mensis vltima præfset, adhorationeque egregia præiret municipalibus comitiis, quibus Aquenses Consules, iidemque Prouinciæ Procuratores, creari solent. Non longè post renunciata est, quam acerbè profectò tulit, amicissimi Malherbij mors. Cum verò luctum non modò sibi, sed Musis etiam Gallicis indicendum arbitraretur; consolationi tamen fuit, quòd successisse videretur & sui amicus, & Gallicæ linguæ, poëseosque arbiter, singularis vir Ioannes Capellanius; in quo semper eruditionem, cum sapientiæ studio; & morum lenitatem, cum animi candore coniunctam, suspexit. Accipit deinceps exemplum historiæ Genealogicæ Regij Francorum stemmatis, quam San-Marthani ediderunt, & in qua ipsius cum elogio meminerunt, occasione communicati MS. codicis Matthæi Giouannazzij, de Regibus Siculis ex Andegauenfi stirpe. Cum eodem verò tempore vir bonus, doctusque Dominicus à Iesu maria Carmelita, scripturus de Sanctis ex Regia stirpe progenitis, monumenta quædam ex ipso quæsiisset; nihil potius habuit, quàm commemorare Carolum secundum Regem Siculum, vnâque Comitum Prouinciæ. Is enim & mor-

1628. tuus venerationi habetur, integro eius corpore in hunc vsque diem Aquis Sextiis asseruato; & viuus ea fuit fœlicitate, vt Ludouicum filium, Tolosanorum Præsulem designatum, & cum fama sanctitatis præmortuum, viderit referri in Sanctorum catalogum; atque adeò vota illi vouerit, pecuniàmque legaue- rit, extruendæ ipsi Ecclesiæ Massiliensium Minorita- rum. Non parùm postea laborauit, vt Incile am- plum, seu canalis ex Druentia, aut ex Verduno flu- uio, qui Druentiã excipitur, Aquas-Sextias deduce- retur. Opinatus est enim tum demùm Ciuitatem fore florentem, atque opulentam, cum eius cana- lis beneficio facile rerum necessariorum, tam cum superiore Prouincia, quàm cum ipso mari habuerit commercium. Septuaginta iam anni erant, ex quo Adamus Craponus Salonensis canalem ex Druentia in Campos lapideos, Crautiamve totam deduxerat, Aquentemque illum etiam adumbrârat; & quo- niam opus iam erat alio seu designatore, seu dire- ctore operarum; idcirco scripsit in Belgium, ad ob- tinendum vnum ex iis, qui ducendis per eam regio- nem canalibus fuerant præfecti, recénsque com- municationem Scaldis cum Mosa meditabantur. Ac futurum quidem esse videbatur, vt quod generosè proposuerat, fœliciter exsequeretur; verùm quæ in- séquente anno sexcentesimo vigesimo nono super- uenit pestis, & rerum perturbatio, secessusque fa- ctus Belgenferium, consilium ipsius planè euertere- runt. De huiusmodi autem rebus priusquam dica- mus, attingenda aliqua sunt, quæ interea molitus est.
- 1629.

est. Imprimis enim occasione cœptæ Bibliorum editionis, non contentus indicasse, procurasseque, ut Româ mitterentur Parisios Biblia Samaritana, apud virum eruditum, & de bonis literis benemeritum Petrum Valleum patritium Romanum exstantia; misit ipse in Orientem virum sagacem Theophilum Minutium, ex Minimorum ordine, qui vberiora requireret, obtentâ illi prius licentiâ tam à Summo Pontifice, quàm à Generali Ordinis, prouisioque, ne vel commeatus, vel necessarium voluminibus coëmendis pretium deesset. Et sua sanè spe frustratus non est; ille enim, optima sorte, comperit statim, acquisiuitque Biblia Samaritana, cum adiunctis, in Tritaplorum formam, Hebræicis, Arabicisque (sed eodem tamen, videlicet Samaritanico caractere) idque præter duo Testamenta Syriaca, Arabicosque Codices complurcis. Non est verò reticendum Danielem Dayminium, ex iis Franciscanis, quos Recollectos nominant, seriam nauasse operam, ut tam hi libri, quàm alij, ac varia etiâ numismata in Minutij inciderent manus. Mandârât etiam, ut in Cypro perquirerentur Codices, quibuscum fuerat iam memoratus Eclogarum, seu excerptorum Porphyrogeneticorum repertus: at ij sic fuère exturbati, ut nulla tandem exploratione, quantumlibet sedula, reperiri potuerint. Summo perè verò id doluit, qui ex vno, tanquam ex vngue, magna spe concepta, tulerat iudicium. Quare, ne saltem illius fructu viri studiosi frustrarentur, mittendum censuit Parisios, ut Grotius, Salmasius, cru-

1629. diti alij, pro suo quisque instituto, & peruolarent, & vtilia deligerent. Adfuit porro imprimis Grotius, qui eius hortatu se statim accinxit ad describendum, interpretandúmque illustria Nicolai Damasceni fragmenta, quæ etiam, cum nuncupatoria epistola, ad ipsum misit. Dum adesset qui similem operi residuo operam nauaret, procurare intereà voluit iteratam editionem Pharmaceutices Antonij Constantini Prouincialis Medici, qui ante annos circiter triginta in id incubuerat, vt ostenderet nihil esse opus ad plantas exoticas, peregrinâque remedia confugere; cum, benignitate naturæ, idem patrium solum, quod homines gignit, ipsis nutriendis, curandisque consentanea & alimenta, & medicamenta prouideat. Quare quod habuit libri exemplum misit ad Renatum Moreum, magnum medicæ facultatis Parisiensis lumen, cui id curare pergratum fuerat. Per idem tempus accepit aureum eruditi Seldeni librum, de Arundellianis Marmoribus, siue saxis Græcè incisis, quæ perillustis ille Comes transferri ex Asia in Angliam, hortosque suos curauerat. Ac memorare quidem par est, Marmora illa fuisse primum operâ Peireskij detecta, erutâque, persolutis aureis quinquaginta, per Samsonem quendam ipsius negotia Smyrnæ procurantem; & conuehenda cum iam essent, nescio qua venditorum arte, Samsonem coniectum in carcerem fuisse, Marmorâque ipsa intereà distracta. Sed & illud addendum est, maximeperè læratum Peireskium, cum accepit præclaras illas antiquitatis reliquias in tanti Herois incidisse

manus; ac tantò magis, quantò agnouit Seldenum, 1629.
 veterem amicum, eas fœliciter illustrasse. Scilicet
 cui vnicus scopus vtilitas publica fuit, nihil putauit
 interesse, seu sua esset gloria, seu alterius; dummo-
 dò quod esset è reipublicæ literariæ bono prodiret
 in lucem. Existimauit autem thesaurum incompara-
 bilem contineri in illis præsertim rerum Græcarum
 Epochis, quæ non modò historicum, sed fabulo-
 sum etiam tempus summè illustrant, conciliantque;
 dum memorabilia omnia, ab annis vsque octin-
 gentis ante Olympiadas, ad vsque quingentos quin-
 quaginta post earum initium describunt. Adhæc
 variè communicauit priorem partem Epitaphij,
 quod Adrianus Cæsar Borystheni Equo in his, vt
 par est credere, regionibus mortuo, humatòque in-
 scripsit. Videlicet effossa est ex agro Aptensi Ta-
 bula marmorea illam Epitaphij partem continens;
 eum residua nondum reperta, necdum eruta fuerit.
 Curauit deinceps Peireskius transferri in ædeis huius-
 modi marmor: intereà verò quia Inscriptio, de qua
 celebres auctores certarunt, potuit ex hoc arche-
 typo nobilissimo corrigi; ideò ad omneis cruditos
 eiusmodi versus misit, exscriptos ex eo marmore,
 cui insculpti sunt elegantissimo caractere.

BORYSTHENES ALANVS
 CÆSAREVS VEREDVS
 PER ÆQVOR ET PALVDES
 ET TVMVLOS ETRVSCOS
 VOLARE QVI SOLEBAT
 PANNONICOS IN APROS

Ff ij

NEC VLLVS INSEQUENTEM
DEN.....

Notum est verò, inter vetera per Petrum Pithœum edita Poëmata, Epitaphium integrum legi, speciatiſſimque poſtremos verſus ex heic deſcriptis, in hunc modum, PANNONICOS NEC VLLVS * APROS INSEQUENTEM DENTE APER ALBICANTI AVSVS FVIT NOCERE, &c. Ille ſcilicet alio modo reſtituere ipſos non potuit. Et Caſaubonus quidem in illud Lampridij de Adriano ſcribentis, *Equos, & Canes ſic amavit, vt ſepulchra conſtituerit*, retulit quidem inſcriptionem; ſed ſupra Pithœum nihil immutavit. Salmaſius verò pro ſua ſolertia, medicam manum adhibens, ſic legi poſſe exiſtimavit, PANNONICOS NEC VLLVS APROS EVM INSEQUENTEM: verùm nihil iam coniecturis opus, cùm ipſiſſima exſtet tabula. Prætereo autem, vt occasione huius inſcriptionis requiſitum miſerit Auguſtam, num vſpiam reperiretur nummus, cuius Adolphus Occo meminit; cum inſcriptione ex vna parte, KAICAR ΣΕΜΝΟC ΑΔΡΙΑΝΟC, & ex aduerſa, ΒΟΥΣΘΕΝΗΣ, idque cum columna, ſeu cippo, cui impoſitus eſt Equus: vtque proinde diſſerens de Græcorum adulatione in affectu Imperatoris erga hunc Equum commendando, cenſuerit nihil eſſe id mirum; quandò ipſi quoque, (nec ſoli Ægyptij) euexerunt in cælum vſque Antonium eius amaſium. Communicavit etiam inſcriptos Conſtantini titulos in columna quadam milliari ad Forum Iulium cruta; delineationémque

marmorum aliorum recens effossorum, in quibus 1629.
 Bacchi effigies cum variis Circes incantamentis: ne
 ea memorem, quæ explicuit circa figuras Thymeli-
 cas, appositósque in iis thyrsos, cum vitta, & seu
 scolymo, seu nuce pinea in apice. Addam-ne, quòd
 sollicitè elicere voluerit quid ipse sentirem de Parhe-
 liis, quæ die Martij vigesima conspecta Romæ fue-
 rant, quorúmque descriptionem, delineationémque
 cum Cardinalis Barberinus accepisset à docto, atque
 laborioso Christophoro Scheinero Societatis IESV
 Mathematico, iusserat ad ipsum transmitti. Cum
 volüerit sanè meam euulgari sententiam, memora-
 bile solùm est, excepisse illum cum applausu, quod,
 post naturalem considerationem, visus sum ridere
 persuasionem vulgi, qua ex hisce phænomenis præ-
 sagia ducuntur pro rebus humanis. Nisi id quoque
 est notandum, cum Soles quinque visi tum fuerint
 (seu, præter verum, spurij quatuor) vix priùs vn-
 quam visum fuisse tam magnum Solium numerum;
 & rem stupendam contigisse, cum idem Scheinerus
 decimo post mense, seu die Ianuarij vigesima quarta
 septem simul conspicuos eadem in vrbe obseruauit.
 Addere certè heic licebit, cum iam mense Iunio
 versarer in Belgio, quò ad me de Parheliis scripsit,
 fuisse cum mirè sollicitum, ne ex luc, quæ in hac
 Vrbe dirè grassari cœperat, supellex mea libraria de-
 trimenti quid pateretur. Cæterùm nondum Aquas-
 Sextias, cæteraque Prouinciæ inferioris loca prore-
 perat malum; cum versante Rege apud Arecomi-
 cos (seu in ea parte Occitanix, quæ est proximè

1629. ultra Rhodanum) discessere ex aula non pauci , qui Peireskium inuiferent , salutaréntque. In iis fuére Stephanus Haligræus Cancellarij filius , ex legatione Veneta redux : itémque Henricus Grandis libellorum supplicum magister , & Ludouicus Peletarius thesaurarius ; qui apud ipsum diuerfantes , cùm accepissent Thuanum ex oriente reducem , appulisse Massiliam , cò , cum Peireskio , statim accurrerunt. Fuére præterea Drusus Daubrayus libellorum magister , (nec multò pòst inspector Regius, Intendénsve iustitiæ) Philippus Fortinus Hoguetta , & alij. Sequente Iulio , profectus est , cùm Oppedeo Præsidente primo , salutatum Regem. Ea occasione , vidit complureis ex amicis aulicis ; & Nemausi cùm foret , commendauit raram virtutem , eruditionémque Samuelis Petiti quibusdam ex Primoribus , vt Michaëli Marillaco Procancellario , Antonio Ruzzo Delfiati Marchioni , ærarij Præsfecto , & aliis. Erat Petito præ manibus fasciculus Miscellancarum obseruationum in bonos auctores : itaque ipsi auctor fuit , cùm aliorum inferendorum , tum non negligendæ interpretationis in ea , quæ linguâ Punicâ apud Pœnulum Plauti efferuntur. Arelate cùm rediret , reperit ibi , acquisiuitque anulum quendam Pronubum , seu Arrham genialem , de qua plura per literas cum eruditis disseruit , occasione inscriptionis , **TECLA VIVAT DEO CVM MARITO SEO.** Postquàm rediit , Ciuitas suspicione pestis breui laborauit. Ea innotuit primùm initio Augusti , ex quo vsque tempore constituit Belgenserium secedere , illucque pro-

inde familiam præmifit. Nimirum, præter mali perniciem, prouidit insignem futuram perturbationem ordinum; præfensitque sibi non fore satis virium, vt contentionem sedandis turbis, arcendisque malis imminentibus sustineret. Et experiri tamen voluit, ne videretur patriæ, communique saluti deesse; verum coactus tandem fuit medio Septembri excedere, conclusis domo famulis, qui totam suppellectilem, & quæ ex sua Bibliotheca, atque Cimeliarchio non asportaret, tuerentur. Belgenserij dies quadragenos pro more transegit, absque vlllo commercio, intra ædeis proprias, hortosque contentus. Consumpsit verò totum id tempus in recuperandæ sanitatis studio (quippe non prorsus benè habuerat) inque plantis horti, viridariisque amœnissimi excolendis. Excepit deinde partim domo, partim reliquo oppido amicos cum familiis varios à ciuitate exturbatos; ac Bonifacium Borrillium imprimis, virum optimum, & cui est spectatissimum cimeliarchium. Descæuit autem morbus in vrbe, non modò toto reliquo anno, sed etiam parte millesimi sexcentesimi ac trigesimi insequentis. Quo loco recitandâ foret insignis tumultuatio, quæ exacto morbo concitata in vrbe est, serpsitque etiam in alia loca, ac potissimum in per autumnum. Verum renouare dolorem infandum nihil attinet, ac multò minùs commemorare publicas, priuatâsve causas, quæ terram cælo commiscuerunt. Referre sufficiat Peireskij domum à direptione vix abfuisse, cum atrigua direpta est; ipsumque fuisse repentina consternatione percussum,

1629.

1630.

1630. cùm res ita fuit renunciata , vt penetratum in Bibliothecam , Cimeliarchiùmque intellexisset ; reuixisse verò , cùm inaudiit direptores , tametsi visos impetu magno irruere , nihilominùs sibi temperasse. Inuisère illum plerique per ea tempora ; ac inter cæteros , commorati aliquandiù sunt Henricus Gornæus Marchæuillæ Comes iam tum discessum apparatus ; profecturus nempe Orator Regis nomine ad Imperatorem Turcarum. Philippus quoque Bethunius , qui Regius antea Romæ Orator , sese in Galliam recipiebat , quisque deinceps literis cõpluribus testatus est , quanto teneretur iucundissimæ consuetudinis desiderio. Philippus item Nunnesius , Emmanuëlque Costæus , quos discessuros in Indiam , nullis non officiis , muneribùsque deuinxit , datis per ipsos literis ad Ludouicum Herriardum in Magni Mogoris aula residentem ; ad Loppesium Siluanum Goæ versantem , & ad alios ; vt exinde nancisceretur , tum rara alia quam-plurima , tum matrices rupes variarum gemmarum. Sic commoratus Samuel Petitus , cuius mentio facta iam est , quémque tum Parisios breui discessurum quibus demeruerit officiis , intelligi præstat ex nuncupatione Eclogarum Chronologicarum , quas non multò post ille edidit. Nam , *Gestiebat , inquit , iampridem animus , vir illustris , votiua hac sabella restatum palam facere , quantum te colam , quantum tibi debeam : cùm mortalium nemo uiuat hodie , qui tibi magis sit obnoxius , quàm ego ; nemo , cui ego magis sim obnoxius quàm tibi. Verùm vt appensa hæc sabella tuo nomini , vir amplissime , & tuum nomen*
his

his nostris libelli inscriptum testimonium potius dicent spei, quàm de tuo in nos affectu concepimus. Te enim Patro- num aduocamus, qui adsis mihi, meisque. Tu verò, vir illustris, patrocinium ne denega; ita viuas, & valeas; nostrâ quippe interest. Nam si hi libelli in tuo nomine ap- parent, nemo bonus est inter eruditos, cui non probentur, tanquam tibi, viro castigatissimi iudicij, & eruditionis summe, probati, &c. Sic Henricus Dormalius Leo- diensis Canonicus, omnibus quidem literis bonis, sed fœlici tamen Græcorum Poëtarum imitatione præsertim conspicuus, quem nisi negotia domum reuocassent, prolixius longè detinuisset. Sic Ioannes Iacobus Buccardus Parisinus, ipse quoque omni in- genua literatura perpolitus, qui, quò posset melius excolendis Musis, bonisque auctoribus quâ Græcè, quâ Latinè versandis æuam terere, constituerat so- lum patrium cum Romano commutare. Eò ergo pergentem detinuit Peireskius quantum potuit, non dimissurus hieme tota, nisi præoptasset eius stu- dia quam-primùm inclarescere in magno illo orbis theatro. Hinc & paterna monita dedit, & literis variis ita commendauit, vt Cardinalis Barberinus illum non modò pro solita humanitate exceperit, sed voluerit etiam inter literatos, quos domi habe- bat, subinde conscribi. Sic Antonius Natalis, do- ctus Medicus, qui Hispali antè moratus fecerat ipsi occasionem Americani commercij, & qui tunc res naturæ perraras ex nouo illo orbe aduexit; alterò- que post anno, priusquàm regrederetur Hispalim, dicauit ipsi quandam suam aduersus Medicos Apo-

1630.

logiam. Sic Franciscus Gallaupius nobilis Aquensis, qui Hebraicè doctus, si quis alius, & peregrinationis orientalis cupidissimus, Marchæuilleum apud Peireskiùm rediturum, præstolabatur. Is fuit, cui simul ac Lombardo demandavit præcipuam curam observandi Eclipsim Solis, quæ die decima Junij contigit. Id tamen frustra; quòd montes occidui deficientem Solem interceperint, observatæque solùm fuerit magna aëris obscuratio. Defecit nempe Sol ad occasum; nam & nobis Parisiis, horizontem liberum subiit obductus adhuc digitis duobus; eùm deliquium maximum fuisset digitorum vndecim, ac minutorum triginta duorum; cæpisset verò horâ sextâ, cum quadrante, & sesqui-minuto. In tallium igitur virorùm cõversatione dies ducobat; interiticbátque tum crebram lectionem; tum rariorum plantarum cultum; tum studium, ac varia de rebus lapidescentibus ratiocinia. Et circa Plantas quidem, videtentur hæc enumerandæ præcipuæ; sed immorandum non est in iis, quæ; tametsi habitæ raræ, in aliis tamen hortis visuntur. Aliquæ solùm attingendæ ex iis, quarum habendarum, & per Europam excolendarum prima laus Peireskio debetur. Eiusmodi censeri potest Gelseminum Indicum, arborescens, semper virens, flore luteo, ac suavissimè odorato. Id scilicet primum ex Sina aduectum, & Belgenferij excultum; fuit deinceps in hortos Regios, & Barberinos propagatum. De his certè Ioannes Ferrarius, ex Societate IESV crudicus vir, in iis libris scripsit, quos tribus post annis edidit de Florum

cultura. Sed addendum est Cardinalem misisse vicifim Belgenferium Sinaensem Rosam, cuius pulchritudo odorem desideratum mirè compenfat. Deinde quæ dicitur Lifa, siue cucurbita Mechana, quæ aduecta nempe est Mechâ, dicique potest planta sericea, quòd filamentis turgelcat ad opus textorium non abfimile sericeo idoneis. Peireskius certè fimil accepit & grana, quæ serenda primùm, curandaque Viallio dedit; & Cucurbitam integram, totam intrus filamentosam; & telam, seu pannum ex eiusmodi materia confectum. Tum Papyrus Ægyptia vera, aliâque ab ea, quam Prosper Alpinus descripsit. Peireskius nempe illam obtinuit ex Saitarum regione, vbi germana creditur nasci; tametsi, quod sciam, non fuerit expertus, an charta confecta, siue crassior ex cortice, siue tenuior ex phyliris, satis patiens scriptionis foret. Opinatus certè initio, cum vidit vmbelliferam, posse pediculos compingi, & ad scribendum vsui esse, in sententia non perstitit. Præterea quæ Nux Indica appellatur Cocos. Non quòd Nuces huiusmodi non fuerint iamdudum in Europa visæ; sed quòd ipse etiam tentârit, num sub hoc cælo prouenirent. Ac germinanteis quidem vidit; sed vel aëris inclementiâ, vel quòd non satis curate fuerint, non adoleuerunt pro votis. Rursus Zinziber, quod ex India allatum vitescere deprehensum est, transmissumque deinde Parisios ad Vidum Brofsseum celebrem Medicum; & Regionum hortorum instructorem primum, demonstratoremque primarium; à quo aliunde, & ab antè nominato Vespas-

1630. siano Robino subdemonstratore perrara obtinuit. Nihil autem dico de Myrto latifolia, ac flore pleno, de Styrace, de Lentisco, vnde Mastiche, & aliis priùs memoratis. Multò minùs referò Gelseminum Americanum maius, flore phœniceo; Persicum violacco, Arabicum pleno: Arantia flore rubeo, atque variegato: Mespilum, & Cerasum acidam, sine nucleis; ficum Adameam, cuius fructum Peireskii est interpretatus ex eo genere racemorum, quos exploratores ex terra Chananæorum retulerunt; vites rariores habitas Tuncto, Smyrna, Sidone, Damasco, ex noua Francia, aliisque locis. Minimè omnium denique hæreo circa sollicitudinem, qua opus topiarium curauit; qua arbores in quincuncem disposuit; qua totum solum irriguum fecit; qua cauit, ne per hiemem tenerioribus plantis noceretur; qua accersiuit ad florum copiam peritissimos odorarios; qua, vt paucis dicam, nihil prætermisit, quod existimaueit facere ad amœnitatem. Hoc potiùs insinuo, peregisse illum experimenta varia circa plantarum semina, gemmâsque, & furculos variè commiscendos. Placuit autem potissimùm inferere Myrto non Gelseminum modò, sed etiam Apianam (dicunt vulgo Muscatam) vitem; vt experiretur quale esset vinum, Myrtiten antiquitè dictum. Expertus porrò Lapidem esse, è quo in humente loco erumperent, ac succrescerent fungi; deprehendit denique ipsum nihil aliud esse quàm Tubet insolitæ magnitudinis, instar lapidis induratum. Et cum Renatus Moreus retulisset ex Mercurio Gallo belgico manum è sugge-

sto enatam, monuit disquirendum num ea fortè fuisset ex ramosis fungis, qui non ex iis lapidibus solùm, sed ex lignis etiam putrescentibus exoriuntur: ac num impostura fuisset, aut credulitas, quæ fabulam de digitorum obseruato motu fecisset. Sed hæc de Plantis. De studio rerum lapidescentium paulò vberius dicendum est: quandò & copiam, & occasionem de iis differendi creberrimam habuit; & ad ipsa loca frequenter deduxit hospites similium curiosos; vt comprobatiorem faceret sententiam. Cùm ergo in colle, quem Defensum vocant, occurrissent Pectinitæ, Ostreitæ, Cornu Ammonis, aliisque lapides diuersimodè figurati; & in campo, ac nomine longo, intrâque cauernam Guernicam reperta fuissent folia ex quercu, alno, ilice, vlnno, nuce, populo, hedera, lauro, aliisque arboribus, ita conuersa in lapides, vt suis tamen neruulis, & denticulationibus suas indicarent species; cœpit exinde recudere, firmarèque antiquam suam de lapidum vniuersorum generatione opinionem. Quippe in ea non fuit sententia, vt existimaret omneis lapides ab initio Mundi formatos; sed voluit temporis progressu plerisque ita fieri, vt singuli originem debeant suæ materiei, propriisque seminibus; conformationem verò partim ad naturam, partim ad casum referant acceptam. Nam cùm omnium materies sit aqua, seu liquor, aut succus; existimauit variis in locis contineri varia rerum semina, ac speciatim lapideum, quod liquori immistum, lactis instat ipsum coagulet, specialémque imprimat formam.

1630. Heinc Crystallum, Adamantem, Amethystum, simi-
leisque lapides fieri, cum illorum semina limpidum
liquorem, cuiusmodi solum perficere possunt, nacta
fuerint; ceteros vero, cum semina eorum magis
turbidum, & obscurum. Et quoniam liquor tunc
contineri, conquesceréque in cavitare quadam, &
quasi vase, seu conceptaculo debet; inde effici, vt
pretiosi etiam illi lapides fundum habeant crassum,
obscurumque, tum quia conceptaculum terreum,
immundumque vt plurimum est; tum quia quic-
quid est in liquore crassum, subsidit, coagulatio-
nemque proinde in fundo facit hebetiorem. Cete-
rum ipsos, dum coagulantur, diffindi, & multipli-
cari, vt grana spicæ, intra vaginam: subire au-
tem Crystallum figuram oblongam, hexahedricam;
Smaragdum dodecahedricam; Adamantem, &
Rubinum octahedricam: & ita de aliis, propter spe-
cialia semina, iuxta quæ lapides non minùs con-
stanter, regularitérque, quàm stirpes, atque anima-
lia suarum sunt configurationum. Quod spectat ve-
rò ad figuras Concharum, Cochlearum, Stromby-
lorum, Ostreorum, & innumeras alias; id esse ex ca-
su, quo, animalibus demortuis, contingit testas, cor-
ticéve conceptacula fieri excipiendo, continendó-
que lapidescenti illi humori, qui coagulatus indura-
tusque, continentis figuram induat; quo etiam mo-
do lapides Stellati ex spolio, atque incisuris quo-
rundam vermium formari possunt. Quin etiam par-
tem humoris subtiliorem, penetrare in ipsam testam,
adeò vt ipsa quoque lapidescat; licet euat friabi-

lior (vnde in multis non cohæret) & remaneat ta- 1630.
 men candidior interiore nucleo; qui aliunde, præ-
 ter crassiorem humorem, immistam habere corru-
 pti animalis substantiam possit. Mirum eam ob caus-
 sam non esse, si non modò intra hos nucleos, sed
 etiam interdum intra Crystallum, & lapides alios
 transparentes obseruentur palæ, muscæ, & id ge-
 nus similia; has enim res casu repertas, aut in con-
 ceptaculo, aut in fluore illo, cùm induruit in lapi-
 dem. Folia autem illa plantarum lapidescere, eo
 modo, quo dictum est testas; scilicet subeunte pu-
 riore humore, qui, si impurius fuerit, lapidem cras-
 sum circumformet; vti constitit in lapide quodam
 intra Musæum asseruato, qui diffusus florem con-
 tentum, petrificatumque exhibuit. Sic etiam Osteo-
 litha fieri, seu ossa humana, & alia lapidescere cen-
 suit. Et ad generationem quidem illorum lapidum
 polyhedricorum, argumentabatur ex conformatio-
 ne salis, aluminisque in suas figuras. Circa alios ve-
 rò, meminerat primùm, quod primis pubertatis an-
 nis obseruasse illum memorauimus, dum ad mino-
 rem Rhodani alueum, in quem Sorga fluuiolus se-
 se exonerat, nataret. Nimirùm simul adnotârât tur-
 batiorem tum fuisse Sorgam, ex terræmotu ad illius
 seaturiginem excitato; & propter intumescentem
 ea tempestate Rhodanum, aliquot diebus restagnas-
 se. Vnde & ratiocinabatur, potuisse ex ea concus-
 sione germen lapideum ex ipsis vsque visceribus ter-
 ræ excerni, & cùm aqua sic deuehi, vt limo ex illa
 restagnatione subsidenti, sensimque concreto, com-

1630. mistum, lapides illos efformârit. Deinde, quod ad indurationem; meminerat trium calculorum, quos Ioannes Brunus Chirurgus sibi dederat, recens ex vesica infantis eductos. Si quidem cum is, qui primò emerferat, esset planè durus, qui secundo mollis, qui tertio penè fluidus; omnes tamen paucis post diebus eiusdem fuère duritiei. Quod autem morantes diutiùs in vesica calculi ex accedente noua materia pluribus crustis superuestiantur; dicebat id esse, quod in variis cryptis obseruamus fieri, vbi aqua lapidosa supernè distillans tophos, aliòsve lapides creat. Et quòd granula sabulosa, quæ intra vesicam, compingantur sæpe à viscido illo, & calculoso humore, qui defluit ex renibus; declarabat id ipsum esse, quod in montibus ac fluminibus plerumque contingit. Siquidem plureis rupeis videmus, quæ ex pluribus minutioribus lapidibus constant, intertextente illos communi materia, quam necesse sit fuisse posteriùs saxeam effectam. Habuit & ipse intra Musæum eductam ex Druentia equinam soleam ferream, quæ ita est circumdata lapillis flumatilibus, vt lapidosa alia substantia illos inter se, & cum ferro adglutinet. Idem visitur & in ense, & in circulo ferreo, eductis ex Rhodano; idem in magno clauo æneo, quem eductum ex Sequana Lomenius ad ipsum transmisit. Argumentum inde ducebat, tum de germine lapidifico ex montibus vsque, & aquarum scaturiginibus deorsum; & de lapidibus, qui in singulos dies in mediis fluuiorum alueis generantur; qui ipsi quoque suapte natura ad rotundam, vel oualem

oualem figuram accedunt; nisi quòd pro conditione conceptaculi, aut ex volutatione, detritione, contractione, degenerare ab ea possunt. Vt de sabulo autem illo calculoso obseruationem adiiciam, animaduertit ille primus, ipsum à natura ita conformari in figuram rhomboicam, vt microscopio inspectum, appareat veluti rhomborum lateritiorum congesta moles. Ex quo difficile non est caussam explicare illius doloris, quem sabulum eiusmodi cum vrina egestum creat; nempe singulorum granorum acutiores anguli canalem ita vellicant, vt sui sensum acerrimum faciant. Ex his, rogatus aliquando de flexilitate illius Cotis, quam à Iacobo Hallæo Parisiensi Rationum Magistro communicatam habuit; illam ad Talchum retulit: opinatus nempe fluorem talcho gignendo comparatum sic fuisse commistum arenæ, seu iis granulis, ex quibus eos pertexitur; vt crassitudo coticularis talchi pelluciditati, læuorique obstiterit; & talchica flexilitas obstiterit cotis rigori. Sic rogatus de lapidibus Crautiæ, Herculeorumve camporum; censuit totam illam planitiem potuisse olim restagnare exundante potissimum seu Druentia, seu Rhodano, & lapidifico germine simul deucto, coagulante. Argumento fuit, quòd in salium concretionem obseruamus. Quippe, vt in vase, ex quo aqua sali commista euaporatur, tessellæ maiores in fundo, quàm ad latera relinquuntur; quòd illeic falsedo vberius, diutiùsque resideat: sic in medio Crautiæ, quod depressius est, maiores longè lapides, quàm ad oras obseruantur; & ad maritimas

Hh

quidem, paludosasque præsertim, vbi lapilli vix attingunt nuculæ magnitudinem; cùm in medio lapides sint capiti humano plerumque æquales. Quod difficultatem potissimum fecit, fuit multitudo incredibilis piscium, concharum, aliorumque marinorum animalium, quæ in summis etiam montibus saxificata visuntur. Attamen, quoniam obseruauit in benè longa montium serie à Belgenseriensibus vsque, quandam quasi zonam exstare, editam quidem, sed libellatam tamen, & horizonti, planoque maris parallelam, quæ eiusmodi animalibus faxeis effectis referta sit: nullus penè dubitauit, quin mare eò vsque pridem occupauerit, & saltem ad diluuij tempus (nisi ad mundi vsque initium, priusquam aquæ diffuerent) recurri posse existimauit. Nam mare quidem paullatim aliquas deserere oras, inuadere alias, duxit compertissimum; vti Aristoteles comprobauit de Ægyptiaca, Polybius de Euxina, ipse de Arelatensi: quippe Nilo, Danubio, Rhodano, aliisque fluminibus ex terra continuò delata producentibus continenteis; adeò vt temporis progressu, & loca humilia euadant excelsa, & littoralia mediterranea. Quam etiam ob causam scripsit aliquando se credere fore, vt Veneta vrbs continenti adiungeretur; quòd ex tempore nescio quo, promotæ foret continens passibus mille, & quingentis. Exinde præterea coniecturam duxit de formatione Rupium, quas mundi præsertim initio censuit genitas ex copiosissimo humore vniuersam terram obruente, & semine saxifico eidem terræ intersperso.

Heinc̄ euenire certè potuisse , vt molli adhuc̄ con-
 cretione, quæ flumina tunc erupere, cœperet̄que de-
 currere, rubeis passim perfrerint; neque enim al-
 ueos profundissimos, quibus ad vtramque ripam ru-
 pes eminent, vniformis contexturæ, atque altitudi-
 nis, excauari ita potuisse ex detritione insensili, si
 durities perpetua fuisset. Fortè etiam inde effectum,
 vt aqua ab ortu in occasum diffluente, & quæ Me-
 diterraneum iam est, locum excauante, pleræ-
 que conualles ita apertæ fuerint, vt rupes, atque
 adeò montes eundem situm ab oriente in occiden-
 tem seruaerint; cuiusmodi sunt non præcipui mo-
 dò, qui in hac Prouincia, sed & Pyrenæi, Appenni-
 nus, Rheticæ Alpes in Europa; Taurus in Asia;
 Atlas in Africa; ac nostratibus etiam plerum-
 que ostentantibus faciem præruptam versum ma-
 re. Quòd autem maritimæ Alpes, & minores quæ-
 dam montium, consequenterque vallium series alium
 situm obtineant; id esse potuisse ex speciali aquæ
 defluxu; ad eum modum, quo obseruamus post flu-
 minis exundationem, recurrentem ex ripis aquam
 limum congestum exarare, seu creare fossulas, at-
 que adeò protuberationes, situ versus alueum flu-
 minis transuerso. Sed de his iam nimis. Solitus est
 etiam sermones eruditos conferere, de cadauere Gi-
 ganteo Tuneti effosso, ac immensæ propè magni-
 tudinis, vt Thomas Acosius, vir profectò mul-
 tiscius, illa ex ora significauit. Scripsit nempè Cra-
 nium continere posse mellerecolas Prouincialeis octo,
 hoc est, Parisiensem liquidorum modium, cum do-

drante. Immanis sanè vastitas; & ob quam Peiresk-
 ius Arcosium admonuit, spectaret omnia propiùs,
 expenderétque scrupulosiùs. Possè certè molarem
 dentem, quem ad se transmiserat, aut prægrandis
 Elephantis, aut Balanzæ cuiuspiam esse. Summam
 ad hæc lætitiã cepit tum ex Minutij reditu, tum
 ex inuentione Tripodis cuiusdam. Siquidem ille
 prospero successu ex Ægypto adueniens, libros ad-
 sportauit non paucos, ac potissimùm Copticos, hoc
 est caractere, & idiomate Ægyptio antiquo con-
 scriptos; idque præter alios, quos cum iam antè
 memoratis Samaritanis miserat. Aduexit & Mumias
 duas (cadauera videlicet antiquissimæ illius, & sum-
 ptuosissimæ condituræ) quarum altera fuit præcipuè
 grandis, integra, insignis, & quantum licuit ex or-
 namentis coniecere, Principis viri. Attulit & numis-
 mata, ex quibus magni æstimauit tetradragmata duo;
 alterum Atticum, alterum Tyrium: ac numisma Hu-
 gonis, Regis Hierosolymorum, & Cypri. Ad Tri-
 podem quod attinet, is ad Iulij Forum fuit erutus;
 & quia non fuit multùm pedali procerior, existima-
 uit Peireskius fuisse ex votiuis per templa dispositis,
 instar illius præcipui, cui Phœbas insistens, & ex
 subiecto antro spiritum ducens, bacchabatur, cre-
 debatúrque oracula fundere. Eius occasione dein-
 ceptus varias literas Parisios, Romam, & aliò dedit, vt
 prouocaret eruditos ad differendum de incomper-
 tis quibusdam Tripodum mysteriis. Bascos illius trique-
 træ medium foramen est triangulare, ex circularibus
 lineis: extrema autem Empulas fulciunt sustentan-

teis scaphidium : sed ita, vt cùm omnia simplici at- 1630.
 tactu cohæreant, motu minimo collabantur. Ni-
 mirùm interpretabatur illo spiritu agitante, corruere
 debuisse omneis Tripodas, facta aliqua partium
 concussione. Ratiocinatus præterea est Cortinam
 fuisse non illud vas (neque enim Pythonissam eò
 conscendisse) sed hemisphærium aliud superficiei
 quasi squaminosæ (vt imitaretur Pythonis serpentis
 ab Apolline interfecti exuium) quo memoratum
 mox foramen immediatè obtegeretur : adeò vt Sa-
 cerdos haberet Cortinam suppositam, & imminens
 scaphium. Laborauit autem solùm, vt exprimeret,
 coniecturisque approbaret ecquid illo triangulo
 curui lineo designaretur. Quare neminem virum do-
 ctum ea de re non consuluit ; ipse interea tam circa
 id, quàm circa parteis alias eos eruditionis fundens
 gurgites, vt omnes omninò concesserint palmam.
 Omnium nomine audiatur Holstenius, *Nam, quæ,*
inquit, hæc super re ad reuerendum Patrem Puteanum
bene longa συζητήσας scripsisti, ea frustra expectaueris vel
à me, vel à quouis alio antiquitatis studioso : ita tu om-
nem diligentiam, curamque præuertisti, &c. Prætereo
 autem vt ad habendum pleniorẽ eius rei notitiam,
 conquiescit Tripodas plureis, maximè verò ex Ita-
 lia : vnde Menetrius aliquot misit, præter exquisi-
 tam descriptionem, delineationemque aliorum, quos
 obtinere non potuit. Sub initium sequentis anni, 1631.
 perseuerabant adhuc turbæ, cùm Princeps Condæus
 in Prouinciam missus, eas demùm sedauit. Vere no-
 uo Cardinalis à Balneo vtraque sua legatione fun-

1631.

ctus, & accepto Parisiis purpurato pileo Romam rediit, ac per Prouinciam iter instituens, inuisere uoluit Belgenferij veterem amicum. Inter cætera autem suauissimum habuit & Mumiam illam anreditam conspicere, & Peireskium tam de illo, quàm de cæteris condiendi generibus, edifferentem audire. Quæstione interim suborta, num Ægyptij quoque Naulum ori apponerent; placuit varia lintamina, fasciolasque effringere, & *omnia* rem explorare. Itaque capite vix tandem ex inuolucris euoluto, studiosè quidem, sed frustrà tamen Naulum in ore perquisitum. Discessurum non erubuit exorare Peireskium, pateretur sarcinas suas nouo onere prægruari. Quippe transmissurus erat ad Holstenium ad vsque viginti MSS. Codices Græcos, ex Platonis, Aristoteleisque interpretibus, quos ex Bibliotheca Pacij erutos, & ducentis aureis coemptos pridem mittere destinârat. Itaque Cardinalis volens, ac pro suo in literas, literatosque affectu, conuehendorum assumpsit curam. Quo loco memorandum est deduxisse tum illum secum Gabrielem Naudæum Parisinum, nominis inter literatos magni, & ex libris iam editis Peireskio cogniti, & cari. Quamobrem Peireskium iucundissimum duxit tum virum complecti, affarique coràm, tum gratulari Patrono, quòd talem à studiis virum delegisset. Et quantum quidem fuerit illius consuetudine delectatus, retulit profectò non semel, nescius an magis admiraretur animi candorem, atque lenitatem; an inexhaustam eruditionem, notitiàmque omnium librorum. Quan-

tum verò ipse Naudæus & Peireskium suspexerit, & 1631.
 illius beneficentiâ cumulatus discesserit, testatum de-
 inceps fecere tum priuatæ Epistolæ, tum nuncupa-
 tio publica Iatrophilologicæ quæstionis, *An masu-
 tina studia vesperinus sint salubriora.* In hac certè *Me-
 cœnatem literatorum omnium* appellans, veritûsque
 prisici Mœcœnatis fortem, vouet Panegyricum, &
 cur deditet intereà id opus, *in caussa fuerunt*, inquit,
admiratio tua virtutis, & indignatio, quam dudum in
*me concepi, quòd ipsa non omnibus eruditorum calamis ce-
 lebretur, quibus tamen quotidie materiam suppeditat de*
eunctis fermò rebus doctè, subtilitèrque differendi. Et rur-
 sùs, *Quod equidem ut faciam, induxerunt me primùm*
propria meæ rationes, qui iamdudum in tuo arte uiuo,
omnèmque cultus, & obseruantia significationem tibi ex-
hibere flagrantibus votis aueo, desideròque supra modum.
Deinde verò optimi, & eminentissimi mei Mœcœnatis
Ioannis Francisci Cardinalis à Balneo exemplum, qui
cùm aliàs tecum adcò lubenter, suauissimèque versaretur,
ut cum nullo alio literatorum magis, nunc etiam nihil de
antiqua sua beneuolentia remittit, sed te, licèt absentem,
amat, suspicitque quam-maximè. Illa autem omitto,
Qui me iam pridem incredibilibus amoris, & beneficentiæ
tue illecebris deninctum esse voluisti, compluráque alia.
 Deducto Tolonum vsque Cardinali, neque priùs
 dimisso, quàm è portu soluisset, rediit Belgense-
 rium. Ex aliquo tempore vsque agebatur de nu-
 ptiis, quas Claudius ex fratre nepos in comitatu Ve-
 nalcino, seu Auenionensi ambiebat. Tunc itaque
 assensum præbuit, ut ille exinde in uxorem duceret

1631. nobilem puellam Margaretam Alresiam, donatione facta Riantiensis Baronix, & concessione dignitatis Senatorix, ea solùm lege, vt sibi functio integra per triennium reseruetur. Imminebant Paschalia, cùm corripuit illum insignis quædam Paralysis ad dextras omneis corporis parteis. Scilicet extra limen domus, ac in aditu horti confidebat, reclinatùmque fortè habebat totum corpus in dextrum femur, cùm subitò sensit eiusmodi femur non leuiter obtusum factum. Conatus loco emouere, nisi adiuuante famulo non potuit; neque deinceps incedere, ob similem cruris, pedisq̃ stuporem. Perrepsit continuo in brachium affectio, adeò vt scriptionis fuerit incapax. Serpsit & in linguam, quæ proinde hæsit; ac licèt nonnihil balbutire, murmurarève videretur, voces tamen distinguere, dearticulàreque non potuit. Subiit quoque aurem tinnitus, qui, nisi aliis partibus simul solutis, non euauit. Est autem facta solutio post exactam hebdomadam, occasione hilaritatis, admirationisq̃ subnata. Cùm allatæ nimirùm fuissent à Thuano litteræ excusationem continentes, cur Belgenferio non transiisset, lætitia quadam gestiit; & cùm subinde nescio quis hymnus in Liliij, Rosæque amores scitè caneretur, ita captus est suauitate cantus, & strophes cuiusdam lepore, vt, quemadmodum Cræsi filius, prorumpere volens in aliqua verba, ac in ea speciatim, Quàm pulchrum est hoc! prorsùs in illa proruperit, eoque momento libertas fuerit membris omnibus restituta. Destinavit porrò deinceps iteratò Minutium, vt
venatum

venatum iret libros orientaleis, factò præsertim animatus præclari viri Iacobi Golij, quem Hollandiæ Ordines, propter insignem Arabismi, Matheseósque peritiam, substituere inclytis duobus Academiæ professoribus, Thomæ Erpenio, de quo antè, & Wilibrordo Snellio, quem Kepplerus meritò censuit subtilissimum Mathematicorum. Golius scilicet nomine, impensisque Ordinum bis iam in Orientem profectus, tantum corrogârat & in Academia deposuerat librorum thesaurum, vt viso eorum indice, quem ad me à Golio transmissum, & volentibus benè multis typis euulgatum ad eum miseram, subito studio inarserit, mittendi rursùs in Orientem, qui in id incumberet, vt, quantum liceret per priuatos sumptus, simileis libros Gallia haberet. Dedit autem Minutium in comitatum Marchæuillæi, qui mense tandem Iulio Constantinopolim discessit. Et dare quidem prætercà voluerat Holstenium, Buccardum, aliósque eruditos viros, qui freti patrociniò auctoritatèque Regij Oratoris Bibliothecas in monte Atho, aliísque locis explorarent; verùm illi, vtcunque forent ad id peragendum propensi, non potuerunt tamen esse satis temporì, ad discedendum comparati. Vnicus comparatus fuit nominatus antè Gallapius, qui non multùm tamen temporis Constantinopoli moratus, discessit in Libanum montem, & cum Maronitis ita constitit, vt etiam num cum illis degat. Post Marchæuillæi discessum, renuntiatum est fuisse Elephantem Tolonum aduectum. Procurauit itaque ipsum adduci Belgenferium, vt posset

1631.

quædam explorare, de quibus ante annos quatuor ad Puteanos scripserat, cum animal fuisset deductum Parisios. Aducebatur tunc ex Italia, idemque fuit, qui ante annum ostensus Romæ fuerat: demior autem quorsum possessor dixerit Peireskio annorum esse quatuordecim, cum Romæ superiore anno fecisset solum undecennem, ut ex ipsius effigie dicata Gualdo Equiti, exque facta per Bottifangum descriptione, intelligi licet. Peireskius porro toto biduo, seu rogando, seu experiundo, ita multa addidit, ut sibi factum putaret satis. Inter cætera, cum probasset omne genus edulij, iussissetque dulcia præfertim (quod gratissima forent) ministrari, adeo ut Elephas iam ipsum & agnosceret, & blanditiis prosequeretur, fiduciam cepit (sed præeunte animalis Gubernatore) ingerendi brachium in os, explorandique ipsius denteis. Deprehendit autem hinc inde in utraque maxilla binos, ut planè octo existerent, & non solum quatuor, ut voluerat Plinius. Neque verò denteis attrectauit modò, sed etiam per Gubernatorem ceram ipsis applicuit, quò illorum simul magnitudinem, formamque faceret expressam. Exinde autem perspectum habuit, memoratum molarem dentem ex Africa missum ab Arcofio, Elephantis esse, non Gigantis dentem: neque est plius demiratus, cur ex Gigante Theutobocho tam pauci fuissent dentes ostensi. Ad hæc depingi Elephantem triplici facie voluit, ac recubantem potissimum, ut commissuræ melius paterent, quæ inter pedem, & tibiam, tibiamque & femur; ad conuin-

cendum errorem, qui auctoritate Strabonis, alio- 1631.
 rúmque inualuerat de inflexilitate crurum, fabulif-
 que superextructis. Adiicere autem solebat, cum
 hæc deinceps memoraret, minimè potuisse antiquos
 articulationem latere, quòd in quibusdam vulgò vo-
 catis Medallionibus expressissent Elephantem fu-
 nambulium; insigni quadam utique non mobilitate
 modò, sed & flexilitate crurum. Rursùs non modò
 partium omnium dimensiones excipi iussit, sed etiam
 cum animal foret postea deducendum Aquas-Sex-
 tias, demandauit Fratri, itémque viris industriis Ioan-
 ni Lombardo, & Iosepho Sucheto, vt explorarent
 ipsius pondus. Itaque ipsi rem peregerunt, confecta
 bilance ex trabe debitè suffulta, idoneisque funibus
 illigatis & machinæ lignæ, qua animal sustentaba-
 tur, & lignæ cuppæ, quæ pondera (tormentarios
 nempe globos) continebat. Hoc proinde modo ex-
 ploratum est, comprobatúmque Elephantem pende-
 re libras Prouinciales quater mille, & quingentas:
 hoc est Parisiensis proximè ter mille quingentas: &
 Romanas duodenúm vnciarum quinquies mille pro-
 ximè. Accepit deinde magno cum dolore obiisse duo
 carissima capita, videlicet Aleandrum Romæ, & Pi-
 gnorium Patauij; quorum quàm antiqua, & con-
 stans, quàmque variis officiis exulta fuisset amicitia,
 intelligitur ex hætenùs dictis. Cariores porrò exin-
 de habuit, quas iam asseruabat illorum icones, ipsaf-
 que, cum rediit in urbem, sic in Musæo posuit atti-
 guas, vt ingredienti statim paterent. Consolationi
 etiam fuit, quòd ita Aleandro parentatum inaudit,

1631. vt ipsius laudatio pronuntiata publicè fuisset per disertum virum Gasparem Simeonium in concione percelebri Academicorum Romanorum; & Pignorij memoriam ita fuisse caram laudatissimo illius, literatorúmque aliorum fautori Dominico Molino, Sancti Marci Procuratori, vt & tumulus excitatus, & epitaphium positum ab ipsomet exstitisset: quod Philippus etiam Tomasinus, ille de sua patria, conciuibúsq; cruditis adeò benè meritis, ad calcem eorum, quæ de Pignorij Bibliotheca, Musæoque scripsit, memorauit. Prætereo autem, neque Simeonium, neque Tomasinum silere potuisse amicitiam, quæ inter *μακροί* illos, ipsúmque intercesserat. Hoc anno, ac mensè Nouembri memorabile illud contigit, quod Planeta Mercurius fuit primùm sub Sole, seu in disco Solis conspectus. Admonüerat antè Kepplerus publico scripto Astronomos, rerúmque cælestium studiosos admirandi spectaculi: quamobrem ipse quoque Peireskii suarum partium esse putauit ad illud attendere, ac tantò magis, quantò priùs persuasus visam in Sole Mercurij stellam Caroli Magni temporibus (ex Adelmo, Ademaróve in ferie Annalium Aimonij) dissuasus iam fuerat, ratúmque habuerat visam solùm fuisse Maculam insignem, ex iis, quæ peruulgatæ iam sunt; quòd per octo dies apparuisset, cum Mercurius sub Solis disco aliquot solùm horas infumat. Apparuit itaque scenam, in quam Solis radij telescopio transmitterentur, vt exhibita Solis specie proderetur Mercurij umbra. Atque aduigilauit quidem, quantum licuit, aut memi-

nit (siquidem Kepplerus calculo diffusus attendi vo-
luerat toto triduo ante, & post diem septimam, ab
exacto cuius meridie apparitionem mediam cele-
brandam deduxerat) Verùm cùm apparitio anteme-
ridiano tempore desierit, obseruandi memoriam to-
to illo manè ademit hospitem quorundam præsen-
tia, quibus & ad sacrum audiendum ducendis, &
mensâ lautissimâ excipiendis sese addixit. Insignis
proinde fudit querimonias, cùm tempus accepit ce-
lebrati spectaculi, ac mirè aliunde gratulatus est,
quòd mihi primo, ac fortè soli, cùm versarer Pari-
siis, id obseruare concessum fuisset. Obseruauit nem-
pe Mercurium à medio ferè Solis disco in limbum vs-
que excurrentem (ac tanta quidem exilitate, vt trien-
tem minuti non excesserit) excedentem autem à lim-
bo horâ matutinâ decimâ, ac minutis viginti octo,
cum boreali latitudine minorum sex, & trientis.
Heinc lætabundus obseruationem quoquouerfum
destinavit, neque ipsam modò; sed quos de ea etiam
edidit commentarios, tum Willelmus Schickardus,
optimus ille, doctissimûsque apud Tubingensem
professor, tum Martinus Hortensius, laudatus Hol-
landiæ Mathematicus, & Philippo Landsbergio in
condendis Tabulis Astronomicis adiutor. Hieme
ingruente laborare cœpit solitis hæmorrhoidum,
calculique doloribus; adeò vt cùm Prorex Marescal-
lus Vitrius in Prouinciam missus, adestet Toloni,
illum quidem inuiferit, sed fellâ gestatoriâ vectus.
Quin etiam inter colloquendum affectus est discru-
ciatûsque summa vrinæ difficultate. Apud amicum

1631. cùm diuertisset , nescio quis admonuit in Zem-
biorum insula paucis milliariibus distante scaturire
aquam huiusmodi doloribus sedandis mirè condu-
centem , ac , cæteros inter , Andream Dauoriam sic
fuisse illius vtilitatem expertum , vt & Genuâ vsque
quæsitum ex ea mitteret , & Præfectus triremibus,
cò sæpe deflecteret , vt ex ipso biberet fonte. Ita-
que Peireskiius confestim in insulam misit , aquam
vsurpauit , ipsamque non vtilem modò ciendæ vrinæ,
sed immutando etiam toti corporis habitui inuenit ;
adeò vt relatus Belgenferium visus fuerit breui pro-
sùs conualuisse. Verùm non diù constitit huiusce-
modi valetudo : siquidem statim tempore verno in-
1632. sequentis anni sexcentesimi , ac trigesimi secundi sic
variè diuexatus fuit , vt actum de eo sæpiùs videretur.
Quippe ad hæmorrhoidum , vrinæque difficul-
tatem accessit febris continua , quæ remitti quidem
nonnihil est visa sub decimum quartum diem , cùm
Marescallus ipsum inuisit ; verùm inarsit magis de-
inceps ad diem vsque quadragesimum secundum ,
quo quotidiana illi successit dierum quindecim , aut
viginti. Nec verò cum iis solùm morbis conflictan-
dum ipsi fuit ; sed & cum insigni tumore ad regio-
nem abdominis , superiorémque femorum partem ;
itémque cum inflammatione , tumoreque ingenti in
altero brachio. Ac parùm fortè hæc omnia : gra-
uissimum fuit , quòd clystere non satis cautè admi-
nistrato , ea facta fuit hæmorrhoidum læsio , vt gan-
græna ad eas parteis subnata breui fuerit. Et statim
quidem Cassanci imploratum auxilium ; verùm ipse

quoque detentus inualetudine adire non potuit. 1632.
 Misit tamen ad ipsum Sebastianum Richardum, qui
 medicinam Dinia primùm, ac deinde Massiliae ma-
 gna cum laude exercuit; qui quocumque solertiâ serpenti-
 iam morbo iuit obuiam, vt illum planè restinjerit,
 Peireskiùmque non multò post reliquerit conuale-
 ſcentem. Vt omninò porrò conualesceret, non con-
 tulit parùm insignis lætitia, qua perfusus est, cum à
 Ludouico Meynerio Lirinensi Religioso, viro eru-
 dito, ac imitatione Antonij fratris optimi studioſo
 mathematices, duo habuit pocula argentea ex Val-
 laurienſi agro, dum in vineam effoderetur, defossa.
 Nempe, quòd vnum intra aliud appositè contine-
 retur, ratus est ea esse ex iis, quæ & *συνδυο*, & Sym-
 bibæ appellarentur; &, quòd ad oram interioris co-
 rona aurea viferetur, perspicuum fieri censuit, quid
 esset antiquis, *Vina coronare*. Quin ex punctatis etiam
 ad oram exterioris literis ΟΥΕΝΙΚΟΙΜΕΔΟΥ,
 iudicauit eadem esse ex iis poculis, quæ *γλαμματιχῆ*,
 seu Literata dicerentur (quandò præfertim capacitas
 deprehensa est tredecim continere cyathos, iuxta nu-
 merum earum literarum) cuiusmodi fuerunt & illa,
 quibus olim inscribebantur voces CAIUS, IULIUS,
 PROCVLVS, vnde carmina

NAEUIA sex cyathis, septem IUSTINA bibatur, &c.
 Ad-hæc deduxit originem, cur geminata ebibe-
 rentur, ex antiqua vsque barbarie; qua in craniis
 hostium interfectorum bibebatur, & quò quis plu-
 reis occidisset, eò in pluribus agglutinatis biberet.
 Nempe homines mansuefactos id tandem moris

1632. exhorruisse, & substituisse tamen vasa, quæ cranij formam retinerent (vt quodammodo ista retinent) &, propter materiam, nihilominus parem horrorem non crearent. Denique occasione nata tum ex hisce poculis; tum ex hemina, seu semifextario æneo antiquo, quem Nemausi repertum, visumque (nescio an apud Paludanum, an apud Tornerium, ante annos treis) Petitus deinde ad illum detulerat: tum ex alabastro per ætatem accepto ex reliquiis naufragij, quod perpeffa est triremis Pontificis Nuncium Ceuam in Galliam vehens, postquam effractum instaurauit, vsusque est iucundissima per aliquot hebdomadas consuetudine Menetrii; tum ex modulo Congij per Aleandrum habito, ac deprehenso continere ex Aqua Gapelli libras Prouinciales nouem, & duas vncias, per ectypica pondera; tum ex pluribus aliis vasis, quæ aut illic habuit, aut quæsitum misit; occasione, inquam, ex iis nata, cœpit varia cum Salmasio, aliisque viris eruditis circa mensuras, pondera, vasaque ipsa differere. Scilicet opinatus est, fuisse antiquos adeò solerteis, vt nullum vas conficerent, quod non & præscriptam mensuram, & certum pondus contineret. Confirmatus autem per id tempus est, cum pilam ponderum antiquam ab Aleandro ad se allatam, cum veniret in Galliam, explorauit, & comperit vascula eius singula videlicet libræ, semissis, trientis, quadrantis, sextantis, vnciæ; continere ordine eodem acetabulum, cyathum, mystrum, concham, chemen, & cochlear: idque præter incitheim, seu situlam vasa conti-

conti-

continentem , quæ & pondere est dupondium , & 1632.
 menfurâ quartarius ; sed aufulis nempe ad oram de-
 preffis. Prætereo verò , vt eius rei factus deinceps
 fuerit certior , cùm postquàm in vrbe , ac musæum
 rediit , quoddam reperit vasculum , in quo circulis
 variis , & vnciæ , & cochlearis partes minutiores in-
 terstinguntur ; ac rursùs omnimoda vasa domi re-
 licta obseruauit. Sed vt insistamus in iis , quæ Bel-
 gengerij peregit , miram quoque cepit lætitiã , ex
 communicata secum egregia quadam demonstra-
 tione , qua antè memoratus Iosephus Galterius per-
 fecit Ptolemaicã , circa obtinendam distantiam ,
 magnitudinẽque Globorum cœlestium. Ac ille rem
 quidem pro sua solertia meditatus fuerat ante plureis
 annos ; sed eam retexendi occasionem sumpsit ex
 edita nuper Landsbergij Vranometria , in qua cùm
 senex optimus quid Ptolemæus , Albategnius , Co-
 pernicus , Tycho , & alij summi artifices peccassent ,
 adnixus fuisset ostendere ; ipse deinde visus est paul-
 lò segniùs sese habuisse. Quippe lineas ductas ex
 centris tam Solis , quàm Terræ , in contingentem ab
 angulo vsque terrenæ vmbre directam , distinctas
 non habuit à veris , apparentibùsque semidiametri ,
 vt in exquisito negotio oportuit ; veluti etiam oportu-
 erat apparentem Solis semidiametrum , non ex
 centro terræ attendere , sed ex superficie , vnde ea
 spectatur. Cùm itaque Galterius & rationem om-
 nium habuisset , & diagrammate exornato demon-
 strationem construxisset , misissetque omnia ad Pei-
 reskium ; ipse summoperè lætatus , congratulatùsque

1632.

est, ac procuratis quam-pluribus demonstrationis exemplis, ipsam cum viris, quos harum rerum Parisiis, Romæ, & alibi, studiosos nouit, communem fecit. Sic cum obtinuisset exemplum eorum Galilæi Dialogorum, in quibus ex motu Telluris in eadem parte superficiæ bis quoque die retardato, accelerationeque, ob compositionem motus diurni, & annui, declaratam peruidit causam geminatæ in singulos dies reciprocationis, seu æstus marini, eatenus incognitam; dici non potest quantâ lætitiâ sese perfunsum senserit: & cum non sine approbatione opus editum obseruasset, quanta cum exultatione exclamauerit, fœlix esse hoc sæculum, quo viri sagaces ex positione motus Telluris exposuerunt causas tum proprietatum Magnetis, tum æstus Oceani, habitas præcipuè admirabileis, atque incompertas; alteram quidem G. Gilbertus in opere illo suo de Magnete, alteram verò Galilæus, in libro hoc Systematum. Recercârunt etiam illum edita in lucem à Chiffletio Insignia gentilitia Equitum aurei velleris, Fœcialium verbis enunciata; acceptis simul literis, quibus Petrus Hoferus (quo nemo fuit vnquam nobilium Galliæ familiarum notitiâ instructior) significauit se quoque insignia Ordinis sancti Spiritus, tanquam iam affecta, breui editurum. Sic edita quoque Historia Romanorum Pontificum, qui è Gallia oriundi in ea sederunt, opera Francisci Bosqueti Narbonensis Iurisconsulti, viri commendatissimi, & totam Historiam Ecclesiæ Gallicanæ tum meditantis. Sic missa à Naudæo germana Ariminensis Pontis inscriptio,

qua certior est factus contineri Consulatam Augusti XIII, & Tribunitiam potestatem XXXVII; cum subdubitasset non bene apud Gruterum legi XIII, & XXVIII Misit verò etiam Naudæus relationem suam de Vesuviano incendio, quod à Decembri usque superiore cœptum, nondum prorsus desierat; eamque, præter complureis alias, quas ex variis corrogavit. Tandem, cum in urbem redire sequente autumno statuisset, apparatus prius voluit Samaritanos Codices, ut libertate viarum facta, mitteret Parisios unâ operâ, permolestè ferens, quòd illic fuissent tandiù desiderati. Videlicet, ut compleretur magnorum Bibliorum editio, perdoctus ille Ioannes Morinus, ex Congregatione Oratoria, curabat Pentateuchum Samaritanum, & ab anno usque superiore Exercitationes in ipsum præmittens, publicam mentionem ita fecerat eiusmodi Codicum, ut Peireskius deinceps mirâ fuerit eos transmittendi impatientiâ. Ille siquidem præloquutus de Samaritanico exemplo, quod procurante Peireskio Petrus à Valle communicârat, verba ista subiccerat,

Præter Codicem istum, duos alios Hebræo-Samaritanos quotidie expectamus, ut eorum cum isto comparatione editio nostra omnibus suis numeris absoluta prodeat. Hos paucos ante mensis è Palaestina accerseri curavit vir amplissimus, literarum decus, deque literis bene semper merens D. Peresius, in suprema Prouincia Curia Senator integerrimus. Codicum istorum alter tricolumnatus est, & trilinguis, unaquaque dialecto per columnas exposita, &c. Percensit ergo Peireskius vellicatam sibi ea ratione au-

1632. rem : quare ad tutam, opportunámque occasionem solùm attendens, non alij voluit commissos, quàm Dionysio Guillemino, viro eximiae comitatis, domesticóque ab ineunte vsque ætate habito; vnde & pridem Romollarum, & nunc etiam Belgenferij Prioratum, vt vocant, obtinuit. Et dimittebat quidem illum ad Abbatiam in Aquitaniam: sed præfixit tamen, vt via compendiosiore relicta, Parisiis iter faceret Codicésque secum transferret. Non memoro autem quàm ingenteis gratias pro iis Morinus habuerit, quas in laudes proruperit; adnoto solùm ipsum tunc transtulisse, remisissèque Samaritanas Epistolas, quas dictum superiùs est fuisse ad Scaligerum iam pridem conscriptas.





DE VITA
PEIRESKII
LIBER QVINTVS.



RIENNIO Belgenserij exacto, rediit in urbem mense Septembri. Aduenerat iam Helias Lãinæus Marguerius, quem Rex post Oppedæi mortem Principem Senatus creârat : & quia illius integritatem cum eximia iuris notitia coniunctam Peireskius probè nouerat ; idcirco partim dignitatis, partim virtutis reuerentiâ, domus suæ limen reuisere noluit, quin virum prius salutasset. Inclinate postea Octobri cogitare cœpit de Nepote in Senatum admittendo ; illum quippe sibi, vt iam dictum est, destinauerat successorem. Itaque, dum Nepos Senatores omnes, vt moris est, præsalutaret, deducere ipse ad limina omnium, commendareque voluit, alacritatem summam testatus. Euenit tamen ex eo labore, vt dolorem renum concitauerit, excito inde calculo, quem post quartum, quintumve diem satis fœliciter emisit. *Quam-pri-*

Kk iij

1632. mùm conualuit, non destitit munia Senatoria repetere, reseruata quippe, quod & diximus, libera per triennium functione. Id voluerat autem, non sanè vanitatis, aut lucri gratiâ; sed vt non deesset occasio exercendæ beneficentiæ, ac potissimùm erga literatos, religiosos, aliósq; viros benè merentis; solitus eorum iura tueri, patrociniúmque suscipere. Recreauere porrò illum, qui libri fuère à Minutio ex Oriente missi, cum numismatibus variis, ac Basilidianis præsertim; itémque cum bulbosis plantis, aliisq; huiusmodi rebus. Inter cæteros, vt minimum mole, ita pretio maximum habuit quoddam volumen, (quod ita dici à voluendo reuerà potuit) repertum intra capsulam ad Mumie cuiusdam pedes. Id vniuersè conscriptum erat hieroglyphicis literis, constans ex germana papyro, ac faciliè sua vetustate superans bis millia annorum. Alia postea vice accipit magnam Græcorum codicum copiam (quantam scilicet capere poterant duæ capse peramplæ) at felicitas par non fuit, seu quod ad integritatem, seu quod ad subiectam materiam attinuit. Nam præter Biblia Arabica, Arabicè, Persicè, Chaldaicè, cum Rabbi Salomonis commentariis scripta, & alia item Arabica cum initiis capitalorum Samaritanis; cæteri omnes valdè vulgares, aut mutilati admodùm fuère.
1633. Verùm id quidem sequente anno, quo aliunde plurimus fuit in mensurandis, comparandisq; vasis antiquis compluribus, quæ, vt iam dictum, habebat domi. Scilicet præter notitiam omnium omnis generis mensurarum, quam ducebat suauissimam, spe-

rabat quoque se posse tandem ex collatis quamplurimis conciliare pugnantia multa auctorum de mensuris loca ; vt dum Columella facit cochlear quartam partem cyathi, & Fannius vigesimam quartam: cum idem Fannius, & Plinius volunt cyathum decem drachmas pendere: Marcellus & alij, duodecim; atque id genus alia, quæ in animo habuit non nudis solum coniecturis, sed ipsismet quoque mensuris, & ponderibus explanare. Heinc operam dedit, vt etiam quæcunque vbiuis gentium exstare nouit, antiqua vasa mensurarentur. Habendam autem censuit pretiosorum rationem magnam, quod veteres in iis præsertim soliti fuissent affectare certa genera mensurarum, tum vt ea ratione commendatiora facerent, tum vt destinata sacrificiis, vel asseruata in templis (erant scilicet plerumque donaria) diuturniores moduli mensurarum efficerentur. Voluit proinde, vt Guilleminus per complureis mensuris moraretur Parisiis, ad emetiendum pretiosa vasa, quæ ad S. Dionysium, & in cimeliarchiis præcipuis Ciuitatis asseruarentur. Expertus verò est præcipuè humanitatem Roissij, dum non modò capacitatem, ectypòsque vasorum obtinuit; sed ipsissimum etiam vnum vas acceptum ferre coactus est; vnde à Peireskio literæ conscriptæ, plenissimæ simul gratitudinis, & inexhaustæ eruditionis, qua elegantissimæ cælaturæ, adhibitique ornatus rationem fusè edisseruit. Sic quia Iacobus Gaffarellus vir & Hebræis literis, & aliis dotibus clarus, versabatur Venetiis, mensurari per eum curauit quæ pretiosa vasa aduecta ex Cypro,

& Constantinopoli, in S. Marci Thesauro habentur; idque cum illustris dynastes Eques Valletanus intercessisset, qui decretum à Senatu, exorante Peireskio, ut id liceret, impetrauit. Sic per Naudæum quoque egit de Rauennatibus impetrandis; perque Suaresium, de magno illo, qui apud Genuenseis, catio Smaragdino, Scela ipsis nominato; & per Menetrium, de pluribus, quæ nôrat Romæ asseruari. Quo loco taceri non debet accepisse illum dono Tryblium minus, siue cochlearium ex crystallo, à generosa, & supra sexum erudita fœmina Fœlice Zaccchia Rondenina, adiectis ad alias mariti Alexandri Rondenini literis, quibus laudatissima heroina pereleganter testata est quanti faceret Peireskij virtutem. Est autem mirabile visum, quòd sub idem tempus Carolus Tabaretius Cadafalcus Diniensis profenescallus miserit ad ipsum, cochlearium, siue Tryblium maius, vnà cum trecentis numismatibus Gallieni sæculo cufis, quibuscum id fuerat repertum. Alia ut attingam, ver erat, cum Petro Seguierio per-illustri Præside in Sigilli Regij custodiam assumpto, Peireskio tum est gratulatus, tum literas ab eo accepit, quibus vir magnus testatus est nullas posse sibi gratiores, quàm à Peireskio obtingere, tum ut affine, tum ut viro, cuius summa virtus, rerumque peritia commendatissima foret. Eodem tempore Frater Valauesius delectus à Rege Massiliensium Viguerius, in eam ciuitatem concessit: quotannis nempe is magistratus in init munus kalendis Maij, perseveratque toto anno Municipalis curiæ princeps. Aderam ipsi interea,

interea, dum accersitum quoque voluit Athanasium Kircherum Germanum, virum è Societate I E S V eruditionis oppidò magnæ, Auenione tum commorantem. Is perhibebatur eximiè callere Hieroglyphicorum mysteria: quamobrem ipsi adiutandum varios libros transmiserat, tum Iliacæ mensæ superius descriptæ exemplum. Et quoniam eidem præmanibus erat insignis codex M S. hoc est auctor Arabicus, Rabbi Barachias Nephi, à quo dicebatur tradi ratio Hieroglyphicorum interpretandorum: idcirco illum exorauit, vt ad se accedens tum codicem ipsum, tum specimen quoddam interpretationis, notarumque suarum adferret. Cùm fecisset, dici non potest, quam ardentè illum animauerit, vt cœptum opus perficeret, editionemque maturaret. Fuit deinceps vir Romam euocatus, vt succederet in locum insignis Mathematici Christophori Scheineri, quem Imperator penes se habere exoptauerat: fatigat autem Peireskius non modò apud Mutium Vitellescum Societatis I E S V Generalem, sed etiam apud Cardinalem Barberinum, vt & stimulos adderent, & satis otij facerent, quò id opus breui prodiret. Accersit quoque eodem tempore Salomonem Azubium Carpentoractensem Rabbinum, nihilo sanè doctrinæ specie antiquis illis inferiorem. Is, quas habebat, detulit Astronomicas Tabulas, à quodam Iudæo ante annos trecentos Tarascone conditas, & ad longitudinem, latitudinemque eius loci accommodatas. Quia verò nôrat quos labores nominatus antè Schickardus in restituenda Astro-

1633.

nomia, Geographiâque exantabat; ideò procuravit, ut Azubius exemplum earum Tabularum Hebraicè describeret, quod ad Schickardum mitteretur. Misit autem postea, simulque adiunxit interpretationem Azubij, nonnullaque Arabica, quibus ipsum iri delectatum, ex peregrina opera circa Historiam Tarichi de Persidis Regibus nauata, perspectum habebat. Quin etiam, quia eius responsum ad Epistolas de Mercurio, prodebat illum neque vidisse opus perantiquum Aristarchi Samij, de Solis, ac Lunæ magnitudine, neque certum esse, an liber vsquam gentium reperiretur: ideò, cum ipse meminisset, librum Græcè adhuc exstare in Bibliotheca Regia, interpretationemque eiusdem Latinam, vnà cum commentariis per Federicum Commandinum in Italia editam fuisse: ideò, inquam, & procurauit habere exemplum è codice Græco, & nullum non lapidem mouit, donec per Naudæum exemplum Latinum detexit, ac obtinuit; & vtrumque, vnà cum variis circa cœlestia obseruatis congestis in fasciculum; quem tandem nihil tale expectans, & ne cogitans quidem, Schickardus accepit. Pari ratione sese gessit circa memoratum Hortensium, à quo cum nosset expecti exemplum Dialogorum Galileanorum, ut ea quæ ille de stellarum exilitate conscripserat, conferre posset cum iis, quæ ipse de simili argumento propter obseruatam Mercurij exilitatem disseruerat: illicò exemplum conquisitum misit, vtróque ad virum nihil tale suspicantem destinauit. Pari erga nescio quem alium, à quo cum accepisset Alcorani exemplum totis votis

desiderari; impetrauit statim Gratianopoli, interce- 1633.
dente Dauide Lagneo, viro bono, ac erudito, &
studiosorum planè studioso, quod ad virum, à quo
nihil fuerat tale rogatus, mitteret. Pari etiam erga
Claudium Gasparem Bachetum Meziriacum, qui
post Diophantum editum, aliáque opera eximia, Gal-
licam operum Plutarchi interpretationem instaura-
re, castigationémque notis illustrare magno animo
moliebatur. Cùm is enim significasset vitam Ho-
meri per Plutarchum nunquam sibi Græcè conspe-
ctam, idque ad Peireskij aures petuenisset, dedit il-
licò operam, vt ea vita exscriberetur è codice Græ-
co, quem se vidisse meminerat in Bibliotheca Regia,
& cum se penè iam peracta illam editam accepisset
ab Henrico Stephano, ac præmissam volumini Poë-
tarum Heroïcorum, coëmptú statim misit volumen,
cuius ac simul desiderati Scaligerani Eusebij, & re-
cuperatæ nuper ex oriente Homericæ Iliados, cum
notis quibusdam Porphyrij, aliarúmque rerum non
expectatarum Bacchetum participem fecit. Sed post-
sent adferri sexcenta similia. Addo quòd exscribi
curauit ex Bibliotheca Augustana, opera quædam B.
Cyrilli, docto viro Ioanni Auberto, ad comple-
dum editionem sacri auctoris, necessaria: ob quam
etiam causam, euolui curauit Bibliothecas varias
tam Hispanas, quàm Siculas; ac præ omnibus Vati-
canam, è qua nonnulla adeptus est, quæ vt Holste-
nius percenseret, corrigerétque lubentiùs, procura-
uit vt Aubertus Parisiis vicissim censeret, & corrige-
ret aliquot Græcos Astronomos, quos expectitos Hol-

1633. stenio ipse Peireskius ex Bibliotheca optimi Archiepiscopi Tolosani curârat exscribi. Adde quoque, cum iam Duchesnius adinoueret seriò manum edendis Auctoribus, qui de Francorum Historia, & rebus Francicis scripserunt, obtinuisse illi Peireskium, præter non paucos sanè alios, tum Petrum, dictum Bibliothecarium, quem Naudæi sagacitate, diligentia, fœlicitate est adsequutus; tum Chronologica fragmenta Abbatix Sublacensis, quæ vt adipisceretur, Cardinalis Barberini auctoritatem, & Buccardi manum implorauit. Adde complureis etiam alios, eiusdem implorantis gratiâ, imperasse multos codices exscribi. In iis fuit Henricus Memmius, ille adeò illustris Præses, qui animi nobilitate genus superans, gentilitiam de literis, literatisque benè merendi sollicitudinem mirè fouet. Fuit etiam Comes Marchæuilla, à quo accepit Librum de variis Muhammedanorum Sectis, & ad quem præscripsit cuius notæ esse deberent cælaturæ, camei, numismata, & id genus cætera, ex oriente expertita. Fuit memorata Fœlix Zacchia, à qua monumenta aliquot Genuensium familiarum obtinuit. Fuit, ea occasione, Julius Pallauicinus, ipse Genuensis, à quo volumen integrum de eisdem familiis habuit; præter quæsitâ alia ex Petro Maria Boëro, quicum illi fuit perpetuum commercium; fuère alij, ex quibus quæsiit antiquitates Hadriæ, Pisæ, aliarum insigniorum Urbium; sed memorare omnes molestum. Non est verò heic prætereundum, quòd cum iam antè agitaſſet curam inducendæ, propagandæque per Europam

Copticæ linguæ, ac iam Salmasius, Petrusque ex 1633.
paucis libris communicatis in ea plurimum profecif-
ferent; adiecit volumina plura, ac mirè satègit, vt Pe-
trus Valleus commodaret Vocabularium, quod ex
oriēte aduexerat, vt illius interpretationem, editio-
nèmq; per Salmasium ad id paratum procuraret.
Cùm non obtinuisset, adhortatus est, vt saltem Kir-
chero illius copiam faceret, qui & Romæ præfens,
& linguæ iam gnarus, incumbere in eam rem posset.
Cæterum magnam concepit spem tum Copticorum,
tum aliorum præclarorum voluminum ex oriēte
obtinendorum, cùm accepit exemplum prodeuntis
tum primùm in lucem Epistolæ B. Clementis ad Co-
rinthios scriptæ, & nuper ex Ægypto, Constanti-
nopolisq; in Angliam allatæ; cùmque sub ipsum
met tempus vir omninò bonus Ægidius Lochiensis,
è Capucinorum familia, ex Ægypto rediit, vbi toto
septennio linguis Orientalibus operam nauarat. Is
nempe magna exultatione exceptus à Peireskio, à
quo non parùm subsidij in ea regione acceperat, in-
dicauit codices raros in Cœnobiis variis exstanteis.
Memorable autem est, visam ipsi Bibliothecam
oëties mille voluminum, quorum pars non exigua
præ se ferret æui Antoniani notas. Quandoquidem
verò inter cætera animaduertisse se dixit Mazhapha
Einok, seu prophetiam Enoch, declarantem ea, quæ
ad finem vsque sæculi euentura sunt, Librum Euro-
pæ pridem inuisum, illeic autem caractere, ac idio-
mate Æthiopico, seu Abyssinorum, apud quos is
fuerat seruatus, conscriptum: ideo Peireskius sic fuit

1633. accensus eius, quoquo pretio, comparandi studio, ut nullis parcens sumptibus, ipsum denique sui fecerit iuris. Cum portò idem optimus vir mentionem obiter fecisset insignis incendij, quod in Semo Æthiopum monte eodem tempore contigit, quo Vesuvianum in Italia; idcirco varia edisseruit de canalibus subterraneis, quibus communicare possint non modò aquæ, sed etiam ignes, atque adeò Vesueus cum Æthna, hic cum Syria, hæc cum Arabia fœlice, ista cum regione Erythræo vicina, in qua Semus mons: idque seu series quædam rupium incuruatarum canales faciant, seu ipsi ignes in rimas subeuntes vias sibi aperiant, & canaleis creent, bituminosâque suffumigatione incrustationem obtendant, quæ aquam marinam superpositam arceat. Igneis autem subterraneos aperite sibi vias, indicio esse montem Putcolanum tempore Pauli tertij, aliòsque aliis temporibus eruptione ignium creatos. Incrustationem verò illam interdum abrumpi, ita ut aqua subeat, indicio esse, quòd tempore Vesuviani incendij littus Neapolitanum aliquantisper resiccatum fuit, reuolvente interim monte absorptas hiatibus aquas, verùm admista materia combustibili, ignescenteis. Sic postmodùm etiam est interpretatus Torrentem illum igneum, qui ex monte Æthna defluxit anno integro, decurrens summo cum ardore vltra duo, triaue milliaria, latitudine passuum quingentorum, misto fluore ex sulphure, sale, plumbo, ferro, terra. Desinente anno suavissimum habuit detinere domi per aliquot dies celebrem Poë-

tam Santamantium, cum Duce Crequio Roma redeuntem. Cùm fuerit verò mirificè illius lepore, ac venustissimorum poëmatum recitatione delectatus; lætitiã tamen præcipuè duxit ex recitatis præclaris rebus, quas partim ipse, partim frater in suis in Indiam, aliàsque regiones peregrinationibus obseruassent. Retulit, inter cætera, fuisse sibi visa in Iaua maiora animalia quædam, quæ forent naturæ, homines inter, & Simias mediæ. Id cùm plerisque non videretur, protulit Peireskius quæ ex Africa potissimum acceperat. Significârat nempe Natalis, medicus antè memoratus, esse in Guinea Simias, barbâ procerâ, canâque, & pexâ propemodùm venerabilis; incedere ipsos lentè, ac videri sibi præ cæteris sapere: qui maximi sunt, & Barris dicuntur, polle-
re maximè iudicio; semel duntaxat quidpiam docendos; veste indutos, illièò bipedes incedere; scitè ludere fistulâ, citharâ, aliisque id genus (nam quòd euerant domum, conuertant veru, pinant in mortario; aliâque ratione famulatum præstent, haud reputari admodùm) fœminas denique in iis pati menstrua, & mares mulierum esse appetentissimos. Arcosius verò (qui hisce annis nuncupavit ipsi libros varios; vt Memoriale principum, Commentarios politicos, Relationem de Africa) literis quibusdam exposuerat quidnam Ferrariensi cuiquam contigisset, cùm in regione Marmaricæ, Angela dicta, versaretur. Incidit nempe quadam die in Nigritam canibus venantem homines, vt visum, siluestreis. Capto, cæcòque illorum vno, inhumanitatem Nigritæ incre-

1633.

1633. puit, qui in suum genus ita sæuiret. Ille verò, falleris, inquit, nam hic non est homo, sed bellua homini persimilis. Quippe solâ pascitur herbâ, intestinaque ouina habet, quod vt credas meliùs, rem ecce; simùlque abdomen aperuit. Sequenti die rursùs venatum, captique mas, & fœmina. Huic mammæ ad pedis longitudinem: cæterà mulieri simillima fuit; nisi quòd intestina quoque herbis oppleta, & cuiusmodi ouis, habuit. Totum vtrique pilosum corpus; sed pilo breui, ac satis leni. Ista de Africa insinuant, vt attexam commercium, quod incunte
1634. proximo anno Peireskius instituit huiuscemodi occasione. Vermellius quidem Monspelienfis, initio gemmarius, sese militiæ dederat, opibusque dilapidatis, ad priorem artem reuersus erat; cùm monilibus variis corrogatis, discessit naui Massiliensi in Ægyptum, & occasione proxima in interiorem vsque Æthiopiam. Cùm gemmas, totamque pretiosam supellectilem eò transtulisset, etiam Reginz Abyssinorum, cui ornamenta Europæa placuerunt, innotuit; & iam in aula celebris, ipsi quoque Regi ignotus non fuit. Contigit intereà, vt Rex arma moueret aduersus quendam Imperij hostem, apparantem exercitum militum quinquaginta millium. Vermellius autem, inita quadam cum Rege familiaritate, poposcit ab eo licentiam erudiendi solùm breui tempore militum octo millia, pollicitusque est se parua eâ manu illas inimici copias euersurum. Rex, animosum, industriùmque ratus, illi annuit; ipse verò & delegit, & ita exercuit milites concessos, methodo

methodo Hollandica iis regionibus incomperta, ut tandem vireis illas ingenteis fœlicissimè fregerit. Reuerfus victor, Præfectus fuit totius Regni militiæ, ac tum ad amicos Massiliotas scripsit, ut curarent ad se transmitti libros aliquot, ac militareis præsertim, quasdãque etiam imagines, tabulãque pictas, & alia id genus. Id igitur ubi rescivit Peireskius, certusque fuit amicos illos nihil simile curaturos, apparauit vtrò, misitque ad virum, tum liquores odoratos, & exquisitissimã elaboratione eductos ex gelsemino, rosis, arantiis, gariophilatis, munera Regi-næ pergrata futura: tum imagines, tabulãque, & icones varias Regum, Reginarum, virorumque, & fœminarum illustrium; ac magnam librorum congeriem, sed Mathematicorum præsertim ex architectonica militari, ex vulgari architectura, ex perspectiua, & cæteris. Nempe indignum esse duxit talẽ fortunam deserere, ac virum tam procùl conspicuum pro viribus non adiutare. Cùm confidisset autem illum gratissimè id accepturum, licere opinatus est petere ab eo libros aliquot Æthiopicos, inscriptione obuias, descriptionem Amaræ montis, itẽque rituum Religionis, vasorum, & similibum, quæ Europæis sciret ignota. Atque hoc quidem moliebatur, cùm interim distraheretur mira sollicitudine, quòd aliud quidem Senatui, aliud Marscallo Vitrio Proregi placeret. Inter hæc etiam excipiendus fuit, assiduitatẽque, & officii demerendus Franciscus Comes Noallius, qui Regius Orator cùm pergeret Romam, aliquot diebus tum Massiliæ, tum Aquis-Sex-

1634.

tiis substitit. Ut taceam, quòd illo secum deducen-
 te Iuuenem supra ætatem medicæ doctrinæ, pra-
 xeosque peritum, Petrum Michonum Burdelotium,
 voluerit Peireskius plusquàm obiter eius consuetu-
 dine frui, tum ob doteis proprias, tum ob interce-
 dentem cum erudito illius auunculo Ioanne Burde-
 lotio amicitiam. Exceptit quoque non multò post
 Pontificis Nuntium Georgium Bolognetum, cum
 in Galliam adueniens Aquis-Sextiis faceret iter. Me-
 morabile autem est, quòd, cum is fortè Peireskium
 occupatum reperisset circa nescio cuius oculi anatomi-
 am, interesse ipse voluerit, curiosèque cognosce-
 re singulareis speculationes. Scilicet ille tenebatur
 infatiata auiditate noscendi visus organum, germa-
 numque locum, in quo visio ex impressione, refle-
 xionèque imaginis peragitur : vnde ex auium, pi-
 scium, quadrupedumque generibus vix obtineri vl-
 lum potuit, cuius oculi dissecti non fuerint, vt in
 quo vel congruerent, vel dissiderent, adnotaretur.
 Non tacendum verò, quòd, vt mihi, quem ea in re
 adiutorem voluerat, vberius gratificaretur, omnia
 copiosè perscripserit ad Franciscum Luillerium Re-
 giarum rationum Parisiis Magistrum, quem amicum
 mihi singularem nòrat, cuiusque eruditionem, can-
 dorem, affectumque in bonas artes, & in æquita-
 tem, omnemque virtutem, si hoc loco attingerem,
 non alio sanè facerem sine, quàm ad insinuandum
 eius amicitiam Peireskio quoque carissimam non
 immeritò existisse. Quia res porrò valdè percre-
 buit, neque de ea tamen planè constitit ; ideo vide-

rur operæpretium quid id fuerit commemorare. Inter antiquiorem sententiam, quæ statuebat visionem fieri in humore crystallino, & recentiorem, quæ in tunica retina, Peireskius mediam elegerat, in humore vitreo fieri opinatus. Quippe cum dignum existimaret facultatem visus suo munere fungi circiter medium oculi, ac in eo loco, vnde rei imaginem in suo situ spectare posset; idcirco hunc locum designauerat intra humorem vitreum, qua parte radij ipsarum rerum traiecti per crystallinum, & reflexi ex retina, in vnum quasi centrum coirent. Ratus enim crystallinum sua conuexitate inuertere imaginem, suspicatus fuerat retinam sua concauitate eandem restituere: quare & debere facultatem in eius concauitate centro residere, vnde imaginem è retina reflexam, restitutamque, atque adeo rem in suo situ naturali contemplaretur. Id animo cum infixisset, superesse solum censebat, vt veritatem eiusmodi restitutionis exploraret. Cum primum ergo concessum est per ferias Paschaleis nonnihil interquiescere, exercere cepit anatomicos in generibus animalium variis. Vniuersè autem apparuit, posticam illam, interiorèmq; circumductionem oculi speculam esse concavam, propter inuersam tam candelæ, quàm aliorum quorumlibet obiectorum reflexionem. Id scilicet, ita exemptis anterioribus tunicis, omnibusque humoribus, vt tota illa capacitas in suo situ perseveraret. Tunica enim choroidi diuersimodè coloratæ politura inest veluti metallica, quæ splendescat facillimè, adiutante humore atro, quo

1634. à tergò imbuitur , & conferente nigrítie , qua interior circumductus , antrorsùm quasi illinitur , vt lux , aut imago impacta in id speculum , fortiùs , distinctiùsque in illo pingatur . Cùm choroidem verò dico , non excludo Retinam , quæ difficillimè quidem , & in paucis oculis sic illi adiuncta conseruari potest , vt cum humore vitreo exeunte non loco excedat , colligaturque , & appareat , quod reuerà est , nerui optici dilatata productio : at vbi tamen choroidi adiuncta tenetur , adeo tenuis , terfa , pellucida est , ac potissimùm quidem humectata , vt vna , eadèmqve videatur esse superficies , vnum , idèmqve speculum , in quo imagines rerum imprimantur . Tametsi verò opticus , seu retinæ medium , non respondet è diametro apertæ exterius pupillæ (paulò enim inferius est) respondet tamen medium postici illius colorati , & metallici splendoris , qui circulo quodam tanquam horizonte dirimitur ab anteriore obscuritate . Cæterùm Peireskius mirè exsultauit , cùm post humores omnes eductos , appensòque deinde crystallino , & in locum penè suum restituto , imago candelæ obseruata est pingi interiùs in retina , non inuerso , sed recto situ ; ac rursùs , cùm fundo ita illustrato , vt crystallinus ex eo solo posset lucem accipere , inuersa per retinam imago , deprehensa est in crystallino ipsam excipiente erecta . Planum quippe duxit coniecturam suam vndequaue successisse ; vnde vt illam magis firmaret , conquisiuit vitra , & specula varia tam conuexa , quàm concaua , tam reflectentia , quàm transmittentia ; etiàmque varias

phialas , in quibus variè comparatis , mirum dictu 1634²
est, quàm multa, quàmque repetita perfecit expe-
rimenta. Non facilè porrò dimoueri potuit à me-
morata sententia ; meminique solùm , cùm obiice-
retur facultatem visus intra oculum confidentem
non respecturam foràs versus ipsas res , sed intrò
versus speculum , atque adeò dici non posse verè
conspicere res ipsas , præter nonnulla alia , quæ vi-
sionem in retina probabiliorem facerent ; memini,
inquam , eò adductum, vt existimaret posse faculta-
tem, suam functionem exserere non in retina, non
in crystallino , non in vitreo solo : sed in tota illa
humorum, tunicarúmque capacitate. Sic immutauit
etiam nonnihil opinionem de myopum, senúmque
perspicillis præconceptam. Cùm obseruasset enim
imaginem specillo concauo traiectam ampliari, con-
uexo verò contrahi ; existimârat myopes ideo spe-
cillis concauis vti, quòd ampliatione indigeant ; se-
nes conuexis , quod contractione. Postquàm verò
monitus fuit oculum in loco papyri collocatum,
contractum videre obiectum ex concauis , amplifi-
catum ex conuexis (nempe quòd ea speciem ita dis-
trahant , vt pauca partium obiecti partes incurrant
in oculum, vnde id contractum appareat ; ista verò
sic contrahant, vt eiusdem partis plures partes incant,
vnde dilatatum videatur) tum opinionem sic tempe-
rauit , vt opus esse censuerit ampliatione contractio-
ni mista. Ne memorem quòd myopibus humore
vitreo abundantibus vitra concaua ideò profint , vt
radiatorum decussatio vltra crystallinum facienda pro-

1634. moueatur versus retinam : senibus eodem humore nonnihil consumpto , conuexa ideò conferant , vt eadem decussatio ab eadem retina non-nihil abducatur , quasi visio sit elicienda in moderata ab ipso puncto decussationis distantia , eadem ratione qua in Telescopio debet oculus ab illo non-nihil abesse ; quod à Scheinero ostensum est. Sed quæcunque tandem fuerit veritas, aut incertitudo sententiæ, præstat heic referre nonnulla , quæ nescio an prorsus , an satis obseruata priùs fuerint. Constitit nempe crystallinum non in omnibus animalium generibus agglutinari , cohæreréque cum ciliari circuitu : sed in variis piscibus vitreo veluti innatare ; ac in Thynnis specialiter sustentari solùm duabus anfulis , quarum altera ab optico vsque neruo producat. Constitit rursus crystallinum figuræ esse in variis animalibus variæ. Nam tametsi in pluribus quasi lenticularis sit, in piscibus tamen magis accedit ad globosam figuram, in volucris vero minùs. Quin etiam in Thynno planè sphericus est posteriore parte ; antrorsum autem planus esset , nisi , relicto circum margine , attolleretur in medio portio quædam globi longè amplioris , quàm posterior ; diametris nimirum existentibus in sesquialtera proportione. Cùm idem verò margo visatur in oculis quarundam auium , ac potissimum Aquilæ ; in quadrupedibus tamen , ac in homine nullus est ; sed cùm pars posterior sit portio minoris globi , quàm anterior , segmenta cohærent eodem ambitu , diametris globorum excedentibus , proportionis , in oue quidem , quasi sesqui-

sextæ, in boue quasi sesqui quartæ, & in aliis alte- 1634.
 rius. An verò illæ portiones non globorum sint, sed
 parabolæ, figurarúmve aliarum, difficile sanè iu-
 dicatu est; ac præsertim quia mortuo animali hu-
 mor flaccescit, collabitúrque, &, seu digitis tractetur,
 seu suspensus teneatur, seu supra papyrum resi-
 deat, vix potest non deflectere à natia sua figu-
 ra. Constitit præterea in genere piscium humorem
 aqueum vel nullum esse, vel certè perexiguum (in
 Thynno certè, ac Pelamide, Mustella, & quibus-
 dam aliis nullus vnquam inuentus est) vitreum verò
 copiosum esse. In genere autem tam auium, quàm
 quadrupedum, nocturna illa animalia veluti Bubo-
 nes, ac Felcis plurimùm aqueo abundare, paucissi-
 mùm vitreo. Constitit quoque non pro ratione ma-
 gnitudo animalis, magnitudinem esse oculi. Nam
 cum aues pro corporum, capitúmque mole maxi-
 mum possideant, vti Aquila, quantum penè ouis; in
 piscibus tamen Delphin, qui mille libras pependit,
 longè minorem oculum habuit, quàm Thynnus, qui
 trecentas solùm; & species Phocæ, quæ visa est esse
 prima Rondeletij, cum pependisset librarum circi-
 ter octo millia, non habuit tamen oculum memo-
 rato Thynno maiorem. Vt missum faciam, quòd
 cum Peireskius nullo non studio procurasset obti-
 nere oculum Balæne, ex iis, quæ immanes capiun-
 tur in mari Aquitanico, retulit interea religiosus vir
 Iosephus Antonius Dominicanus Massiliensis, qui
 non ita pridem vnus capturæ interfuerat, oculos
 ipsius vix fuisse humanis maiores. Cum id verò de-

1634. miraremur, mirabilius aliud subiunxit, scilicet, illud animal, cum os habeat adeò vastum, ut exempta lingua (ex qua sunt libræ olei mille, & sexcentæ expressæ) potuisset eques, haud palatum vertice feriens, ingredi, (nimirum quasi navis illa in os Balænæ Lucianicæ) gutturis tamen fuisse adeò angustum, ut vix potuisset capere simul duos ex illis pisciculis digito auriculari non maioribus, quos Mellitas vocant, quorumque magna copia deprehensa in ore est. Nimirum fortasse heic hæreo; sed cum nonnulla sint relata ex iis, quæ Peireskii in alienis observavit oculis, æquum est sanè subiici quæ in propriis observavit. Animadvertit siquidem oculos suos sic excipere imagines rerum, ut asseruarent illas diutius, & maxime quidem cum à sonno humescerent. Sic expertus est millies, cum respexisset in fenestram clathris lignis, quadratulisque papyraceis interstitam, circumferre sese deinceps illius formam in oculis; sed cum eo discrimine, ut si clausos quidem contineret, tum clathros obscuros, & quadratula candida, cuiusmodi conspecta fuerant, videre adhuc videretur: si autem apertos in parietem non valde clarum converteret, tum obscura quadratula; clathros verò eius candoris, cuius paries, contueretur. Idem apparebat discrimen, si in vestis nigras, sed aliqua tamen luce illustratas, direxisset oculos; videlicet quadratula nigrore vestium erant nigriora. Idem, si in apertum librum; characteres enim clarè discernebat, quæ observabatur clathrorum, non quæ arearum quadratarum species. Ex quo argumentatus

tus

tus est mirum non esse, si splendor lucis, & candor
niuis hebetent visum, excæcaréque etiam valeant, 1534.
vt historiis proditum est; cùm illa non admodùm
viuax papyri albedo organum ita vitiet, vt facultati
quasi velum non statim arcendum obducat. Existi-
mârat autem, vt lux Solis vnà cum ardore, Bononiensi
lapidi imprimitur, ita lucem, candorémve humori
vitreo imprimi, & propter corpulentiam vmbra
sui quandam creare: sed opinatus est postea appa-
rentem exteriùs vmbra non à crassitudine lucis,
candorisve productam, sed affictam ex vitio, quod
contrahi possit, non in vitreo solùm, sed etiam in
aqueo, & in crySTALLINO præsertim. Ad hæc, rei ob-
iectæ species in oculis eius sic geminabantur, vt præ-
ter primariam, clarâmq; aliam secundariam, at-
que obscuriorem insinuantem se ad latus prioris vi-
deret. Sic libro aperto, aut in pagina, dum aliquid
scriberet, ita disertè intuebatur, & marginem album,
& linearum initia, vt digito tamen citrà, seu in mar-
gine, obscuriora alia initia contueri sibi videretur.
Quin aliquando etiam in montem Soli occiduo
obuersum spectans, tergeminam eius speciem vidit,
vt & multiplicem in filo; quod primam ipsi ansam
fecit attendendi ad cætera. Cùm nosset porrò me
pridem esse in ea sententia, vt oculorum amborum
axes nunquam coëant, sicque angulum in re visa
(vti recepta apud omnes fert opinio) non faciant,
sed perpetuò parallelismo incedant, vnusque solùm
oculus, altero otiante, dirigatur in rem visam (is
scilicet natura duce, qui à natura obtigerit melior,

1634.

cùm vt manuum , sic oculorum alter semper valentior sit) adeò proinde , vt visione , quam distinctam vocant , solus videat , licèt alius possit eâ videre , quam confusam : cùm id , inquam , nosset , mirè exultauit , quasi factò aduersus illum parallelismum experimento. Quippè oculos aliunde immotos alternatim claudens , & aperiens , animaduertit speciem dextram in sinistrum , & sinistram in dextrum ferri , sicque decussationem fieri parallelismo repugnantem. Et monuì quidem ipse , vt attenderet dextram , seu distinctam speciem pertinere ad sinistrum ; qui fuit illi potior ; sinistram , seu confusam ad dextrum , qui imbecillior ; dirigi verò vnicum axem , nempe ex oculo sinistro ; speciem autem in dextrum non directè , sed obliquè incidere , sicque decussationem creare : quo modo res omnes geminæ videntur , cùm detorquemus oculos , existente nempe visione vtriusque oculi confusa , propter obliquum solùm allapsum : verùm non planè conqueuit , imò etiam est opinatus posse inter obseruandum cœlestia discrimen contingere , si vnus pinna- cidia dextro oculo dirigat , & alius sinistro : nec sibi factum putauit satis , donec Schickardus ea de re litteris suis securum fecit. Mittamus verò tandem ista , & attingamus alia , quæ per idem tempus multa obseruauit. Eiusmodi fuère imprimis venæ in me- zenterio Lactæ , quarum iam antè meminimus , quasque rursùs , in quotquot licuit animalibus , requisit. Quoniam autem illas discerni nisi in animali viuo , aut palpitante adhuc non posse , tum ex

Asellio inuentore, tum ex factis compluribus dissectionibus nouerat, resque propterea in homine, quem viuum disseccare nefas, inobseruabilis videbatur; non ideo tamen desperauit, quin, si paucis horis à suffocatione, interanea disquirerentur, vestigia huiuscemodi venarum sese proderent. Quamobrem damnatum suspendio procurauit primùm, antequàm iudicium capitale pronunciaretur, securè, & egregiè pasci (vt nempe esset vnde chylus lactesceret, quo tempore requireretur) ac inde, non nisi horâ cum semisse post suspendium expectatâ, cadauer deuchi curauit in anatomicum theatrum. Præstitum est verò eâ diligentia, vt apertò abdomine venæ albescentes apparuerint, utque ex nonnullis resectis colligi potuerit liquor lacteus; quod profectò visum est mirum. Hæc præter, sollicitus fuit, vt obseruarentur variæ scaturigines ventorum. Nam primùm quidem opinatus fuit ventos ex Aristotele terrenos esse halitus, qui ex offensu aëris frigidioris repercussi, transversum prorumpant, & pro conditione vallis, aut alterius loci, vnde prodeunt, aut quem offendunt, in boream, aut meridiem, ortum, vel occasum ferantur: verùm tam multas expertus est in ea sententia difficultates, vt ad materiam halituum recurrendum censuerit, examinandumque, num, exempli gratiâ, vitriolum, halinitrum, bitumen, sulphur, & similia, dum exhalantur, condiciones, varietatèsq; ventorum subeant. Quamobrem obseruari voluit tam mirabileis quosdam ventos in suis originibus, quàm proprietates ipsas locorum, attendendo ad

1634. mineralia, fossiliáque omnia, & plantas congenas. Heinc destinavit Peirescum versus eruditum medicum nomine Malianum, qui in Coyero monte observaret antrum, è quo frigidus prodit ventus, tantò minùs sensibilis, quantò ad originem acceditur propiùs: cuiusmodi etiam observatus est in hiatu boreo Montis-ventosi. Ut observaret quoque existentem non procul lacum Legnium, è quo dum exoritur fumus, nubes haud-dubiè creanda est, quæ fit brevi in tempestatem sæuissimam exoneranda; quod memorant etiam de lacu Pilati in Delphinatu, & de alio in Pyrenæis. Ut denique ea occasione observaret fontem, qui ad Collem-martium statis interuallis effluit, ac subsistit; nimirum octies circiter intra spatium vnius horæ. Sic per Bulæum virum doctum, observari curavit ventum Ponthiam, siue Ponticum dictum, ad occasum Alpium Cottiarum, oppidumque dictum Nihontium. Is flat à borea secundum fluuium, & neque leucæ quadrantem secundum latitudinem excedit, neque secundum longitudinem, cursúmve, dimidiam, aut integram leucam: nisi quòd nonnumquam factus vehementior plureis superat, Rhodanumque etiam attingit. Quotidianus est; & dum flat, non intermittitur, aut fluctuat; sed vniufmodi est tenoris. Oritur hieme sub mediam noctem, & in nonam vsque decimamve matutinam constat; æstate, ab aurora in octauam; vere, & autumno, à quarta in meridiem. Est autem per hiemem præsertim violentus, maximéque resstante austro; interdumque frigidus adeò, vt, ipso

vigente, aqua in aëre congelat. Ventus alioquin 1634.
 saluberrimus; ut sunt etiam eiusdem loci fruges, fructus, nonnulli fontes. Sic per Autelmum Foroiuliensem, virum Sacerdotem, omninoque bonum, observari ventum, qui ad Malignonum montem nascitur, nec declivitatem illius excedit; itémque conflictum Vulturni, & Cori, qui ad promontorium Rufum occurrentes, sese ibi mutuò conficiunt. Mirabile id sanè; sed non minùs illud, quod Vulturnus illeic salubris, & fruges perficiens, infalubris est, frugesque adurit Aquis-Sextiis; & Corus ex opposito: ac rursus, quòd Cannis observatum est à memorato antè Meynerio, nullos planè ventos ex cardinalibus flare, sed lateraleis solummodò; cùm aliis locis secus contingat. Sed magnum nimis foret tædium, si talia plura congererentur: nisi taceri fortè non debet, quòd qui utrimque subeunt foramen Lanfonium, Pausilyppæo similem, ventum exeuntem utrimque sentiunt; argumento quod extrorsum efflet, non introrsum insiliat. Rursus, non minùs curiosus fuit, ut attenderetur ad motum maris Mediterranei, quem cùm ad nostras Europæ oras versus occasum esse constet, exploratum voluit, num ad oras oppositæ nobis Africæ versus ortum foret: idque observando præsertim regionem, qua in fluminum ostiis arena aggeritur; cùm soleat in eam egeri, in quam maris aqua fluuiatilem trudit. Exemplo ipsi erant arenæ, quas vberes Rhodanus vehit. Mare quippè illas propellit in oram Occitanicam, quæ propterea facta importuosa est; nam vel à solo tempore D. Lu-

1634. douici, mare recessit ab oppido Aquis-mortuis, integrá leucâ. Et quamuis arenæ Argentei fluuij in orientis oram propulsæ videantur, ac Foroiuliensem portum compleuisse; sentiebat tamen ideò factum, quòd sinus Grimaldicus, seu San-torpetianus consequenter situs, copiosiore aquam alliciat, & interpositum promontorium gyrationem efficiat; quæ Argentei aquam, limúmque in auersam seu orientalem plagam, compellat. Eadem occasione adnotatum voluit marinum æstum, quisquis is esset, & in mari Hadriatico, & in quibusdam Africæ oris. Cùm ex disquisitis autem variis Mediterranei motibus, circuitibusque, constitisset aquam perpetuò ex Ponto Euxino per Bosphorum Thracium, Propontidem, ac Hellepontum in Ægeum ita influere, vt non modò Smyrnæ, sed etiam in Creta, imò penè ad Africam illius motus posset agnosci: cùm item constitisset Oceanum Atlanticum per fretum Gaditanum continuò influere: quippe sextante solum spatij intercepti ad ipsa littora, reciprocatio fluctuum est: toto verò besse intermedio perpetuus est Oceani in mediterraneum influxus: cùm de his inquam constitisset, recurrendum esse necessariò censuit ad canaleis subterraneos, quibus mare Mediterraneum cum Oceano communicet, & ad libellam reducat. Nempe eadem ratione volunt Hyrcanum, siue Caspium mare vndique conclusum, nec tamen exundans tot exceptis fluminibus, communicare cum Euxino per meatum subterraneum, quo aquæ scaturiant ea parte, qua medius Euxinus dulcescit, cui-

que ex Aristotele, nomen est *Βαγία*, seu profunda 1634.
 Ponti. Contigit ad hæc per illam ætatem diuersimodè fulminare. Cùm mea autem foret opinio ignem fulmineum, quo terrena feriuntur, non emitti procùl ex alto, sed proximè ex nubis glomo eius materiam continente, transferentéque, erumpere; voluit ipse eam flammulam, tametsi rem fluxam, tantâ extrudi vehementiâ, vt ex regione aëris media, inextincta perueniat ad terram, vbi vim miram exferat. Adiecit, cùm ante triginta sex annos altare maius Capuccinorum Aquensium ic̄tu fulminis fuit disruptum, versatum se in vrbe fuisse, & pertranseuntem, casu quodam, plateam dictam Prædicatorum habuisse oculos in cælum, ac in eam regionem conuersos. Quod mirabile verò fuit, obseruasse se in aëre medio, manipulum quendam radiorum igneorum, vtrimque partim directorum, partim vndulantium; eo planè modo, quo antiqui pinxerunt fulmen in manu Iouis. Ac nihil attinet quidem memorare quid repositum fuerit; referendum potiùs, quòd cùm fulmen deiecisset crucem è fastigio turris campanilis D. Ioannis, ferrum infernè lapidi impressum deprehensum fuit habere circum rubiginem, seu crustam ferrugineam vi magnetica maxima pollentem. Ac mirati quidem non sumus de ferro, quod per aliquot sæcula expurgatum, contraxisse vim poterat; at recrementum ipsum ferri tantundem potuisse, fuit stupore dignum. Habuit interea ex Africa semina, plantásque, & animalia nonnulla. Ex his nullum maius, pulchriúsque Alzarone

1634. nuncupato, quod summo ore, caudaque taurum, cætera ceruum referebat. Cornua illi nigra, erectaque, & futura miræ, vt perhibebatur, altitudinis. Animal velocissimum, & quod non potuisset, nisi ab ipso vberè, capi. Illud verò diù non detinuit; sed postquam satis obseruauit, próque votis depictum habuit, ad Barberinum Cardinalem misit. Accepit autem non multò post similis animalis spoliū à Comite Marchæuillæo Constantinopoli redeunte, eaque occasione experiri voluit (& nescio tamen quid interturbârit) num pelli eius animalis idem contingeret, quod ceruinæ. Constat enim pellem cerui, si fuerit à coriariis in fundo cuppæ constituta, suppositaque tam bubularum, quàm aliarum ingenti acruo, non conquiescere, ex quo primùm infusa aqua fuerit, donec sese subduxerit, omnibusque euolutatis, se cumulo toto superiorem statuerit. Cum id miraremur, retulimus causam in ampliorem pilorum cerui, quàm cæterorum cavitatem (singulos enim pilos esse canaleis, siue tubos quosdam declarant microscopia) adeò vt, illi aère oppleti, & intra aquam constituti nixum faciant, instar scilicet vesicæ inflatæ. Credibile quoque id non parùm ad animalis celeritatem conferre, dum propter calorem ex motu, ea capacitas spiritu diffatur; vt probabile quoque est conferre in volucris eam pennæ partem, quæ caua, spiritu impletur, iuuatque, vt aues faciliùs sustententur in aère. Sed attigisse id sufficiat. An subiiciam verò quòd Peireskius voluit supra domus suæ fastigium locum idoneum construere, è quo abundè

abundè eminente quicquid foret cœlitus obseruabile notaretur ? Quàm multa certè obseruata ex eo fuerint, non est heic referendi locus : verùm reticeri non potest insignis lætitia , quam cepit , cùm inde attendit ad Martem occultantem stellam , quæ extrema est in Virginis ala. Permouerat scilicet illum quod narraueram obseruatum mihi superiore Decembri Iouem occultantem Geminorum Propoda ; adeò vt diebus aliquot manè, vesperæque telescopio inspectus , deprehensus fuisset transiuisse illi ad austrum, non amplius quàm minutis quatuor, die eius mensis decimanona, ac hora vndecima matutina. Et cùm die octaua Iunij sub vesperam admonuissem illum, fore vt Eclipsin non abfimilem per Martem conspiceri posset, tum maxima alacritate aduigilare constituit, neque discessit, nisi post elapsam mediam noctem, cum horæ esse ; quo tempore Mars fuit stellæ coniunctus, præteritque ad austrum non amplius, quam sesquiminuto. Sed & dici debet lætitia, qua apud se habuit Thomam Campanellam, philosophum celebrem, quo obseruanda tempore fuit, (nempe sub Nouëbris initium) Mercurij cum Sole coniunctio. Quippe is esse testis potuit inconspetum fuisse sub Sole planetam in coniunctione propè centrali ; argumento, quòd tum directus supra Solem exstiterit, quemadmodum retrogradus visus fuerat priùs sub Sole ; quòdque proinde motu suo ipsi Soli circumducatur, non verò feratur in Epicyclo nos inter, & Solem detento. Simili fanè obseruatione id euiceramus Parisiis, ante duos annos,

cum semisse, ut pote sub finem Aprilis. Cæterum qua humanitate Campanella exceptus fuerit, haud explicari facile potest. Recipiens enim sese in Galliam, non prius appulit Massiliam, curauitque aduentum suum renunciari Peireskio, quam missâ lecticâ accersitus est in ipsius ædeis, & curatus egregiè per aliquot dies, dimissusque Parisios partim lecticâ, partim curru, non modò ab illo habuit literas, quibus pecuniam Lugduni acciperet; sed accepit etiam discedens quinquaginta aureos, adeò ut tanta beneficentia obrutus, & quasi suffusus, testatus fuerit se prius quidem habuisse satis constantiæ, ut per tormenta sæuissima continere lacrymas posset; at non habuisse, quando est virum adeò muniticum expertus. Spectare hûc putes, quod postcâ inseruit in Tomum secundum suorum operum, ac sub Oeconomicorum finem. Nam, *haud negem*, inquit, *amicos splendidâ excipiendos esse mensâ, sed frugaliter, & cum opus habent: cumque amicum potius reputabis, qui tibi pecuniam suam, quam qui vitam suam offert: veluti mirificus Fabricius, Dominus de Peresc, Gallorum decus, & Philosophorum, & clarorum virorum Mæcenas, & perennis hospitalarius, exemplar est mundo.* Quibus nempe diebus ille est apud Peireskium commoratus, tum alios diuersanteis vidit, tum generalem apud Augustodunensis Proprætorem Montagutium, qui loca Prouinciæ sacra inuisens, inuisurus quoque cum fuit. Is porrò detulit ad ipsum cochlearia duo argentea antiqua, & nonnulla alia, quæ Augustoduni è ruinis vetustatis eruta videre Peireskio op tâtat. Emn-

fus cochlearia , ac illud præsertim , quod fuit magis 1634.
 integrum , dici non potest quàm exultârit , cum
 duas argenti vncias animaduertit pendere , vt pendit
 sextans pilæ antiquæ ; & continere præcisè drachmas
 olei duas , seu sextam partem cyathi , vt continet
 etiam memoratus sextans. Hinc ad Puteanos literas
 dedit & fusissimas , & plenissimas inexhaustæ erudi-
 tionis , occasione præsertim sumpta ex Mercurij ef-
 figie in altero cochleari expressa , cum didrachmalis
 illa mensura , appellata fuerit cheme , nomine de-
 sumpto ex conchylio , cuius cochlear retinet for-
 mam , quòdque Mercurio sacrum est ; adeò vt va-
 fritiei , seu duplicitatis Mercurio tributæ symbolum
 fieret tum drachmalis , vncialisque duplicitas ; tum
 genus conchylij bialuij , & alia id genus sexcenta.
 Acceperat non ita pridem à Montagutij affine Ve-
 noto Abacum antiquum , Augustoduni quoque ef-
 fossum , studiosèque etiam de eo scripserat ; propter
 discrimen aliquod notarum numeralium , cum iis ,
 quæ ascriptæ sunt in modulo abaci ex musæo Cia-
 coniano habiti , & in exemplo apud Gruterum de-
 lineato iuxta illum , quem Velferus ex Occone euul-
 gârat , ac descripserat. Quo loco adnotari potest
 non probasse illum quod Velferus existimauit (vt
 apud Gruterum licet legere) duos illos clauiculos
 sub semuncia , & sicilico , duas esse duellas ; voluit
 enim potius esse sextulas , quæ iunctæ duellam ef-
 ficiant , quarum vnâ additâ semunciæ efficiantur
 duellæ duæ ; vti ambabus additis efficiuntur sextu-
 læ quinque (nimirum semuncia æquiualeat tribus)

1634. adeò proinde, vt hac ratione supputari possint omnes vnciæ partes tam duellares, quàm sextulares; quod fieri non posset, si clauiculi duellas solùm designarent. Addo, si eisdem clauiculos pro sextulis habueris, etiam duodenas vnciæ parteis, præter unitatem, supputari posse. Nam sextula vna valet parteis duas; sicilicus treis; sextula vtraque simul iuncta quatuor; sicilicus cum vna sextula quinque; semuncia sex; sicilicus cum duabus sextulis septem; semuncia cum vna sextula octo; semuncia cum sicilico nouem; semuncia cum duabus sextulis decem; semuncia cum sicilico; & sextula vna vndecim. Non heic subiicio, vt interim egerit cum Ludouico Sauoto de vsu æris in numismatis, deque armis antiquis, quæ & fuerunt ænea, & in sepulcris solita condi; & cum Ludouico Auberio Menillio de cælaturis supposititiis, quas Chaducus à se confictas non crubescbat pro vetustis euulgare. Non rursus, vt curauerit exscribi MSS. omneis, & Græcos quidem potissimum, qui de Ponderibus & mensuris, ex Bibliotheca Vaticana, ex Regia, ex Augustana, & cæteris; præter collectanea Angeli Colotij, tribus voluminibus; & Onuphrij Pantuinij volumina duo; præterque insigne volumen circa theoriam Musices, quod misit primùm ad Donium, ac deinceps, addito volumine Arabico, cum elegantissimis figuris, ad Marinum Merfennum, ex Minimorum ordine, virum eximiè bonum, doctum, curiosum, & in illustranda naturæ Religionisque veritate indefessum. Non denique complura alia: sed subiicio potius

modestiam, qua exceperit nuncupationem Excerptorum Polybij, Nicolai Damasceni, & aliorum historicorum, factam à verè erudito, nobilisque notæ Henrico Valefio, qui ipsa Græcè edidit, Latinè vertit, notis illustravit. Is enim, inter alia, affatus ipsum his verbis est. *Quid-ni te parentem appellem, & auctorem huius libri, qui primùm à te repertus, aduectusque sumptibus tuis ex insula Cypro, & in hanc urbem est missus? Et statim, Nunc verò tandem operâ nostrâ prodit in lucem, non magis Constantini Augusti purpurâ, quàm nominis tui titulo conspicuus. Ac de Constantino quidem alij viderint: Tu quidem & antea sæpè de literis bene meritus es, & posthac etiam benè mereberis: feres tamen aequo animo id inter tua de studiis, ac studiofis omnibus merita proprium à me numerari. Et rursus, Quam quidem operam, qualiscumque est, tibi, Nicolae Fabrici, dono, ac nuncupo; ut iam hic liber præfixis tuis ex asse censeatur tuus.* Postea verò præfatus, ex tribus, atque quinquaginta Excerptorum titulis, vnicum superesse, de Legationibus inscriptum, inque libros diuisum duos, partim à Fulvio Ursino, partim à Dauide Hæschelio editum; meminit etiam huius, qui, inquit, *nunc primùm in lucem prodit, beneficio viri clarissimi, doctissimique, & ad iuandas literas vnicè nati, Nicolai Fabricij Peirescij, titulo *ἑὸς ἀπορίας, καὶ καρίας.** Peirescius autem planè suffusus, noluisse prorsus nomen suum cum Imperatoria illa committeri purpura: rescribènsque ad Valefium, satis futurum fuisse dixit, si, facta alij nuncupatione, memoratum fuisset duntaxat, visum sibi obiter librum, ac

1634. præ manibus habitum, in angulo quodam obscuro, cum ex Oriente aducheretur. Consimili moderatione sequente anno usus est, cum Philippus Rubens Romæ edidit, ipsique dicavit inscriptionem illam antiquissimam Columnæ Rostratæ, C. DUVILLIOS. M. F. M. N. COS. ADVORSO. CARTACINIENSIS. IN. SICILIA. D. REM. CERENS, &c. cuius supra meminimus; idque cum appositis supplementis, & illustrationibus per Gaugen Gozzeum. Et tamen id videtur factum, non sine quodam numine; cum eodem tempore ageret curam obtinendi eius Inscriptionis non modò apographum, summa fide, & exquisita imitatione confectum; sed etiam gypseum cætypum, ut consideraret ipse omnia, exploraretque iudicia, atque supplementa Ciaconij, Lipsij, & aliorum, qui in eam incubuerant curam. Prætereo autem, ut voluerit simul habere cætypum alterius illius memoratæ inscriptionis Scipionis Barbati, unde agnosceret formam antiquissimam Romanorum characterum; quia eiusmodi inscriptio intemerata perseveravit, secus ac Duilliana, cuius characteres instauratos fuisse, ex Plinio, intelligimus. Sic, ut formam agnosceret antiquissimam Atticorum characterum, cætypum quoque habere voluit inscriptionis illius, quæ legitur apud Gruterum, ΟΔΕΝΙ ΘΕΜΙΤΟΝ, &c. cuiusque Scaliger scribens in Eusebium, opinatus fuerat Ionicos esse characteres. Tametsi id egit ex parte, ut Salmasio faceret satis, qui huiusmodi inscriptionem perinde illustrare in animo habuit, ac illustraverat quasdam alias de con-

secratione Templi, & dedicatione Statuæ. Denique 1635.
petiit ex Donio accuratum apographum Tabulæ Eugubinæ dictæ, æreæ scilicet illius, Eugubij ante annos centum repertæ, & à Grutero quoque relatæ: idque ob voces quasdam Thuscas, in quarum interpretatione non desperabat se nonnihil adiutare, ne dicam emendare posse Bernardini Baldi coniecturas. Sub anni porrò initium accepit, non sine dolore, obiisse Valentiaë Iulium Pacium, quem ab ipsis usque iuris studiis amabat, ac venerabatur. Diuertit interea ad illum Theodorus Cardinalis Triultius, qui tum Italiam repetens, recepit sese curaturum, vt ex Ambrosiana Bibliotheca excrimerentur Orbicius, & alij Tactici auctores, quos Salmasio necessarios, Peireskium habere summè laborabat. Diuertit etiam non multò post Cardinalis Lugdunensis, qui Romam pergens, commorari aliquot diebus voluit in Archiepiscopatu primæuo. Cum verò illeic magnâ pompâ, ob beneuolentiam, venerationemque pridem quæsitam exciperetur; vbi ipsum quoque Peireskium aliquousque obuiam euntem & vidit, & complexus fuit, tacere omninò non potuit, se pluris paucos illius passus, quàm numerosa milliaria anteuertentium æstimare. Diuertit & Petrus Aloysius Carassa, dum Colonia Agrippinâ, ac Leodio Pontificis summi Legatus rediret. Cum verò Peireskium super ea regione multa rogaret tam ipsum, quàm eruditum comitatum, è quo Siluester Petrasancta; accepit, inter cætera, versari Leodij religiosum, ac industrium, è Societate IESV, virum, nomine Linum,

1635. qui phialam compleuisset aqua, eiusmodi temperationis, vt internataret medius globulus, cum descryptis circum horis viginti quatuor, quæ ad pisciculum, seu indicem fixum allabentes ex ordine, horas diei connotarent, tanquam globulo cæli motum exactissimè imitante. Confirmatum id ipsi est, tum ex Rubenij literis, tum ex relatione Dormalij, qui ruente vere in Italiam rediens, & aliquot diebus de-
 tentus Aquis-Sextiis, rem sibi ipsi visam descripsit. Laudauit proinde Peireskius inuentum admirabile; cœpitque variè requirere, quænam vis naturæ præstare id posset; cum haberet ipse aliundè à multis iam annis Drebellianam machinam, in cuius vitreo, arcuatòque tubulo inclusa aqua bis in dies singulos iret, redirètque, ac parùm abesset, quin maris insequi æstum videretur. Reuocauit autem præcipuè in mentem, quod ante duos annos Kircherus enarrauerat, se fragmento subereo inseruisse grana cuiusdam Heliotropij, quæ (floris instar) in Solem conuersa, innatans suber conuerterent, indiculòque appposito notatas in vase horas designarent. Qua occasione venit in mentem circumcidere Lapidem natantem, quem à Merfeno acceperat, vt in globi formam tornatus, esse posset suberis loco, faciendis heliotropicis, magneticisque experimentis. Sperârat sub veris eiusdem initium diuertentem excipere Pomponium Belleureum, cum nomine Regis pergeret legatus ad Principes Italos; sed itinere aliàs instituto spe videndi frustratus est, complectendique vnà pergentem Franciscum Vayerum à Motha, cuius

cuius eruditionem, candoremque tum literis, operibusque, tum amicorum communium sermonibus cognouerat. Dum expectaret porro ex Italia memoratos Tacticos libros, misit interea ad Salmasium delineationes varias ensium, gladiatorum, securium, cæterorumque armorum, quæ apud antiquos fuere ænea, ac nominatim cassidum duarum, quarum altera ex Samnitum finibus, seu ex Aprutio missa fuerat; altera ad ipsummet lacum Thrasymenum fuerat reperta; cum dependentibus vtrimque superstitionibus bucculis. Nec verò ista modò misit, vt suppetias ferret scribenti de Romanorum militia; verùm expressa quoque varia fibularum genera, ad complendum opus, quod ille de re vestiaria aggressus fuerat, occasione dissertationis institutæ de Acia molli, quam non nimis tortam vsurpandam esse ad futuras, & fibulas glutinandis vulneribus comparatas, Cornelius Celsus scriptum reliquit. Nempe Alphonsus Nunnescius, & Iacobus Chiffletius medici celebres contendunt Acie nomine intelligi debere acum, vel quidpiam aliud metallicum: eruditus verò Franciscus Rioya, & Franciscus Figueroa, ipse quoque medicus clarus, debere potiùs intelligi vel lineum, vel sericum filum. Expectatur autem quid de controversia tum Salmasius definiat, tum aliùs quoque Peireskij amicus ex Dania, Ioannes Rhodius medicus, qui sede Patauij delectatus non minùs literis ingenuis, quàm artis præstantia clarescit. Quin etiam misit insignè quoddam de animalibus opus, ab Ebembitare Arabicè scriptum, nupérque ex Ægypto

1635. pro aduectum, postquam exemplum aliud magno labore, atque sumptu conquisitum naufragio periit. Misit & codicem alium Arabicum, in quo Canones Conciliorum Niceni, Constantinopolitani, Ephesini, Laodicensis, Cæsariensis, Gangrensis; Canones Apostolorum, & Sancti Clementis; Constitutiones Constantini, Valentiniani, Theodosij, & nescio quæ alia. Misit Ritualia cophitarum, ut Epistolas, Evangelia, Psalmos, ac præ cæteris codicem continentem tres Liturgias, Basilij, Gregorij, Cyrilli, cum Arabica interpretatione. Misit plura; sed pluris nihil fecit, quàm Volumen quatuor Euangelistarum Eucuphticè, seu Cophiticè scriptum, Arabicèque declaratum; & maximè propter appositos annos, quibus singuli Euangelistæ scripserunt. Quippe tametsi initio defuit præfatio in Matthæum, qua annus contineri debuit; & præfatio in Ioannem visa est mendosè habere scriptam historiam anno sexto Imperij TARSOS, & Dominicæ Ascensionis trigesimo: quod tamen spectat ad duas alias, altera in Lucam, planum fecit scriptam ab illo historiam Antiochiæ, anno Claudij duodecimo, & Ascensionis vigesimo; altera verò, quæ in Marcum, scriptum ab ipso Euangelium anno quarto eiusdem Claudij, & duodecimo Ascensionis. Existimauit autem posse quoddam subsidium exinde peti, ad diiudicandum controuersiam de anno Passionis Christi Domini, & fortè etiam de Natali, quem initio vulgaris æræ vetustiore faciant duobus annis Iosephus Scaliger, & Sethus Calvisius; pluribus Laurentius Suslyga, Ioannes Kep-

plerus, & alij. Scripsit proinde non modò Romam, si fortè suppleri, atque emendari priores præfationes possent; sed rursus etiam in Ægyptum, ad obtinendum, si fieri posset, simile volumen completius. Misit aliunde in Ægyptum ad Capuccinos illic degentis, maximè verò ad Agathangelum Vindocinensem, cum libros alios plurimos, tum postulatos duos quosdam tomos Baronianorum Annalium, præter donatam priùs totam seriem; itémque ad Cœlestinum à S. Liduina Carmelitam discalceatum, Goliique fratrem, libros varios; sed præsertim magnum Thesaurum Arabicum Mediolani editum, voluminibus quatuor, qui ter, aut quater iam antè missus, seu ad ipsum eundem, seu ad alios, deperditus fuerat, intercipientibus piratis. Prolixa foret cæterorum consimilium enumeratio; cum prætermittendum non sit, quid intereà curarit domi. Desiderium nôrat, quo pridem flagrâram habendi phaseis Lunæ varias, varietatésque in singulis per Telescopium apparenteis, viuis suis coloribus, proportionibusque, & situ seruato, depictas. Hoc lanè sine exoptâram, ac tandem obtinueram ab eximio Galileo vnum quoddam prolixitate, perfectionéque præcellens; expetebámque solùm industrium, & patientem satis Pictorem. Ille itaque mei causâ, vt magna parte superioris anni, sic maxima huius detinuit redeuntem Româ egregium Pictorem Claudium Saluatum Aluernatem, qui, me operam dirigente; id muneris exsequeretur. Detinuit verò etiam sequente per complureis mensibus Claudium Mella-

1635.

num Abbauillæum, artificem inter pictores, cælatō-
 rēſque eximium, ipſum quoque Roma redeuntem;
 tum vt nouas phaſeis exquiſito ſuo artificio depin-
 geret, tum vt eaſdem, aut quaſdam certè, ingenio-
 ſa manu incideret æri. Peruidit nempe vir opti-
 muſ, poſſe exinde quandam ſpeciem Selenographiæ in-
 ſtitui, inſignēinque fore eius uſum tum in Phyſica,
 tum in Aſtronomia. In Phyſica quidem, ad ratioci-
 nandum circa phaenomena perpulcra; & maximè,
 quandò ex ſerie adſeruatarum phaſeon, probabile
 fieri videtur globum illum Lunæ tale quidpiam eſſe,
 qualis eſt globus iſte Telluris. Siquidem, cùm illæ
 maculæ maiores nullo æuo non cognitæ analogiam
 habeant cum maribus noſtris, vt proinde poſſint in
 iis diſcerni Eoum, occiduum, Caſpium, alia, cum
 deflexibus, ſinubùſque innumeris; videntur cætera
 nihil eſſe aliud, quàm continentes, cherſoneſi, in-
 ſulæ, cum ſuis campis, montibus, vallibus, lacubus,
 aliùſque id genus. Et maculas quidem illas eſſe quaſi
 æquora quædam, conuinci videtur ex ſuperficiē
 æquabilitate; quippe in qua nihil emineat, quod
 Sole aduerſo obſcuritatem pariat, & per quam um-
 bræ ſectio traducta planiſſima ſit: cùm cæteræ par-
 tes clare, depreſſæ, anfractuofæ ſint; & tranſiens
 per illas umbræ ſectio ſit variè diſcerpta, atque in-
 terrupta. Quin-etiam partes littorales, cùm ſtant ex
 aduerſo Soli accedenti, illuſtrantur citiùs, cùm re-
 cedenti, tardiùs, quàm ſubiecta maria; proiicientes
 alioquin umbram in parteis Soli oppoſitas, tanquàm
 præceſſæ quædam rupes; adeò vt etiam longæ ſeries

ſumbrarum plerumque nigrefcant. Sunt tamen in iis maribus quaſi vada, aut breuia quaedam, ſeu mauiſ ſeries ſcopulorum, in quibus, ſeu aqua ſpumante, obſeruatur quaedam candicantia. De continentibus id mirum, quòd cum generatim albeſcant, ſunt tamen prorsus heterogenei, vt ſi varietates terrarum, ſiluarum, ſtagnorum, & ſimilia diuerſum crearent alborem. Nam aliunde, conuallium, montium, & planitierum viciffitudines vbique occurrunt, ſuntque ſolum ad medium diſcum areæ quaedam ex ordine humilioribus collibus obſeptæ. Secus ſanè eſt de cæteris locis, quæ per plenilunium candidiora ſunt; profundiores enim ſunt valles, quæ dum Sol proximè accedit, abſceditve, apparent obſcuriſſimæ, Sole nempe non illuſtrante niſi circumpoſita iuga; adeò vt fiat gemmarum ſpecies; deinde verò ſummè candefcunt, quòd lucem plenè combibant, & radiis ex lateribus reuerberatione coactis compleantur. Quanquam ſunt etiam partes quaedam, quæ, præter lucis coitionem, mirè candicent (vt cuspis inſignis verſus orientem, qua illuſtrata, nihil ſtatim candidius) quaſi illic forent montes quidam gypſei, aut Riphæorum inſtar niuibus obducti. Veluti, ex oppoſito, partes quaedam ſunt ſuapte natura ita liueſcentes, vt nulla lucis plenitudine alborem concipiant; quaſi illi eſſent aut lacus, aut tractus terræ nigricantioris, qualis eſt ad boream, nec longè à maris magni littore phaſcolus, ſeu ellipſis quaedam, & qualis penè eſt anfractus circundans illum umbilicum, qui eſt ad auſtrum adeò præclarus. Præclarus,

1635. inquam, ob radios longè, latèque circumfufos, quasi ij effent partim conuallium, partim niueorum scopulorum series: quod idem dicendum de radiis alterius, qui est centro vicinior, & quo, dum primùm, vltimùmve illustratur, nulla est species vnionis pulcior. Enimverò has varietates percurrere immensum foret. Quare illud de ora Lunæ adnotare sufficiat; cùm æquabilissima videatur, id esse tamen ex eo solùm, quòd oculus noster loca ad eas partes depressa, ob deuexitatem, non videat; iuga verò antecedentia, consequentiàque, & mista componat. Cæterùm enim parem vbique inæqualitatem illud arguit, quòd dum Luna falcata est, apparent vltra culpides, ac potissimùm inferiorem, lucidi quidam globuli obscuritate intercepti, quasi ij sint editi montes in ipsissimo margine. Argumento sanè, quòd ea pars Lunæ, quæ nunquam nobis obuertitur, eiusdem sit diuersitatis. Possset id verò confirmari, vel ex eo quòd, cùm non semper eadem partes visibilem occupent limbum (videlicet Luna libratione quadam, propter varios situs in Zodiaco, & supra horizontem, ita contorqueri apparet, vt nunc partis quasdam reuelet ad ortum, occultet ad occasum, nunc contrà; parique modò ad austrum, ac boream; adeò vt etiam partes intermediæ sint centro, siue medio disci nunc propiore, nunc remotiores) quòd, inquam, re sic se habente, eadem semper varietas in partibus circum reiectis visatur. Nam verbi causâ, macula illa solitaria, quæ quasi mare quoddam Caspium ad occasum conspicitur, dum

ipſi oræ proxima eſt, nihil, præter tenuem alborem, 1635.
inter ſe, orámque relinquit; dùm verò remotior,
tum in interſtitio duæ longiuſculæ maculæ apparent.
Ex quibus, aliſſque id genus videtur quidem con-
ſentaneum, vt in globo Lunæ perinde, ac in globo
terræ plurima in ſingulos dies orientur, & intereant;
ſed nullo tamen modo probabile eſſe illa eſſe iſtis
ſimilia. Nam, ſi non omnis fert omnia tellus, de-
prehenſumque eſt in America animalia, plantas, cæ-
tera, naſci à noſtris planè diuerſa; cùm America ta-
men, & Europa eiufdem globi partes ſint: quanto
æquius eſt reputare, omnia quæ gignuntur in Luna,
orbe planè alio, à terrenis hiſce differre? Quod di-
co, ne quis arbitretur poſſe illeic homines eſſe, aut
quidpiam aliud ſimile, cuius formam, aut faciem vel
coniiciendo aſſequi liceat: vti nunquam conieciffe-
mus formas fructuum, animalium, aliarum rerum,
quas in nouo orbe nuper vidimus. Quòd illa enim
poſſint vnquam vllò Teſcopio diſcerni, præter ſpem
omnem, fidémque eſt: quantumcumque iam audia-
mus fabrefactum Neapoli, quod ſpeciem Lunæ am-
plificet, demonſtrétque omnia, quàm antè, diſtin-
ctiùs; & quantumcumque Rubenius ante annos ali-
quot ad Peireſkium ſcripſerit, verſari apud ſe egre-
gium, probumque pictorem, nomine Heymum,
narrantem ſibi conſpectum fuiſſe penes Drebelſium
Opticum tubum; diametri palmaris, quo liceret in
diſco Lunæ diſcernere campos, ſiluas, ædificia, &
munimenta locorum noſtrorum non abſimilia. At-
que hæc circa Phyiſicam ſatis; niſi fortè addendum

1635.

est, si illæ quidem plagæ obscuriores in Luna sunt veluti maria, nihil fortassis mirum fore, si exinde quidpiam humoris in terram trahatur, quod agnoscere liceat ex animalium medullis, ex conchyliis, ex plantis, vniuersèque ex humidis rebus. Dicit enim posset Solis radios in humenteis illas regiones impactos, & in terram reflexos imbibere, deucherèque aliquid illius humoris, vt dum ex vitro colorato deradunt, deferuntque aliquid intincti coloris: hancque esse causam, cur in plenilunio ossa, ostrea, & alia fecundiore humore polleant, propter copiosorem radiorum affluxum. Qua sanè ratione posset quoque Lunæ fieri compensatio circa nouilunium, ob repercussionem scilicet radiorum è maribus nostris, tantò vberiore; quantò lux è terra, corpore maiore, reuibratur in Lunam amplior, vt arguit illa secundaria, & debilior lux, quam Luna, præter falcem argenteam, intra quadraturam ostentat, donec nimirum vicina Soli reflexionis est particeps. Iam, quod spectat ad Astronomiam, videtur sanè Selenographia non mediocris fore vsus. Imprimis enim ex vero situ, ac delineatione partium præcipuarum, cum inditis nominibus, obseruari potest, atque designari, quando Luna est bisectà in nodis, qua terminentur cuspides, quæ extet medium inter ipsas: ad eò vt ad oram connotare liceat cardinalia puncta, boreum, austrinum, eorum, occiduum; è quibus, aliorum circularum instar, diuisio in gradus possit inchoari. Et quoniam situs cuspidum non modò pro recessu à nodis, sed etiam pro Lunæ ætate est varius, quatenus

quatenus sese Soli ad boream, austrumve supponit, aut subducit; idè heinc penè pronunciare de eius in orbita loco, deque distantia à Sole licet. Deinde, existente Luna in Nodis opposita, seu statim ante, seu post Eclipsin, adnotari potest, atque exprimi, quo situ sint quælibet partes tum inter se, tum cum ipso centro, ac limbo vicino; vt, cuariato aliàs disco ob memoratam quasi librationem, ille pro germano habeatur. Exinde autem, si stella quæpiam condatur à Luna, designari potest qua parte ineat, qua discedat, & an describat diametrum, an boream, austrinamve chordam, quæ ex gradibus circumscriptis, viæ translunaris quantitatem prodat. Quo etiam modo notari potest, si Luna transeat proximè stellam, quando sit cum illa in eadem longitudine, & quanta à limbo distantia; quatenus illa comparatur cum intercapedine duorum intra discum punctorum, seu locorum mensurabilium. Adhæc, inter nosci, exprimi que potest quadratura quælibet (quam veteres quidem in arduo diametrorum negotio vsurpare attentauerunt, neque nisi procùl assequuti sunt, ob visus fallaciam citra telescopium) itémque phasæ cæteræ, quæ tempore phænomeni alicuius sint describendæ, ita sanè variantes, vt nisi post multos annos eadem non redeant. Quippe cum in horas mutantur, tum memorata libratio, tum recessus à nodis, tum diuersitas temporis efficit, vt quo tempore consimilis phasis speranda videtur, aliqua semper dissimilitudo sese ingerat, quæ nouam picturam deponcat. Denique quod spectat ad Eclipsis Lunæ,

1635. Iconifimi illi mirificè profunt, ad dignoscendum, declarandumque quà defectus primùm incipiat, quà vltimùm definat, quà fiat totalis immersio, quà prima lucis recuperatio; adeò vt propter memoratam circunfcriptionem graduum, agnoscatur quantum hæc puncta à cardinalibus, inter se, atque adeò à nodo distent. Profunt quoque ad designandum ipsos defectus digitos; scilicet subnotatis punctis, partibusve conspicuis, quæ aut attinguntur, aut deferuntur ab arcu vmbre. Ex quo proinde maximè profunt ad describendum vmbre arcum ex tribus insignibus locis per quæ eodem tempore transeat: quo tandem modo diameter vmbre cum diametro Lunæ potest eximiè comparari. Ea verò re nihil esse potest in toto hoc negotio vtilius; cum præsertim constet idcirco peccari in describendo tempore, quantitatèque Eclipseon, quòd ea proportio ignoretur, & diameter Lunæ ferè supponatur quinta sui parte maior, quàm oporteat. Quòd si quis requirat rem pernecessariam, germanas nempe, obseruatæque Diametros tam Lunæ, quàm Solis, nouerit eas quoque intra ædeis Peireskij, & ipso spectante sæpius habitas ex duobus pinnacidiis, vmbraque vnus decurtata in alio, ad extrema Trabeculæ quatuor propemodum orgyias, seu Parisienseis Toisas longæ. Et loci quidem obscuritatem, cautionesque alias heic non explico: refero solùm in eorum gratiam, quibus res grata futura est, Solem esse diametro, Apogeiium quidem, minorum primorum triginta, secundorum duodecim; Perigeiium verò, primorum

triginta vnus, secundorum sex: & Lunam Apogeam 1635.
 primorum viginti sex, secundorum triginta sex; Pe-
 rigiam primorum triginta vnus, secundorum sex,
 quemadmodum Solem. Decurtatio profectò magna,
 præter communem sententiam: sed velim solùm at-
 tendatur quanta sit visus hallucinatio, dum pro va-
 riis lucis, tenebrarúmque gradibus, quibus pupilla
 afficitur, eadem res spectatur, atque mensuratur. Ea-
 dem certè diameter Lunæ per nocturnam obscurita-
 tem obseruata mihi est amplior, quàm mediâ auro-
 râ, & tunc maior quàm oriente Sole, & tunc adhuc
 maior quàm die splendescente. Quod moneo, vt
 tutiorem innuam istam obseruandi methodum per
 vmbra; quasi nempe vmbra non sit tot fallacibus
 affectionibus, oculi instar, obnoxia. Fuit porrò Pei-
 reskij mira exultatio, cùm eiusmodi rerum vsum ex-
 periundo agnouit circa eam Eclipsin, quæ die tertia
 Martij obseruata fuit, cuiusque medium contigit
 hora octaua, cum minutis quadraginta tribus. Cœ-
 pit consequenter seriò cogitare, quod pridem desti-
 nauerat, de adiutandis Geographis circa obtinen-
 dam differentiam longitudinis variorum locorum.
 Quippè & voluit methodum quandam obseruan-
 darum Eclipsion scribi; & sategit mirificè, vt defe-
 ctus Lunæ proximo Augusto futurus obseruaretur,
 tam per Europam, quàm in variis Asiæ, & Africæ
 locis. Nam præter nostrates, magisque occiduos,
 procurauit, vt instigante Cardinali à Balneo, viri
 docti, ac celebres Andreas Argolus Patauij, & Scipio

1635. Claromontius Cæsennæ obseruationem peragerent ; & Barberino intercedente, tum peractam Romæ duplicem obtinuit, tum duplicem Neapoli, vbi exquisita præ cæteris fuit, cui Ioannes Camillus Gloriosus, vir fanè eximius, iurèque laudatus, incubuit. Ita ex vrbe Ægypti Cahiro eam habuit, quam illeic perfecit memoratus suprâ Agathangelus Capuccinus, adiutus à Ioanne Molino Dragomano Veneto; & Alepo Syriæ, quam optimus alius Capuccinus Michaël Angelus, vnâ cum antè nominato Cælestino à Sancta Liduina. Et omnium quidem obseruata commemorari heic non possunt; sed taceri tamen non debet, quod pro votis Peireskij fuit, constituisse exinde Tabulas, Chartâsque Geographicas omneis nimis à nobis abducere illa Ægypti, ac Syriæ loca. Quippe cum tribus propè horis, hoc est gradibus quadraginta quinque, Alepum Massiliâ orientaliorem constituent; prodiderunt obseruationes integram penè horam detrahendam esse, quòd inter hæc loca non plures, quàm triginta gradus fuerint numerati. Heinc cum non malè res successisset, sollicitè egit, ac per Cardinalem Barberinum, perque Generaleis ordinum tam Dominicani, quàm Iesuitici obtinuit, vt præscriberent Religiosis in vtraque India, ac vbiuis degentibus obseruandarum Eclipsion, consimiliùmque rerum curam. Nullus quoque deinceps, siue Capuccinus, siue alius studiosus vir, in Orientem, aut aliò peregrinaturus, moraturusve discedens, per Prouinciam transiit, quem non demeruerit variis

humanitatis officiis, cuique simul non demandârit
 obseruationum earundem studium, donando libros, 1635.
 telescopia, & id genus cætera, quorum etiam vsum,
 si qui ignorarent, curauit vt ante discessum & addif-
 cerent, & experiundo comprobarent. Cùm nosset
 autem Galileum elaborasse methodum, cuius supra
 meminimus, definiendæ nempe locorum longitu-
 dinis ex Sideribus Medicæis; idè ab ipso Galileo po-
 stulauit in vsum proprium, Telescopium quam opti-
 mum, vt explorare ipse, & cum aliis conferre ob-
 seruata posset. Id egit verò perscriptis priùs com-
 pluribus literis, quibus licere sibi putauit consolari
 talem amicum, condoleréque ob grauem casum:
 Quinetiam magna illum tenuit per hoc tempus sol-
 licitudo, qua procurare adnixus est per Cardinalem
 optimum, vt temperatâ sententiâ, libertas ipsi
 restitueretur. Id enim sponte cùm ageret, putauit
 officium à se exigi iure amicitæ, ac merito viri, cu-
 ius memoria foret posteris iucundissima existura.
 Sub Octobris finem grauissimè tulit, non expectaf-
 se Curiam, vt sponte sese abdicaret functione Sena-
 toria, quam in Nepotis cooptatione ante triennium
 referuârat. Quare, agente Parisiis fratre, obtinuit
 diplomate Regio restitutionem in integrum, & pro-
 rogationem etiam in quinquennium. Verùm id de-
 num sequente anno, quo rursus toto non destitit 1636.
 fouere literarum curam. Nam primùm quidem su-
 spiciens variam, insignémque eruditionem, qua Leo
 Allatius vir per-eruditus Romæ degens, tot Græcos
 auctores hæcenus inuisos, aut inemendatos profert,

1636. castigat, interpretatur, fœlicitate mirabili; fauere illius conatibus voluit, studioſèque egit cum Typographis Pariſienſibus, vt lucubrationum ipſius editionem aggredierentur. Id egit etiam de quibuſdam præclaris operibus Fortunij Liceti, qui Philoſophus pridem clarus in Patauina Academia, nunc in Bononiënſi Profeſſor primarius, eſt merito magno celeberrimus. Sic audita morte optimi Schickardi, quem peſtis à Nouembri vſque ſuperiore abſtulerat, omnem diligentiam adhibuit, vt inedita eius opera ſeruarentur, lucémque acciperent: id agens præſertim Matthiæ Berneggeri Argentinenſis, viri celebriſ interuentu. Prætereo autem vt ad ipſum, intercedente, cuius ſuprà meminimus, Aelio Deodato miſerit varia Epicedia, quæ dum euulgarentur, Thomas Lanſius Iuriſconſultorum decus, & τὸ μακρότερον Achates, edi ſimul procurauit orationem funebrem, in qua Zaccharias Schæfferus inſignis eloquentiæ, & hiftoriarum apud Tubingenſis Profeſſor, tacere non potuit Schickardum fuiſſe à Peireskio prolixè, ſplendidèque inuitatum, vt tumultus patriæ declinans, ad ipſum diuerteret, quietem ſtudiis aſſequuturus. Sic Elichmannum doctum Hollandum ſollicitauit ad editionem quarundam vitarum Pythagoræ, Empedocliſ, aliorumque Philoſophorum, quas ille habebat Arabicè ſcriptas; itémque Tabulæ Cebetis, in qua legi obſeruaffet inauditum quendam Herculem Socraticum, aliarumque rerum ſimilium. Sic cum Samuel Petitus appareret tum nouam interpretationem, tum eruditas in Iofephum notas,

obtinuit ipsi per Holstenium variorum locorum 1636.
collationem cum tribus Codicibus Vaticanis MSS.
Sic cùm Buccardus moliretur interpretationem, editionemque Georgij Syncelli, ac Theophanis, exscribi curauit exemplum, quod & Romam misit, & rursùs accepit, vt cum M. S. Bibliothecæ Regiæ conferretur; neque interquieuit, quouſque collatio, & quorundam etiam locorum castigatio perfecta fuit per Salmasium, qui tum in Galliam aduenerat. Sic occasionem præbuit Ismaëli Bullialdo Matheſeos eximiè perito, vt prolixam primùm de natura Lucis conscriberet epistolam, ac deinde etiam volumen iustę magnitudinis ederet; postquàm accepit illum de luce beneficio speculi in centrum coëunte, interpretatum id problema, quod à Baptista Poissonio Regio apud Andeis cognitore fuerat his verbis propositum, Vtrum sit aliqua demonstratio perfectè logica, perfectè mathematica, perfectè sensibilis, qua probetur dari magnitudinem latitudinis non expertem, quæ aliquando, & alicubi sit in puncto verè mathematico, & cuius puncti nullæ sint partes, & tamen in eodem ipsa habeat parteis extra parteis. Ad hæc, varia cum variis pereruditè edisseruit. Quippe ad Anastasium Nannetenſem Capuccinum plurima perscripsit de lingua Aremorica, in qua consensit plurimas antiquarum vocum Latinarum esse radices. Nam antecà quidem improbârat Adrianum Scribeckium ideò fecisse Teutonicam, Belgicamve linguam primam omnium, quòd vna eadèmq; cùm Hebræa foret, ac proinde matrix re-

1616. liquatum omnium : itémque Goropium Beccanum prætulisse Hebrææ tanquam imperfectæ, cæterisque Cimbricam, quasi continentem radices ram Hebrææ, quàm Græcæ, quàm Latinæ, quàm cæterarum : sed aiebat se non improbarurum, si illi radices, aut voces nonnullas magis conspicuæ affinitatis venditare contenti fuissent, non detorquendo facere vniuersas eiusdem iuris. Quòd nonnullæ verò originem eandem primitùs habuerint, haberéve potuerint, declarabat exemplo nuncupationis fluminum, quam ferè ita deducebat, Varus, Guarus, Garumna, Guardonus, Guauardonus, Verdonus, Rhodanus, Eridanus, Duranus, Druna, Druentia, Durius, vel Duerus, Iberus, Hebrus, Tiberis, Tigris, Ligeris, &c. Idque præter vulgareis appellationes, quæ diuersissimè licèr à Latinis, aut aliis antiquioribus, agnoscuntur tamen semper ab eisdem, vel ex vnicâ litera retenta, esse deriuatæ. Neque id magis mirum esse, quàm ex vocibus Petri Iacobi, Ioannis vernaculas fieri Pir, Diego, Iems, aliásque exorbitantiores. Multra quoque disseruit de Vocabulario quodam, & Grammatica linguæ Prouincialis, prout se Petrarchæ tempestate habuerat (videlicet postquam vtrumque obtinuit ex Bibliorheca Florentina, quæ S. Laurentij dicitur) itémque de Poëtis Prouincialibus, qui Trobadores (quasi dixeris Inuentores) appellati sunt, eo videlicet tempore, quo Principes etiam, ac Reges linguam Poësinque Prouincialem excolebant. Quo in argumento fuit non parùm adiutus indicibus, librísque missis ab erudito Comite Friderico Vbaldino

Vbaldino apud Cardinalem Barberinum commo-
rante. Conciliârat hunc illi amicum Buccardus, ac
simul Vincentium Nogueram Lusitanum nobilem:
ne quidpiam dicam de Constantino Caietano, ob
peruerstos codices claro; neque de Augustino Mas-
cardo, quicum egit Peireskius de methodo histori-
ca, occasione accepti ab illo exempli, quod propter
singularem viri eruditionem, atque elegantiam gra-
tissimum habuit. Egit verò tempore eodem cum il-
lustri Marchione Vincentio Iustinianæo de præclaris
statuis, quibus ille exornârat celeberrimam pergu-
lam, quarumque partem æri incisam, & in nobilem
codicem compactam, à Cardinali Barberino dona-
tam accepit; idque cum ad ipsum mitteret vicissim
duo prima volumina scriptorum Francicæ historiæ à
Duchefnio iam concinnata. Ad hæc, non pauca dif-
feruit de Characteribus Planetarum, quos ex chara-
cteribus Græcarum vocalium maiusculis deductos
probabile censuit, exigua cum immutatione. Non
pauca etiam de Ptolemæi Astronomi patria, & qui-
busdam corporis, animi, vitæque ipsius circumstan-
tiis; occasione codicis Almagesti MS. non multum
inferioris ea ipsa ætate, qua generosus, eruditusque
Imperator Fridericus secundus Latinam interpreta-
tionem ex Arabica fieri procurauit. In eo quippe
Ptolemæus legitur Pheludientis, pro Pelusientis; di-
citurque illum non fuisse ex Regibus; vixisse annos
septuaginta octo; staturæ fuisse mediocris; subtri-
lium pedum; barbæ spissæ; & similia, quæ nescio
vnde sciri potuerint. Subiiciuntur quoque dicta gra-

uia, seu morales eius sententiæ; &, quod videtur notabile præsertim esse, additur, *Liber hic præcepto MAYMONIS Regis Arabum, qui regnavit in BALDACH, ab ALHAZEN, filio Iosephi, matre Arismetici, & SERGIO, filio Elbe Christiano in anno XII. & CC. sectæ Sarracenorum, translatus est.* Adeò proinde, ut Almagestum ex Græco idiomate in Arabicum fuerit versum, anno Æræ Christi vulgaris septingentesimo quadragesimo quarto. Præter hæc, copiosè disseruit de hominum longæuitate, occasione illius Senis, qui superiore Nouembri occubuerat in Anglia; post exactos annos centum & quinquaginta duos; & postquàm aliunde accepit Alepo, ex literis Petri, & Ioannis Constantinorum, hominem esse in Perside, Capuccinis, aliisque viris fide dignis cognitum, annos iam natum quadringentos: idque ipsis omninò esse exploratum, atque indubium. Itémque de Tritonibus; occasione hominis marini, quem eum accepisset visum pridem fuisse ad Bellam, sic vocant, Aremoricæ Insulam, rem disquiri, ac scribi ad se procuravit ab Henrico Gondio Duce Radesiano, & Insularum Governatore. Prætereo autem constituisse, quicquid ex illo apparuit, humanâ exstitisse formâ, nisi quod pro crassitudine corporis brachia breuiora, & manus grandiores, candidioresque ad palmam habuit. Capillos densos, candicantesque; promissos supra humeros; barbâque ad stomachum usque. Oculos prægrandeis, ac truces; cutim, quantum visu licuit assequi, asperam; & neque candidam, neque pullam. Ferebatur primùm delectatus fuisse,

accedente nauicula, aspectu virorum, fœminarumque, & coloribus clarioribus vestium; adeò vt etiam se retibus concludi passus fuerit: at simul atque vis fuit facta, vt educeretur, & priusquam constare potuisset, quam forma infra vmbilicum foret, tum nullo negotio retia perrupisse, tum leui conatu subuertisse nauiculam. Addebatur, illum deinceps procul duntaxat apparuisse; apricatum ad inaccessas rupes, & parte sui inferiore intra aquam semper demersa; plausu interdum manibus facto, emissioque sibilo, quem risum interpretabantur. Atque id quidem, donec quispiam tormentario globo impetiit, à quo vsq; (seu terrefactus seu interfectus fuerit) nusquam deinceps visus fuit: tamen si visa fuisse dicatur, quæ credita est fœmina (scilicet ob barbæ defectum) desinens infernè in geminam caudam, cuiusmodi Salmonca est. Rursus de animalium insitione, plantarum instar; occasione Prunuli in regione thoracis medij, siue ad sternum frutescentis, ex quo Pastor Tarraconensis in prunulum incidit, spinâque ad eam partem implantata, sic per biennium radices egit, vt post resectos furculos varios, aliqui tandem prodierint, in quibus flores, & fructus visi. Non destitit porrò instare, donec Cardinalis Barberinus curauit fidem fieri per illius loci Archiepiscopum; & Eques Puteanus non literas modò attestanteis, sed furculos etiam accepit, & cum ipso communicauit. Hæsit verò deinceps minùs, cum accepit simile quidpiam contigisse in Thuscia; circa Gallinæ cuiusdam collum; & Frontiniaci in Occitania, circa digitum Piscatoris,

1636.

in quem cum implantata fuisset spinula Scorpionis marini, res eò euasit, vt Chirurgus exinde eduxerit tres pisciculos generis Scorpionum. Quanquam hæc omnia qui viderit, fidem habere tutiorem potest. Attendens deinde Gallorum calcaria in cristarum locum insita ritè vegetari, & succrescere; nullus dubitauit, quin hædorum cornua cornibus agnorum possent inferi, & alia id genus similia non sine successu tentari; quorum proinde mandauit curam viris quibusdam industriis. Præterea etiam de Crocodilo, in quo singularia quædam obseruauit, non modò circa motum maxillæ superioris, sed etiam circa numerum dentium, quos Achilles Tatius dixerat esse plureis trecentis, Ælianus non plures sexaginta: ipse verò in Crocodilo duodecim pedibus Parisiensibus longiore, quem ex Ægypto ad Thuanum transmissum aliquantisper domi habuit, esse deprehendit, in superiore quidem maxilla triginta septem, vt puta sexdecim vtrunque, & quinque anteriùs; in inferiore verò quindecim ad vtrumque latus, antrorsùm autem quatuor; si tamen probè memini. Hoc memini, dentes magnitudine valde inæqualeis, superioresque exsertos, neque inferioribus occurrenteis, carniuorum terrestrium instar; & alioquin pellucidos. Sed prolixum nimis omnia recensere: nisi quòd vnum præterea tacendum non est, cuius ipse quoque aliqua pars fui. Exoptârat doctus, sagâxque Godefridus Vendelinus tum Condatensis Canonicus, & dum iuuentutem in Prouincia exigeret, Peireskio charus, maximam, siue Solstitialem Solis al-

titudinem obseruari Massiliæ: vt suam de Solis obli- 1636.
 quitate Diatribam iteratò editurus, posset ipsam ex-
 pendere ex nostra obseruatione, comparata cum ea,
 quam sub Alexandri magni tempora Pytheas Massi-
 liensis peregit. Quandoquidem verò id factum su-
 periore anno voluerat, & literæ tamen ipsius allatæ
 à Dormalio serò nimis fuerant acceptæ: idcirco Pei-
 reskius hoc anno maturè prouidit, vt fieret satis il-
 lius votis. Imprimis quippe veritus, ne ipso tempo-
 re Solstitij aut nubes occuparent Solem, aut quid-
 piam nobis contingeret (vt se habent res hominum)
 vnde obseruatio præpediri posset; voluit Massiliam
 per ipsas ferias Pentecostes contendere, vt obserua-
 retur tam Solis, quàm aliquarum stellarum meridia-
 na altitudo, ac proinde Poli eleuatio, vnde saltem ex
 consequenti res expetita deduceretur. Deinde verò,
 cùm sub Solstitium viderentur negotia quædam
 ipsum haud-dubiè detentura, perripit tamen, de-
 nuóque concessit, vt interesset, ac si quid foret ob-
 staculi, amoliretur. Et sanè, cùm requireretur ædifi-
 cium altissimum, quódque intùs liberum foret, ne-
 que, exploratis tora vrbe templis, vllum commodum
 visum fuisset: ac solùm quæ ædes Collegij ad ortum
 Ecclesiæ recens exstruebantur, viderentur percom-
 modæ, ob tectum quinquaginta duos regios pedes
 altum, & tabulatum vnicum media regione tum in-
 terceptum; factum est illius præsentia, vt perforato
 tecto, & contignatione tabulati præfracta, locus
 optimè cesserit. Et quorsùm quidem, aut quomo-
 do vsurpatus gnomon altitudinis ædium, quique

1636.

potuerit in partium nonaginta millia discerni, non est heic enarrandi locus. Dicere sufficiat, reductione facta ad numeros eosdem, quos vsurpauit Pytheas (qui in parteis plusquam sexcentas diuisum gnomonem non habuit) fuisse, ex nostra obseruatione, Gnomonem ad vmbra, ea proportione, quam habent centum viginti ad quadraginta duo cum tribus quintis; qui fuit iuxta illum ea proportione, quam habent centum viginti ad quadraginta vnum, cum quatuor quintis. Voluit autem Peireskii, vt non modò obseruationem perscriberem, sed quæ etiam argumenta permouerent me, vt probabile ducerem non fuisse propterea Solis obliquitatem priscais illis temporibus, quàm tempestate nostra maiorem. Et quia obiter mentio facta fuerat illius Scaphidij, quo Eratosthenes, aliisque, & verisimiliter etiam Pytheas, vsi; idcirco præproperè scripsit ad obtinendum vel scaphidium, vel modulum saltem illius, quod apud Cardinalem Barberinum accepit exstare. Voluit rursùs, vt quoniam Strabo multa congeffit aduersus Pytheam; ipse in gratiam Comprouincialis apologiam conscriberem, purgaremque virum, qui primus Thylen insulam demonstrauit, & quo non habet Occidens totus quem antiquiorem in doctis habeat. Denique voluit exponerem solutionem problematis, quod eò vsque frustra & Nautas, & Mathematicos torserat. Illud scilicet huiusmodi erat. Quò fiat, vt Nautæ, postquam superârunt Sardiniam, & Africa oram, aut saltem vicinas salutârunt insulas, ac potissimum ex quo

præterierunt Meliten, debeant, vt in Cretam appellat, non rectæ viæ insistere, sed deflectere ad læuam, siue versus boream, vnâ quartâ, vt vocant, venti, siue trigessimâ secundâ totius circuitus, prout pyxide nautica, seu magnetica indicatur; ac duabus etiam quartis, seu dimidio-venti, vt ex Creta vsque superata perueniant in Cyprum, & ex Cypro tandem Syriæ Alexandriam attingant? Quæ etiam fiat, vt redeundo, non possint in Cyprum, & Cretam deduci, nisi venti dimidio, neque in Meliten, nisi quartâ venti à recta via deflectentes: atque id quidem semper ad læuam, seu iam versus austrum, cum oporteret tamen ad dextram, seu versus boream deflectere? Cùm peruidit porrò Peireskius, quæ responderentur omnia, coniectationes meras esse; mira fuit exultatio, qua agnouit totam eam praxin ortum habuisse ex eo errore, quo Tabulæ omnes hydrographicæ conficiuntur, dum artifices supponunt eas Orientis parteis distare à nobis longè amplius, quàm reuera distent, vt ex superiore Eclipsi subnotauimus: adeò proinde, vt intercapedine inter Meliten, & Cretam credita maiore, quàm sit; & maiore adhuc existente errore inter Cretam, & Cyprum, hanc, & Alexandriam; dubia illa omnia facile soluantur. Supponamus enim Meliten, sub quo meridiano, iacet; & fingamus Cretam quinque gradibus orientaliorem, quàm sit, sed sub eodem tamen parallelo; constat ventum, seu rectum iter ex Melite in locum confictum, relicturnum Cretam ad læuam, seu boream: quare & Nautas, ne aberrent,

1636.

sequi debere ventum borealiorem; qui germanus est quidem, sed creditur tamen alius ab eo, qui falsus cum sit, verus esse existimatur. Ex opposito supponamus Cretam, in quo meridiano est, & Meliten occidentaliorem quinque itidem gradibus, quam sit, seruato semper parallelo; perspicuum est ventum, seu tramitem rectum ex Creta in confictum locum, relicturum Meliten ad læuam rursus, seu ad austrum: quare & ne nauigando aberretur, sequendum ventum alium, qui verus quidem sit, sed pro quarta tamen à vero habeatur. Quod idem dicendum de distantia inter Cretam, & Cyprum, & porro vsque Alexandriam; sed ita tamen, vt geminato distantie errore, dimidium iam venti vsurpandum sit. Re ergo constante, Peireskius conuocauit Nautas, confectoque diagrammate, ita problema exposuit, vt illi obstupuerint, & interrogati singulareis distantias, non inuiti concesserint ex bis mille, & septingentis milliaribus, quæ vulgò inter Massiliam, & Alexandriam numerantur, saltem quingenta detrahi posse. Vt ista porrò iam mittamus, prætermittendum tamen non est vnum, alterumve testimonium, quod insigni eius affectui erga eruditos, bonasque artis redditum fuit. Ac imprimis quidem Kircherus Romæ edens Prodromum Coptum, scripsit inter eos, qui editionem sollicitarunt, Peireskium *non immeritò tenere locum principem; vt qui armata deprecatione operis huiusmodi aggressionem extorsisset.* Deinde Mercennus ipsi nuncupans libros Harmonicorum quatuor, in hunc modum adfatus est, *Non debuit hoc*

opus

opus μουσικῶν προδρε in lucem, absque tui nominis 1636.
 honore. Lices enim Harmonia Gallica te propediem am-
 pliore conuentura sit apparatu, si publicis negotiis tantif-
 per sepositis, illi benignam aurem accomodes; existimaui
 Synopsis hanc esse pramittendam, cunctosque mortaleis
 admonendos, nullum esse: literatorum, qui tuam singula-
 rem beneuolentiam expertus, tuas, quibus continuo stipa-
 ris, virtutes non suspicias, atque veneretur; neque hos
 solummodò libros, sed alios quoscumque tibi meritò nuncu-
 pandos existimes. Hac igitur Musarum instrumenta, He-
 roum laudibus concinendis adaptata, sequentibusque libris
 comprehensa, manibus illis amplectere, quibus admiranda
 liberalitate nulli dees, &c. Ad Gallicam porrò Harmoni-
 am quod spectat, dicauit eidem Tractatus de Con-
 sonantiis, & Dissonantiis; de Modorum generibus;
 de Musica compositione. Professus est verò ipsi de-
 bitos, quòd illos benefica manu è tenebris eruerit, solitus
 tantà munificentia, totam cumulare Europam, vt eruditi
 probique omnes fateantur nullum esse mortalium cui lite-
 ra bonæ, earumque cultores amplius debeant. Enumera-
 uit deinde varia, quæ pro cuiusque genio, siue ex mu-
 scao proferre, siue ex regionibus etiam remotissimis quære
 nunquam destitit; tanta prætereà humanitate, ac benefi-
 centia uniuersos excipiens, vt res ipsius tam videantur lit-
 eratorum omnium, quàm sunt aër, & aqua respiran-
 tium omnium, communes. Non hæsit proinde, quin
 omnes ad nuncupationem suam plausum facerent, tan-
 quam testatione facta posteris, existitisse auo hoc virum,
 quem in exemplum sibi proponant, quotquot diuina beni-
 tatis, quæ incessanter benefacit, imitatione tenebuntur.

1636. Mentionem prætereo, qua Petrus Lafena Neapolitanus prosequutus est in Cleombroto, seu dissertatione Philosophica de iis, qui in aquis pereunt; cum prætereundus tamen non sit dolor, quo Peireskius affectus est, cum accepit præclarum virum, editione nondum perfecta, interiisse per autumnum. Hieme iam incunte, Arelatem profectus est, ut ad usque Prouinciæ finis occurreret viro perillustri Iosepho Bernetio, qui in Senatu Burdigalensi Præses, delectus fuerat Aquensis Princeps; post factam eius Magistratus à Lainæo abdicationem. Nôrat illum videlicet, ex quo tempore in Magno Consilio personam Regij Cognitoris summa cum laude gesserat, adeò ut ipsius virtutem singulari veneratione, affectuque prosequeretur. Ea occasione vidit Salone eximium illud Præfulum decus Ioannem Iaubertum Barraltium, Arelatensium Archiepiscopum, cuius eruditionem, candorem, pietatem, prudentiam, satis commendare nunquam potuit; & quia per id tempus habuit literas à verè bono, erudito, celebri, Antonio Godello, quibus significabat se breui ad Grafensem Episcopatum, cui destinatus fuerat, venturum, foelicem dixit fore Prouinciam, quæ tot iam præclaris Ecclesiæ luminibus illustraretur. Successerat feralis annus, qui trigessimus septimus supra millesimum sexcentissimum fuit; cum iucundissimum habuit excipere, foueréque egregium virum Iacobum Ferrerium Aginnensem medicum, qui ex Lugdunensis Cardinalis comitatu, Romæque, & Lugduno rediens, expetita attulit inulta. Cætera inter fuit
- 1637.

modulus Farnesiani Congij, cuius suprà meminimus. 1637.
 Fuit & copia fossilis ligni, quod ad Aquam-Spartam est nuper detectum. Non quòd Peireskius ex ipso ligno non habuisset iam frustula; sed quòd alioqui exoptaret oculatum illius loci, vnde eruitur, inspectorem. Et didicit sanè, quod voluerat nosse, exstare duntaxat quædam veluti caudicum segmenta; nulla verò vestigia ramorum, nodorum, radicum; quasi id foret argumentum, ligna eius formæ nata, concretaque; non verò ex vulgaribus obruta, & saxificata. Fuit denique Apographum Græcæ inscriptionis de laboribus Herculis, quam videre, obtineréque eò vsque non potuerat; marmore intra easdem ædeis Farnesianas delitescente. Pergratum quoque tum habuit concessum sibi ab Arnaldo Forcalqueriensi Proprætore marmor, quod Reis Apollinaribus (Regium nunc appellant) fuerat erutum; & in quo exstat inscriptio continens votum persolutum Deo Æsculapio; Signum scilicet somni æreum, Torquem aureum, cum Dracunculis duobus, pondo scrupuli vnus; Enchiridium argenteum, pondo vnciarum quinque, & semis (sic enim notas restituit, quæ non benè apud Gruterum) denique Anabolum. Cùm id porrò fuisset illatum in ædeis, tacere non potuit se illi habendo quadraginta inhiasse annis. Nempe inscriptionis illius apographum habuerat, etiam antequam in Italiam proficisceretur. Et sanè Pignorius, vbi in symbolicis Epistolis loquutus fuit de Dracunculis semet respicientibus, caudisque connexis, subiunxit. *Et hanc speciem*

S f ij

1637. *exprimit antiquum marmor, cuius mihi olim copiam fecit vir nobilissimus, idemque in literatos omneis propensissimus Nicolaus Fabricius Peireskijus, Regius in Aquise-tiensi Curia Senator. Quoniam verò meminerat vidisse se olim inter Lælij Pålchalini cimelia, Torquem aureum ex duobus Dracunculis, qualis heic describitur; eamobrem scripsit illicò ad Franciscum Cardinalem Boncompagnum, in cuius nobileis, & curiosas manus cimeliarchium illud peruenit, vt Torquis eiusmodi cætypum fieri pateretur. Id autem expetiit, in gratiam memorati antè Tomasini, qui de Donariis antiquis scribens, poterat suum opus illius mentione, descriptioneque illustrare. Medio Februario, extremus Chamæleonum octo, quos ab ætate vsque enutrierat, fouerátque, interiit. Siquidem cum annis superioribus singulareis, binósve solùm obtinisset ex Africa, iique primis frigoribus obtorpuissent, occidissentque; idcirco magnam demùm copiam impetrare voluerat, vt summo aliunde adhibito studio experiretur, num aliqui superare hiemem possent. Quia enim deprehenderat fœminas abundare ouis: ideò auebat formationem, eruptionemque ex illis; explorando cognoscere, ratus eam fieri tempore verno. Heinc caueam, qua postremi illi concludebantur, pannis operuit, in tepidario collocavit, ad Solem interdum exposuit: verùm, seu quia frigore primo, leuiore licèt, læsi fuerant; seu quia deinceps locus fuit obstructus, & calidus nimis; seu quia à mense vsque Nouembri, nihil cibi ab illis degustatum est; attingere per nullus potuit. Curâ-*

rat illos variè depingi , ac suspensos potissimum pedibus , & extrema cauda , quales ferè manent , ac dormiunt , & vermiculos , muscalsve venantur. Scilicet falsum comprobavit viuere illos ex aëre , vt vulgaris fabula est ; multaque expertus , deprehendit tandem nulla re æquè delectari , ac vermiculis , qui ex farinaceis matris colliguntur. Solent autem lingua , vt promuscide vti , quam , pedalis propè longitudinis , iaculi instar euibrant , & tanta quidem celeritate , vt penè visus aciem effugiat. Id præstatur verò beneficio ossiculi , quod bifurcatione quadam implantatur vtrimque ad extremas fauceis , & cætera teres secundum oris longitudinem , deseruit impliandæ , explicandæque linguæ ; cauæ scilicet , intestini instar ; nisi quòd in summo caruncula est , non nihil viscida , vt prædam corripiat. Falsum quoque expertus est , chamæleones induere rerum obiectarum colores : seu virides enim , seu cinerei sint ; atrocem solùm quemdam subeunt , qua parte ad Solem , aut ad ignem obuertuntur ; præterea verò nihil immutantur. Id rarum , ac mirabile ; non moueri oculos chamæleonis coniugatos ; sed vno aliquorsùm spectante , reliquum vel stare immotum , vel in aliam partem deflecti. Deflectuntur autem quoquoersùm , propter quatuor trochleolas , nulla ostentata distinctione iridis ; sed solâ pupillulâ , ad quam cornea vndique (cum sit , vt corpus reliquum , radiata , variegata , granulata) terminatur. Sunt porrò etiam chamæleoni dentes eleganter dispositi ; non vt aërem sanè deterant , sed vt correptum cibum

1637. mandant. Vnicum exinde intestinum est, non circumvolutionibus, sed curuaturis solum productum. Excrementum intus satis liquidum, nisi qua parte ad anum accedit. Hepar bifidum, & ex gibba quidem parte sanguinem in cor auriculatum infundens; at non superstitite ascendente, descendenteve caudice venæ: quippe aliunde non porta modò nuncupata, in intestinum; sed venæ quoque aliæ, ad cæteras partes directè procedunt. Pulmo inflatus abiit in membranam tenuissimam, toti animali ambitu æqualem. In imò ventre nullum peritonæum, sed membrana solum parteis dextras à sinistris dirimens. Non item lien, non vesica, non renes, sed carunculæ solum obseruatæ sunt, quæ genitalia fortè fuerunt. In fœmina vna, fuere oua intra membranulam supra centum, quorum nonnulla existere magnitudine nuclei oliuæ, in quibus visum luteum solum, nihil verò albuminis: cum tamen parua viderentur quandam lactis speciem referre. Quid heic referam continentem illam sollicitudinem, qua procurauit, vt Valefius Orationes Libanij cum accessione editurus, recuperaret ineditas? Exscribi iam antè curarat quæ in Bibliotheca Augustana exstant: hoc tempore verò cum haberet Romæ paratum Dormalium, qui ad exscriptionem exstantium in Vaticana se accingeret; dedit operam, vt auctoritate Cardinalis Barberini id exsequeretur. Hortatus verò simul est Buccardum, vt aggredederetur interpretationem Epigrammatum Anthologiæ, quorum hæctenus nulla exstat: Scripsisse enim se ad Salmasium, vt quod habebat illo-

rum exemplum ad ipsum transmitteret. Ad Salma-
 fium ipsum cum missurus esset M. S. Vegetij qua-
 dringentorum annorum, conferri prius voluit cum
 alio paris ferè antiquitatis, idque manu erudita lau-
 dati prius Fabroti, qui discrimina benè multa tam
 inter vtrumque, quàm cum factis hætenus editio-
 nibus margini apposuit. Quid dicam rursus, quàm
 ardentè sollicitauerit Kircherum, vt discessurus in
 Siciliam, ac exinde in Meliten cum Darmstadiensî
 Land-grauiò, adniteretur obtinere Polareis altitudi-
 nes; obseruaret curiosiùs quæ circa Æthnam sunt
 euulgata: ac reportaret indices præcipuarum Biblio-
 thecarum, & præ cæteris codicum Abbatis Cætani
 MSS. Quid demùm, quàm sollicitè expectauerit
 ex Oriente libros hexaplos, octaplosque? Fuit in
 illis Psalterium, sex columnarum ordinibus, toti-
 demque linguis, idiomatibùsve distinctum, quod
 piraticam expertum iniuriam, nullo non pretio fuit
 redempturus; etsi non emptum pluris, quàm libris
 Turonicis viginti quatuor. Heinc nullum lapidem
 non mouit, donec piratas appulisse Tripolin Africæ
 accipiens, ad Bassam, seu Gubernatorem illius ciui-
 tatis scripsit, amicis interpositis, illéque spem fecit
 transmittendi librum. Contigit porrò, vt nonnulli,
 perspecto eius desiderio, speratâque magna merce-
 de, aduexerint librum optimè curatum, quem præ-
 dicabant fuisse sibi in ea vrbe concreditum. Quæ
 prima fronte fuerit eius lætitia, dici non potest: at
 cum inuolucris sepositis, agnouit esse nihil aliud,
 quàm Arabicum Thomæ Erpenij dictionarium; dici

1637. quoque non potest, quanta fuerit consternatione percussus; nescius an infortunium, an imposturam magis culparet. Attexenda heic forent quæ ex Africa aliunde obtinuit; vt numismata, inscriptiones, & narrationes varias rerum Australium, Borealium, Orientalium, partim recenteis, partim antiquas, ac huiusmodi cætera: sed satiùs videtur coronidis vice, memorare solùm Commentarium pereruditum, quod Iacobus Gothofredus antè memoratus de Imperio maris, ac iure colligendi naufragij, ex lure Romano conscripsit, inscripsitque ipsi Peireskio. Siquidem inter cætera, dum illum affatur, *Te, inquit, huiusce facti mei conscium, & superstitem appellare nunc visum; cui secretiores quæque, meliorésque literæ curæ, cordique ad eò sunt, vt nullis inter hæc impendiis parcere soleas, siue in iis, quæ eò faciunt, per vtrumque orbem conquirendis, siue in protrudendis, qui suam iis instaurandis operam, vel industriam locare valent, quorum multi iam per te, & famam habent, & merentur. Quo facto, quid aut illustrius afferri possit, quandò gloriam Principibus fermè dicatam in nomen tuum tam fæliciter deriuas; vel ad æternitatem maius, cui tam multos ipse commendas, quàm rediuiuis veterum monumentis, quàm excitatis melioribus huius æui ingeniis? Fatear ipse oportet, nunquam ad hæc studia animum meum magis incallescere, quàm cum eò me prouocare soles: ad eò non suadent, sed trahunt me ἰλκυσιὰ illa literarum tuarum, quibus publicis immersum negotiis excitatum venis. Et paullò post, Ob singularem insuper illum, & eximium candorem tuum, quem pro exemplari candoris ipsius habeo, quémque omnes,*
qui

qui ad scribendum animum appellunt, tueri, atque adeò 1637.
 ab omni acerbitate procùl esse iubes. Et rursùs, vt non
 possit non hic libellus tibi congruere, qui & dignitati,
 & studiorum proposito, moribus denique tuis tam apprimè
 conuenit. Placiturum sane ea quoque re puto, quod in ar-
 gumento versatur βιωφελς, auctoremque habes, qui te
 amico optimo, & fidelissimo non tantùm vitur, sed &
 passim gloriatur. Inibat iam ver, cùm excepit Cardi-
 nalem Bichium, vnàque Suaresium veterem amicum
 Episcopatu Vasionensi iam antè donatum, qui cum
 Cardinali Romam discedebat. Recreatus eodem tem-
 pore est accessu Francisci Bocharti Campinij libel-
 lorum supplicum in Regia Magistri, ac Intendentis
 iustitiæ titulo in Prouinciam missi. Singulari quippe
 affectu illum amauit, & coluit, tum ob indolem mi-
 ræ bonitatis, virtutemque eximiam; tum ob me-
 moriam optimi Patris, quem & Præfectum ærario,
 & Consistorianorum primum, & Principem summi
 Senatus in se propensum habuerat. Vnde & Cam-
 pinius ipsum tanti fecit, ac vicissim coluit, vt alte-
 ro mense nato sibi filio sponforem iustalem, no-
 minisque proprii nuncupatorem delegerit. Sequuta
 est celebris illa Leronensium insularum vindicatio,
 de qua fuit mirè sollicitus, cuiusque historiam ac-
 curatè descripsit. Nullis non intereà officiis profe-
 quutus est tam Præsidentem primum, quàm eius vxo-
 rem, qui graui morbo per Aprilim, ac Maium men-
 seis laborârunt. Ac vidit quidem conualescenteis,
 vidie insulas expugnatas; sed sua illum interim, eaque

330 DE VITA PEIRESKII LIB. QUINTVS.
1637. duriora fata manserunt. Quippe sequente statim Iu-
nio in lethalem incidit morbum ; de quo, & mor-
te consequuta priusquam aliquid dicamus, operæ-
pretium esse videtur paullo specialiùs describere, &
corporis habitum, & animi mores, & ingenij stu-
dia. Tametsi enim ex vitæ serie, cui immorati ha-
ctenus sumus, res videatur intelligi ; innumera ta-
men supersunt, quæ luculentiorẽ vitam faciant,
quæque eruditis plerisque expetita cum fuerint, non
ingrata sine existitura.





DE VITA
PEIRESKII
LIBER SEXTVS.

HTAQVE, vt inde incipiam, statura illi iusta fuit, seu inter proceram, & humilem congrua. Habitus gracilis, venæque proinde in temporibus, manibúsque conspicuæ. Constitutio vt morbis obnoxia, ita non admodum robusta; vnde postremis ætatis annis innitendum baculo fuit. Factum ex eadem causa est, vt faciliè ipsi membra luxarentur; humerus præsertim sinister, quem ter loco emotum habuit. Ampla frons, & quæ faciliè inter admirandum, contendendumque animum, rugis quasi exararetur; nec transuersùm modò, sed fursùm quoque, ea regione, quæ inter supercilia est. Oculi cælij, ac faciliè suffusione laborantes, disruptâ nempe venulâ; quoties cum conatu narcis expurgaret. Desigebat verò illos seu in terram, dum attentè quidpiam narraret, seu in auditores, cum perciperet, quæ recitarentur, placere. Nasus leui adun-

T r ij

citate à rectitudine deflectens: genæ rubore temperatæ: capillitium flauum; itémque barba, quam solitus est prolixam gestare. Tota facie eximiam quandam præ se comitatem, & affabilitatem tulit: quam nullus pictor ita fœlix fuit, vt talem exhiberit, qualis re-verâ exstitit. Ad corporis cultum quod spectat, munditiem quidem rerum omnium, quas contingeret, comederétve, expetiit; sed nihil vel superfluum, vel pretiosum requisit. Certè tamen si id cauerit, vt quas publicè præferebat vesteis nihil dignitati haberent incongruum; sericas tamen nunquam gestauit. Eodem modo reliquam domum pro conditione exornatam, appriméque instructam voluit: at de proprio cubiculo sollicitus vix quicquam fuit. Tapetum loco fuère icones præcipuorum amicorum, virorúmque illustrium; ac innumeri prætereà commentariorum, apographorum, excerptorum, epistolarum, cæterarúmque id genus chartarum fasciculi. Lectus simplicissimus, & tabula chartis, libellis, literis, aliisque rebus semper onusta, occupatáque; vt & omnia circum sedilia, & maxima parte etiam tabulatum. Ita ad mensam quod attinet, operam dare solitus erat, vt splendida reliquis foret; at sibi ipsi pertenuem, vt persalubrem, semper præscripsit. Cœnitabat autem solus intra proprium cubiculum (nisi quòd plerumque me comitem tulit) ne vniuersam familiam expectatione conficeret; & quia nonnunquam cum amicis prandens, aliquid genio mensæ communis, & consuetudini indulgebat; ideò deinceps, vt stomacho laboranti

consuleret, à cœna prorsùs abstinebat. Vsi erat commune vinum, cùm probaret tamen potissimùm album, idque cùm foret acidulum; sic meliùs sedari sitim opinatus. Diluebat autem plurimâ aquâ, nisi quòd tempore peponum, quibus ad initium pastus utebatur, id seruabat moris, quod à medico præscriptum fuisse iam diximus. Hoc porrò edulij genus deperibat tantopere, vt sibi nullo negotio quibusuis aliis interdicens, se tamen, quod ipsum spectaret, profiteretur incontinentem. Suauissimum nempe effecerat vsus, ac memoria recuperatæ per ipsum valetudinis, crebrâque experientia, qua se peponum temporibus, nec laborare nephritide, nec arenulas gignere, emitteréve obseruârat. Ob eandem causam solebat vinum temperare aqua thermali, quam aliunde duxit saluberrimam, ex quo pridem, ædiculam prope Balneola ingressus, longæuos in ea obseruauit tam viros, quàm fœminas; & causâ quæsitâ, accepit vti illos thermali puteo, non ad potum modò, sed etiam ad pultem, iusculúmque omne, ad subigendum farinam, pinsendúmve panem, & alia. Cùm foret porrò admodum sobrius, neque in ciborum delectu morosus; eâ quoque fuit continentia, quam, prædulce malum, luxuries tota vita nunquam fefellit. Et in promptu quidem causa esse potuit, quòd desidiosus non fuerit: attamen nisi sobrietas mali fomenta subduxerit, ipsamet sese excitant, & vel minima animi relaxatione, inardescunt. Quod insinuauit obiter illum tardè cœnare solitum, id de prouectiore duntaxat ætate est intelligendum. Prio-

ribus siquidem annis maturius, & pro occasione conuiualium ita cœnabat, vt non multò post sese aut lectioni, aut scriptiōni dederet, & in seram noctem, ac persæpè etiam in auroram vsque protraheret studia; ex quo somnus illi præparcus, ac matutinus solùm erat. Cùm procedente verò tempore, nocere id sibi animaduertisset; cœpit nullum cœnæ, ac somno interuicere studium; at visus subinde est sibi ad matutina studia obtusior; & cùm aliunde negotia totos penè dies continenter absorberent, sensit nihil sibi temporis, quod impenderetur studiis, superesse. Itaque id cepit consilium, vt à quarta, quinta, aut saltem sexta post meridiem hora, qua vulgus de cœna solet cogitare, conclusus cubiculo, à nemine inuiseretur; neque nisi quid maximè interesset, obturbaretur; sicque ad horam vsque nonam, quam cœnæ destinauerat, sibi, Musis que totus vacaret. Quin etiam, statis illis diebus, quibus cursores Parisios, aut Romam discessuri erant, cœnam differre solitus erat in decimam, vndecimam, ac persæpè etiam vltra mediam noctem; vt posset literas & plures, & vberiores conscribere; qua occasione sæpius cursores aut domi continuit, aut iam digressos, vt litteras expectarent, consistere, prece, ac pretio procurauit. Penè verò statim à cœna ita ad somnum se comparabat, vt apparatus faceret excitabulum tempestiuum. Non sanè quòd pigeret illum quietis necessariæ; sed quòd vltra horas quaternas dormienti, tanta in vesicam vrinx copia conflueret, vt occluso præ nimia tensione orificio, emit-

tere illam deinceps non posset. Illa proinde occasione interrumpendus somnus erat; & crebriùs quidem, si flaret corus, minimave aura frigidiuscula; tum quippe grauiùs, frequentiusque vrina detenta ipsum diuexabat. Erat & alia occasio expurgiscendi sæpiùs, sudor; quippe seu integumentorum, seu tempestatis calore ad natiuam imbecillitatem superaddito, semel, iterumve, aut etiam aliquando tertium, in singulas nocteis commutandum indusium erat. Manè exsurgens, id obseruabat, vt caput seu galero, seu alia re superadiecta oneraret, donec illi sudor, calorve ex somno, quieteque conceptus, temperationem admitteret; alioquin enim aer frigidior laxatos poros subiens, obstruensque, solitus erat rheumatismos, dolorésque dentium creare. Eandem ob causam legens, scribensque, à fenestris procùl sedebat; aliàs siquidem nescio quid frigidulum penetrans, caputque, & faciem, aut genam obuersam, ita paullatim afficiebat, vt excitatis fluxionibus dentes quoque malè haberent. Effectum hinc etiam, vt quantum interdiù per officia licuit, à vento, ac Sole abstinuerit; & cum propterea excusationem aliquando prætexeret, causatus est, quòd cæterorum robustiora corpora similia essent laminis minimè obnoxiiis aëris iniuriis; suum verò corpusculum per simile esset folio papyraceo, cui penetrando vel minima aquæ guttula foret satis. Nunquam proinde deambulatam (quæ ipsi vna corporis exercitatio erat) pergebat, nisi tranquillo aëre, & cælo obducto, aut saltem Sole debili, & in occasum iam propendente.

Aderat etiam famulus, qui ponere gestaret umbellam, ut feruorem Solis, si quis superesset, vel auram quoque auerteret. Quia verò id poterat ipsi, atque comitatu esse importunum; ideo deligere solebat conualleis, locaque umbrosa, per quæ liber incederet, oculos aliunde, atque aureis pascens. Nempe ad confabulationem, qua gratius nihil habuit, adhibere solitus erat viros eruditos, ac lenes; ut memoratum aliquoties Galterium, Antonium Arbaudum Bargemonium Aquensis Ecclesiæ Præpositum, & simileis alios; ac sese interea humanissimè recreari sentiebat plantarum virore, & florum pulchritudine; aquarum item murmure, & cantibus auicularum. Heinc videri mirum non debet, si hortum illum Belgenferianum tanta plantarum varietate exornatum voluerit; si præter insignem canale, insignem etiam aquæ iactum singulari exsultatione erumpere curauerit; si auiculis hieme ad arbores citreas in xyftos formatas conuolantibus, disseminari grana curarit, & ne quispiam interea aucuparetur, vetuerit. Præhabebat porrò vocibus humanis, instrumentisque harmonicis musicam illam auium; non quòd alià quoque non delectaretur: sed quòd ex musica humana, relinqueretur in animo continens quædam, attentionemque, & somnum conturbans agitatio, dum ascensus, exscensus, tenores, ac mutationes illæ sonorum, & consonantiarum euntque, redeuntque per phantasiam; cum nihil tale relinqui possit ex modulationibus auium, quæ, quòd non sint perinde à nobis imitabiles, non possunt

sunt

funt perinde internam facultatem commouere. Voluit eamobrem continuò educari luscinijs, simileis-que auiculas, quas etiam in proprio cubiculo habuit, quarúmque ita curam gessit, vt si quid egerent, aut vellent, ex variis signis agnosceret, & vt fieret satis, statim prouideret: illæ verò, quasi agnitione quadam, benefactori accinerent, & cùm eo absente plerumque silerent, vbi tamen aduentus signum vel voce, vel baculo daret, in cantum statim prorumperent. Quoniam autem incidit mentio affectus erga animalia, nihil oberit adnotare adolescentem, ac iuuenem deperiisse canum genus. Quorundam antè meminimus: amauit verò potissimùm quos singulari aliquo instinctu præditos agnouit. In iis fuit vnus, de quo sæpiùs id memorabile narrauit, quòd cùm fuisset à nescio quo vehemente ictu percussus, ipsum non modò iam in ædeis ingressum subodoraretur; sed ad quinquaginta etiam passus venientem persentisceret; allatrànque ex improviso, mox aduenturum subindicaret. Cæterùm occasione murium, qui libros, chartásque in cubiculo ardebant, adamauit deinceps feleis, quos exosos habuerat; effectúmque paullatim est, vt paucis primùm educatis necessitatis gratiã; etiam ob solam delectationem numerosos habuerit. Ex Oriente quippe obtinuit cinereos, rufos, variegatósque, elegantia spectabili; quos propagatos etiam Parisios, & aliò ad amicos misit. Cùm nihil autem non obseruaret, adnotauit feleis vtero gestare hebdomadas præcisè nouem; vltra annum decimum quartum parere; obstetricatione interduni

vti ; etiam cùm non conceperint lactare ; & id genus similia. Sed ad sui curam vt redeam, fuit ea quoque temporibus morborum simplicissima ; ipseque ferè experiundo didicit sui medicum esse. Nam primum quod spectat ad febrim , curare illam solitus fuit inediâ sibi præstiturâ ; ratiocinatus febris materiam aut non substituto fomite , citò absumi ; aut non facto impedimento, citò subsidere. Deinde, cùm rheuma, tussisive vrgeret, nihil aliud, quàm vsurpabat buccellam crustæ ex pane sicco ; cuius semper frustula quædam, cum tragemate odorato, thecûlâ argentâ conclusa gestabat. Sic enim ex ea detrita, saluâque simul sensim instillata , opinabatur arteriam incrustatione quadam obduci ; adeò vt humor superfluens illam non exulceraret, neque prouocaret ad tussim. Hæmorrhoidibus leniendis alia nulla re utebatur, quàm oui luteo, cui interdum aliquid butyri, aut laridi fuisset commistum. Agnouit etiam balnearem aquam in potum assumptam iis mirè prodesse ; & vel calorem suppositum, vel minimum somnum eas remittere. Circa vrinæ retentionem, dictum est de vsu aquarum ; solebat verò, vt eam ciceret, linteam, eiûsve angulum dentibus premendo, quasi mandere ; idque in ipso conatu, quo proinde sæpè vrinam emisit. Nisi id verò sufficeret, vt in maxima vesicæ tensione, tum inter parietem, posticâmq; lecti partem interuallo arctissimo sese comprimendum fitebat ; nam post multos saltem conatus, id experiebatur non inutile. Et non ad omnem quidem retentionem consecuebatur arenularum, calculorûmve

deiectio : frequentius tamen prorumpabant , cum dolores renum , vterumque præcesserant. Vrinam autem excipere cucurbitulâ , quam ventosam vocant , solebat ; vt in eius fundo statim appareret , si parturiisset aliquid : videlicet labores illos , eruptionesque calculorum , parturitiones suas dicebat. Denique nisi podagrâ , parentum instar , laborauit , causam ipse censuit victus regimen , quod etiam quoties pater seruauit , toties consultum optimè fuit. Non est verò heic prætereundum , imbecillam complexionem nihil obtituisse , quò minùs se in morbis illis , vehementibusque doloribus patientissimè gesserit. Nam frequentia quidem , & diurnitas quendam quasi callum induxisse videbatur ; sed patiendi tamen consuetudinem eo perfecerat ratiocinio , quòd quicquid pati necessum foret , ferendum esset leniter. Communis certè eius vox erat , se non tam angere propter mala , quibus erat obnoxius ; quàm lætari , quòd ea grauiora , vt esse poterant , non forent. Non dissimilis porrò animus erga fortunam aduersam fuit. Nam iacturâ aliquâ factâ , ac rei caræ potissimum , non potuit quidem non commoueri : verùm molestiam temperare ea ratione solitus fuit , quòd non tam spectaret rem deperditam , quàm cum voluptate possessam. Sic solamen etiam quærebat ex rebus superstitibus : censebat enim non tam dolendum , ob id , quod iniquus casus abstulisset ; quàm exultandum propter id , quod bona fortuna seruasset. Hinc non infrequenter dicebat , cuius incerta bona paranti constitutum esse debere , se illa non sibi

magis parare, quàm furibus. Contingebat etiam interdum, ut quæ proposuerat, pro votis non succederent, conatusque, & sumptus omnes efficerentur irriti; at solatio erat, quòd nihil tentasset non laudabile, neque officio, impensæve iterandæ impar foret. Eam ob causam non desisteat idem tentare sæpiusculè; tanquam non desperans, quin prosperum quidpiam tandem affulgeret; ac aliunde existimans plureis labores irritos vno successu redimi; neque debere piscatorem idcirco retia abrumpere, quòd iactum interdum sine fructu faciat. Et sic quidem ille patientiam, constantiamque tuebatur; cum foret nihilominus suapte natura subiracundus. Dicebat, verò nihil sibi vnquam animi regendi persuasionem æquè fecisse, ac spectaculum casu quodam exhibitum in microscopio. Quippe cum in eo concludisset pediculum, ac pulicem, observavit pediculum luctâ institutâ sic commotum fuisse, ut sanguis à capite in caudam, ita, reditûque continenti distraheretur. Hinc nempe est argumentatus, quanta fieri per iram debeat humorum, spirituum, facultatum omnium perturbatio; quantam declinet perniciem, qui illi non fecerit locum. Duo autem quædam capita erant, ob quæ præsertim commoueretur. Vnum, ac præcipuum, iniuria ex ingratitude profecta. Iniuriam dico; nam ex obliuione sola beneficij, ne indignationem quidem vllâm testabatur; qui ipse potius videbatur id oblitus fuisse, quod contulerat. Verùm, cum quis sibi eam notam animi ingrati iureret, ut præterea nocumento, vel impedimento.

sibi, suisve, circa negotia, aut destinationes foret; tunc incalescebat, excandescébátque, & probra etiam effundebat; meminíque, dum statim sese ad sedationem componeret, conquestum, quòd ea occasione philosophiâ defectus fuisset. Alterum, negligentia, prauáque mandatorum exsequutio per famulos. Facilé enim irascebatur, nisi quilibet primùm audiens, exaudiret, accurrerétque; ac nisi iussa faceret tempore, modóque præscriptis. Quippe cùm de industria alicuius diffideret, aut de inuersione, interpolationéve, ex præsumpto ingenio, propemodùm securus esset; tum disertè, articulatim, & ex ordine præcipiebat quemadmodum vellet quidpiam peragi; ac nisi deinceps, vt res fuerat inculcata, perfecta fuisset, vix se poterat continere, quin in querimonias, & conuitia prorumperet. Vnde sæpiùs ad me conuersus, solitus fuit dicere, oportebat ergo te esse infirmitatis meæ testem? Continebat nimirùm sese, neque, nisi coram familiaribus, hasce animo habenas laxabat. Ac ista quidem ferè fuit vna animi eius impotentia: quanquam in sese statim rediens, tranquillitatem repetebat; &, quod spectat ad famulos, sæpè querulus solùm fuit, vt excitaret socordiam, ac imposterùm redderet cautiore. Quin-etiam ita affectus fuit in eos, quos ducebat ingratos, & iniurios, vt nunquam maluerit vlcisci, quàm obliuisci iniuriam; nemóque agnouerit culpam, quem non complexus fuerit, beneficiisque nouis cumulârit. Nunc, cùm in locum de beneficiis inciderimus, ecquis ignorat quantum fuerit ad benefaciendum pro-

pensus? Nemo certè vnquam alacriùs, liberaliùs,
 frequentiùs donauit; & cum proposuisset sibi Deum,
 ac naturam, omnia dono, nihil mutuò dantem, imi-
 tari; dici omninò de illo potest, quòd vota præcucur-
 rerit, quòd spem superauerit, quòd præstare illi fue-
 rit, quàm aliis optare velocius. Millies enim non mo-
 dò opem, opésque vltro obtulit; sed non cogitanti-
 bus etiam contulit reipsa. Et vide simul industriam,
 Cum ad Holstenium mitteret, quos diximus supra,
 Aristoteleos, Platonicósque Interpretes, ducentis au-
 reis nummis coëmptos; scripsit quidem epistolam,
 qua videretur nihil aliud, quàm volumina commo-
 dasse; verùm post-scripto epistolio significauit se do-
 nasse, donatósque omninò velle; priorem autem epi-
 stolam eo duntaxat sine perscriptam, vt obtendere
 illam posset, si qui fortè molesti essent in deposcen-
 dis codicibus, quasi illos mutuò solùm possideret.
 Quàm putas verò sæpè egit, quod de Arcesila me-
 morant, supponens purà ceruicali dormientis, aut
 aliàs non aduertentis amici, pecuniam, qua egere
 eum comperisset, & recusaturum tamen? Sanè cum
 sæpè id non posset, & pudorem alienum non ferret;
 familiaris manu est vsus, vt eum, qui erat acceptu-
 rus, confidentiorem faceret. Testari id profecto li-
 cet: nam etiam per supremos dies, dari per me vo-
 luit viro cuiquam ingenuo, cuius & indigentiam nô-
 rat, & pudorem manifestandi. Neque putes id eum
 egisse, vt largitionis testem haberet; nam aliunde
 cum nôrat minùs in accipiendo difficileis; longè ab-
 erat, vt quæreret tertium, cuius pudore afficerentur.

Ipfemet enim exhibebat, neque femouebat modò omneis arbitros; fed ne familiariffimis quidem perfpèctum deinceps faciebat. Heinc fi mihi innotuit (vt exempli gratiâ hoc dicam) largitio illa pecuniaria, qua in Campanellam eft vſus; ex Campanella ipſo noui, qui & priuatim recitauit, & declarauit publicè; non verò ex ipſo Peireskio, tametſi tum ambo apud ipſum diuerſaremur. Quamobrem fi in alium quoque contulit centum aureos, ducentos in alium, in alium trecentos; id fanè reſcire aliunde, quàm ex ipſomet conceſſum fuit. Scilicet non fuit ex odioſo illo genere hominum, officia exprobrantium, quæ cum meminiffe debeat is, in quem collata ſunt, non commemorare, qui contulit; nemo eſſe potuit huius regulæ, quàm ille fuit, obſeruantior. Siquidem tantum abfuit, vt deprædicaret quæ præſtiterat; quin potiùs ſemper factam ab aliis mentionem auerſatus eſt, nec ſine quodam rubore paſſus; ſolitus aliunde ita extenuare quod conceſſerat, vt penè negaret quicquam conceſſiſſe. Non ita verò ſeſe habebat, quidpiam naçtus ab aliquo. Quippe celebrare nunquam deſtitit, ac tametſi parui momenti res foret, aut magno etiam pretio redempta, profeſſus eſt ſemper ſe eſſe omninò deuinctum; ſolitus præterèa officiis, obſequiſque omnibus gratitudinem facere apertam. Nam ſi quis numiſma, ſigillum, membranam, marmor, vaſculum, aut quidpiam aliud ſeu antiquum, ſeu peregrinum, ſeu alioquin rarum dediſſet; tum præter animum effuſum, diſpiciebat ſtatim qua ille re delectaretur, & qua ve-

rosimiliter careret; seu nempe libris, seu picturis, seu plantis, seu aliis rebus, quibus (cùm non auderet pecuniâ) rem cum fœnore compensaret. Constat id speciatim de pluribus libris, etiam carissimè coëmptis; sed in exemplum hoc satis esto, quòd cùm bonam hominum partem delectari nosset Gallico Mercurio, Historia Romana Coëffetei, Octauio Strada de vitis Imperatorum cum iconibus, aliisque id genus; illorum semper copiam habere comparatam voluerit, vt ingerente se occasione, ad manum esset, quòd donaret. Ex quo effectum est, vt pluris eiusmodi libros octies, decies, & pluries non magno interuallo habuerit, & donauerit, ac sæpè etiam cùm spes non foret iteratò recuperandi; cuiusmodi fuère Eusebius Scaligeranus, Ephemerides Origani, & alij sexcenti. Tenere nempe se nunquam potuit, quin testatum faceret se conferendis potiùs, quàm accipiendis beneficiis natum; & cùm maiorem voluptatem, quàm ex dono probè collocato non perciperet, perditum diem illum habere, in quo se quavis occasione munificum non exhibuisset. Heinc viri cordati, & Cræsi diuitias, & Arabum gazas illi exoptabant; vt suum illum liberalem, ingentemque animum testatiorem facere posset. Siquidem stupore dignum iudicabant, vnde-nam illi ad tot sumptus, satis abundè suppeteret; qui aliunde & sprete opes, & intacta lucro pectora perspecta habebant. Et fuère quidem qui improbârint, quòd videretur non satis æquam familiaris rei habere rationem. Visus est enim sumptus superare censum; &

iudicium

judicium vel ex eo factum, quòd mitteret Romam quotannis tria millia librarum Turonicarum expendenda. Verùm ipse ante salutem ponendos rumores non censuit; magnúmque semper quæstum duxit, opes honestè profunderè, quæsito nempe bonis seu viris, seu artibus emolumento. Dicit quoque potest, quod Poëta ait, Quæsiuit nomen, quærat avarus opes; nam profectò seu suæ familiæ reditus imminuerit, seu non amplificauerit; at quæsiuit tamen tantam gloriam, quantam immensis opibus, cæteræ tam multæ nunquam consequentur. Hoc est verò, quod viri illi cogitare debuerant; non quæri nempe solùm diuitias, vt fames, vt sitis, vt frigus arceatur; quippe ad hos, aliòsque vsus naturalis pauca sufficiunt; sed maximè, vt cum splendore æuum transigatur, relinquunturque monumenta propagandæ famæ post interitum. Is est enim tacitus finis, ad quem, dissimulanter licèt, mortales omnes collineant; & quem tamen non assequuntur, qui alioquin ditissimam efficere familiam student. Taceo eam fuisse Peireskio mentem, vt pro familia duceret Mundum; ac parentum, fratrum, aut filiorum loco, quibuscum omnia essent communia, omnis & sapientis, & bonos haberet. Hosce appello; quia tametsi nihil non est vnquam benè merentibus largitus; delectum tamen semper cum habuit, vt in obuios quosque non esset profusus. Cùm enim minùs quis mereretur, liberalitatem temperare nôrat; meminique poscenti cuiquam, vt decem nummos mutuò daret, responsum ab eo, non se decem, quos

mutuò crederet, habere; sed duos habere, quos gratis donaret. Cùm ille verò accepisset, & ex ipso requireretur, quamobrem ita faceret; satis est, inquit, si præsentì necessitati succurratur; & fiam potiùs parcus donator, quàm molestus creditor; expertus aliunde complureis idcirco auerfari me, quòd se meo ære obstrictos putent. Porro cùm nihil æquè amicos, ac beneficentia, & obsequium pariat; nihil mirum, si toto orbe, tot, tam bonos, tamque illustres, atque constanteis habuerit. Mirum est potiùs, quòd tam multis demerendis suffecerit; cùm omnes ita coluerit, vt singularem non potuisset magis. Quippe in id semper incubuit, vt prouideret qua tandem re cuilibet gratificaretur; & imploratus ita accurrit, vt infelicem se duceret, nisi amici necessitatem non præsensisset, præuenissetque. Nôrat proinde quodnam esset amatorium poculum verum; sic præsertim amans, vt nunquam ad suam vtilitatem respiceret, occasionem verò consulendi amicis præteriret nullam. Sic nihil sibi vnquam à Magnatibus, Principibusque viris petiit; at in amicorum, ac potissimum literatorum gratiam, quicquid conducere visum est, postulare nunquam erubuit. Seu verò illi precibus suis, seu aliunde quidpiam concessum tulissent, agebat semper gratias; & recipiebat in se tam suo, quam Musarum, & publicæ rei nomine, gratitudinis testationem. Nec suos verò amicos modò, sed quos præterea illi amârunt, ac speciatim parentes, filios, consanguineos, affines ardentè prosequutus est; illisque consilio, auxilio, perfugio, patrocínio fuit. Ac

parum fortè est dicere sumptibus nullis cum peper-
cisse, vt amicorum res promoueret; maius est, quòd
nullam habuerit neque inualetudinis, neque iniu-
riarum aëris rationem, quoties quidpiam periculi
interuenire deprehendit. Tanto præterea candore
fuit; vt nunquam rationem creditarum rerum ab
amicis exegerit. Quin-etiam ægerrimè tulit, quòd,
depositâ continuò comparandis libris, vsibusque
aliis apud optimos Putcanos pecuniâ, ipsi, contex-
tis indicibus, pretium; summâque subducerent;
voluitque planè sibi, cum ipsis non agi adeò scrup-
ulosè. Vt paucis dicam, fuit illi pectus adeò ni-
ueum, ac innocens, vt merito iure amicos habuerit,
quibus non potuerunt esse amiciores. Ad-hæc au-
tem quantæ putemus consolationi illum fuisse, cum
amicos vel ægrotanteis, vel orbitate, aliòve casu
fortunæ perculsos inuisit? Nemini quippe aut me-
liora, aut amabilia verba; & quia morbis, dolo-
ribusque tolerandis assuetus erat, ideò nemini leni-
mentâ ægritudinum omnium perspectiora; nemini
potiùs habita fides, quòd ipse expertus omnia cre-
deretur. Nouimus certè aliquos, quibus de salute
propè desperantibus, animos restituerit; adeò fuit
solers detegendis, facundusque edisserendis infoli-
torum ipsis morborum symptomatibus, prognosti-
cis, causis, &, nisi planè curantibus, saltem lenien-
tibus remediis. Ex his licet intelligi, quàm iucunda
esse deberet illius cum sanis conuersatio; quandò
tam bene nouerat ecquæ res forent, cuiusque genio,
moribusque accommodatæ. Nimirum cum tam mul-

ta nosset, impromptu erat deligere, quæ gratissima cuique enarraret; &, cùm esset semper ad discendum comparatus, percontabatur solùm ea, quæ noverat collocutorem cum voluptate recitaturum. Ita cùm frequens à peregrinis, curiosisque inuiseretur, subodorabatur imprimis, cuius rei studio tenerentur potissimùm; ac tum ea solùm ostendebat ex libris, cimeliis, cæterisque rebus, quæ videre foret iucundum; neque aliquid obtendebat, quod ipsi nosse non affectarent. Rogitabat deinde ea, quæ ipsi vel in patria, vel iter faciendo rara observaissent; habebátque semper quidpiam simile, quod vel monstraret, vel aliàs sibi visum, auditúmve referret. Inde effectum est, vt nemo non inuitus discesserit, horásque, & dies non optauerit prolixiores. Quin longè etiam abfuit, vt crebrò conuersantibus tædium, aut fastidium crearet: exundabat enim semper nouo aliquo eruditionis gurgite; ac vocibus viuis omnia exprimens, ita rapiebat animos; vt metum semper iniiceret, ne citò nimis faceret finem. Et appositè quidem, sed perrarò tamen, iocos interseruit: seriò quippe solitus loqui, eâ oris facundia sermones fundebat, qui iis salibus parum indigerent. Porrò, cùm eius consuetudo foret cuique gratissima; ipsi tamen oneri erant, quotquot res duntaxat vulgareis loqui, audiréve iuuabat. Conqueri proinde solebat, quòd tam bonas horas cogere tur perdere, audiendo solùm, assentiendóque, frigus, calorémve vigere; tempestatem esse claram, vel obscuram; auram sanam, vel insalubrem, cæte-

raque similia. Eandem ob causam auerfabatur mulierum consuetudinem; quod vix liceret quidpiam frugi ex ea consequi, & de tricis solum, ac nugis verba serenda cum ipsis forent. Impatienter etiam ferebat clamorosos, rixosos, loquaces; tamen istos leuius ferret, quod plerisque verbis inutilibus frugi aliquid interferi posset; id enim dicebat se eruere, ut ex paleæ aceruo granum. Oportebat tamen eos esse veraces, quod garrulis istis parum conuenit; nihil enim æque exolum, ac virum, quem posset mendacij coarguere, habuit. Quare & solebat hoc hominum genus ita exercere, varias percontando circumstantias, ut memores sanè esse oporteret, si quid mentirentur, nec sibi contradicerent. Par iudicium esto de thraſonibus, quos pari modo non ferebat; nisi quatenus inter iactationes, ingeniosum quid coruscabat, quod afficeret animum. Cæterum enim gloriosos istos mirum in modum oderat; præditus ipse tanta modestia, ut cum præclara agere, non verò iactare placeret, nihil vnquam superbè de se nec senserit, nec dixerit. Heinc potuit sanè vel suo exemplo facere illos admonitos, qui & sui laudes inuitus audiuit, & titulos omnibus ambitiosos delatos reiecit, & virtutes suas, alioquin eximias, ita eleuauit, ut semper vel infirmitatem, vel ignorantiam prætenderit; planumque fecerit nihil esse posse illa animi moderatione expetibilius. Nihil proinde adicio de summa mansuetudine, ac singulari humanitate, qua quosuis aduenteis, opisque quidpiam postulanteis excipere solitus fuit. In confesso siquidem

est, quàm non puduerit illum habere maiorem debito honorem quibusvis, inferioris etiam conditionis hominibus, quos vel genus, vel eruditio, vel dignitas quædam commendaret; quàmque se erga obscuriores, rusticiores, pauperiores, affabilem præbuerit; animos addens sese adeundi, assidendi, alloquendi, interrogandi, respondendi; donec quisque sibi ab eo factum satis existimaret. Atque id quidem erga omnes; sed erga illos specialius, qui suas in iudiciis commendatas causas optabant. Suauissimum enim habebat parteis ipsasmet priuatim audire; & percontando, instandóque pleraque purius accipere, quàm à causidicis inter perorandum, scribendumve suggererentur. Nempe cum ipsi elegantes, atque eruditæ actiones placerent: iniquo tamen animo tulit, si quando veritati fucum, æquitati insidias, legibus fraudem, innocentiam laqueum fieri, tendique obseruauit. Quanquam quo affectu sese compararit, ut ius suum cuique tribueret, indicatum superius est. Addo illum ea industria, ac felicitate fuisse, ut aliquorum nobilium liteis, alias interminabileis, arbitrato suo composuerit, pacemque inter familias inexpectatam procurarit. Addo & cum id moris foret, ut quæ partes coram Senatu liteis agitabant, Senatores ipsos in palatium, in templum, domum, aut ad alia loca procedenteis, agmine denso affectarentur; ipsum id nunquam passum fuisse, famulo contentum, aut præterea vno, alterove ex familiaribus amicis, quibuscum posset colloqui, amandatâ sequentium turbâ. Cum illa porrò comi-

tate, humanitatēque erga omneis foret, tum speciali quadam obseruantia prosequutus est, quos nouit gradu, genere, virtute quadam eminenteis. Quippe vt omneis est veneratus, ita singulis, si quid potuit, præter debitos honores exhibuit. Promotis quoque ad dignitates, reducibus in patriam, seruatis ex morbis, adeptis coniugium, donatis progenie, atque id genus alia fortunæ bona assequutis, congratulari solitus est, seu coràm, seu per literas, voto, reuerentia, & affectu plenas. Nullum non præterea officium, atque obsequium præstitit; munera insuper adiiciens, vel certè communicans quicquid exquisitum variis ex locis obtinuit, prout vnumquemque his, vel illis rebus capi agnouit, aut subolsfecit. Et questus quidem persæpè est, exhibendis, excipiendisque honoribus deteri tempus; at cum ipse delatos sibi, quantum poterat, constantissimè recusaret, nullum tamen, quem crederet aliis debitum, prætermissum voluit. Id aliquando ipsi obiectum; & maximè cum videretur ob imbecillas corporis vircis excusatione dignissimus; At, debeone, inquit, vt ineptus esse primus desinam, pro ineptissimo haberi? Heic non adiciam, quanta pietate erga Parentes fuerit; nam id suis locis satis insinuat. Vnum solùm addam, quod Nouercæ mores planè acerbos deliniit. Non longè erat à doctoratu, cum illa die quadam confidens ad mensam, bilem effudit aduersus ipsum, quam in Patrem conceperat. Congestis plurimis conuitiis, ac exprobrationibus, quibus contradicendum sperans, detumescere amplius contendebat; ipse ni-

hil planè inficiatus, hanc vnicam vocem emisit, Vera sunt quæ dicis, ô mater, imò & longè plura sunt, ob quæ iure conqueri possis. Tum quia verebatur, ne illa aut assensum huiusmodi sinistrè interpretata simulationem caussaretur, ampliùsque excandesceret; aut pudore quasi suffusa, aliam rixandi quæreret ansam; sese continenter è mensa subduxit. Illa tale nihil exspectans, & ad improvium casum obstupescens, ita repentè animos fregit, vt sese contineret, effutieritque deinceps nihil. Priuatim postèa ex eo quæsiuit, cur falsa cùm sciret, quæ obiecta fuerant, nihilominus admisisset; ille autem, Et admisi, Mater, & admittam in posterum; auctórque sum, vt quoties pectus efferverescere senseris, iram potiùs aduersum me, quàm aduersus alium profundas. Nam ego quidem patienter feram; at alij exasperabuntur, vnde tu magis excandescens finem fortasse vix facies, quin graueis exinde contraxeris morbos. Neque porrò id inutile fuit; illa enim sese deinceps longè mitiorem præbuit, ipsùmque adeò amare cœpit, vt de hærede instituendo sæpiùs cogitauerit; ac perfecisset, nisi cùm obiit, is in Belgio procul abfuisset. Ad fratrem quod spectat, tanta propensione erga ipsum fuit, tantam vicissim expertus est, vt res in exemplum transire mereatur. Quippe ab ævo vsque iuente ea fuit, cum mutua, & maxima benevolentia, consensio; vt in eadem studia semper conspirauerint, &, ne minimo quidem villo intercedente dissidio, de hereditanda familia ne cogitauerint quidem. De consanguineis, affinibusque illud sanè testari

testari licet, quòd omneis habuerit coniunctissimos, excipique voluerit domo, ceu communi hospitio, cum in urbem aduentarent, non patruelis modò, sed etiam qui ex atavis, tritauisque ducerent ramos. Quin-etiam, cum omnium patrocinium alacri studio suscipere, solitus erat, si fortè quidpiam inter ipsos interuenisset, componendi auctor, & arbitri fieri. De Præceptoribus dictum suis locis; addo memoratum ab ipso non semel, nihil accidisse sibi iucundius, quàm cum à Vario nescio quid in Fonuiuij gratiam obtinuit. Quid est quod hoc loco attexam de caritate in Patriam, cum ex dictis perspicuum sit illum totum fuisse in ea exornanda? Vt mittam enim nullam vnquam occasionem prætermittam, quin maiestatem Principis, Gallici nominis honorem, & iura regia facta tecta, aduersus Scriptores peregrinos voluerit; attingo solùm circa Prouinciam, curasse illum maximè, vt ea imprimis illustraretur. Eò nempe eius curæ spectârunt, cum nihil non egit, vt quasi ex cineribus Comitum nostrorum erueret historiam; ac nobilissimas familias suæ luci restitueret; vsus quippe non nuda traditione, non argumentis leuibus, non auctoribus parùm certis; sed scripturis authenticis, vt testamentis, matrimoniis, transactionibus, clientelis, priuilegiis; itémque statuis, tumulis, epigraphis, tabulis pictis, insignibus, numismatibus, sigillis, aliisque id genus rebus, quas vt detegeret, haberetque, nulli pepercit sumptui, nulli labori, nulli industriæ; euoluens ipse, aut procurans, vt euoluerentur acta omnia, quæ in omnibus archi-

uis, tabulariisque, Principis, Præfulum, Abbatum, Capitulorum, Cænobiorum, Gynæceorum, nobilium, priuatorum quorumlibet; inque Ecclesiarum Statutis, Nectologis, Kalendariis; ac depingi mandans quicquid peruetusti adumbratum, effigiatum, incisum, expressum per libros, vesteis, vitra, ædificia tam sacra, quàm prophana foret. Quominus mirum, si nemini ex tota Prouincia maiores sui nobiles perspectiores, quàm ipsi fuerint; quandò & omnium genealogias retexuit, & ex actis expendit, & insignibus, cum ipsorum, propter varias stirpeis, variatione exposuit. Sic speciatim labore magno seriem texuit Vicecomitum Massiliensium, deducens illos ab vsque Guillelmo S. Honorati Massiliensis Episcopi fratre, hoc est, ab anno nongentesimo sexagesimo secundo. Quo etiam modo condidit synopses Episcoporum, Abbatum, omniumque virorum illustrium; ac plurimus præsertim fuit circa Trobadores, Poëtâsve suprâ memoratos. Eodém spectauit studium emendandi, & excudendi chorographicam Tabulam, disquitendique varia, per varias ætates confinia, cum specialibus populis, regionibusque, & Principibus, qui in illa fuisse leguntur; ne quidpiam dicam de legibus, magistratibus, iudiciorum formis. Fuit autem curæ potissimum scrupulosa peruestigatio, & ichnographia viæ Aureliæ, quatenus traducta per Prouinciam fuit; Amphitheatri item tam Forouliensis, quàm Arelatensis; Arcuum triumphalium tam Arausionis, quàm S. Remigij; trium Turrium superstitum adhuc in Sextiensi Palatio; & vt paucis

dicam, rerum omnium, quæ saperent antiquitatem. Nam quòd præterea Inscriptiones, marmora, imagines, & alia id genus non neglexerit, manifestum est ex hæcenus dictis; vt etiam quod attigimus de Animalibus, fossilibus, plantis, aliisque, vel Prouinciæ propriis, vel ex peregrino orbe translatis. Eòdem denique, quòd constanter excitauit ingenia, quæ aut nouit, aut prouidit, condecorandæ patriæ nata; admonens semper, animansque, & libros, cæteraque omnia, si opus foret, suppeditans. Cùm commendaret verò illos, qui scriptis, inuentisque suis, ac descriptione præsertim regionis, rerumque gestarum illam celebrassent; tum suspexit maximè studium, quo affectum nouit Polycarpum Riuerium, Carthusiani ordinis decus, cuius immensæ eruditioni accessit notitia eximia rerum omnium Prouinciæ, explicandarum speciali tomo operis Herculei ab illo suscepti. Tum maximi fecit potuisse se demùm hortatu suo inducere Iacobum Morguesium, emeritum, ac sanè magnum Aquisgranensis fori ornamentum, vt se ad Statuta Prouincialia illustranda componeret; quòd foret exinde lux magna omnibus Prouinciæ tribunalibus affulsura. Quàm sæpè verò exoptauit Petrum Decormium generalem aduocatum, profundæ adeò doctrinæ virum, functione demùm ab erudito, dignoque filio subleuari, vt totus fieret concinnandis, communiendisque Senatufconsultis, & quæ præsertim ipse suasisset! Quàm sæpè Scipionem Pererium, cuius nunquam satis mirari ingenium, iudicium, eloquentiam potuit, suas illas forensis

actiones, adeò eruditas, atque elegantes, mittere in lucem! Et pauca hæc quidem ex multis de affectu in Patriam; nam quantum aliunde condoluerit, cum temporibus difficillimis nihil, nisi vota superfuerunt, commemorare parùm est. Superesset iam aliquid circa Religionem in diuinum Numen: sed in confesso primùm est, illum semper maiorum fidem, hoc est Catholico-Romanam professionem sic defendisse, vt etiam ad illam quotquot potuit ex heterodoxis, ac potissimùm eruditis, inflectere curauerit. Deinde religiosi cultus fidem vberriam fecerunt publicæ omnes cæremoniæ, quas rigidè semper, quantum licuit per valetudinem, obseruauit. Quippe & solemnibus sacris, concionibus, processionibusque, vt vocant, interfuit; & nullum fuit celebre festum, in quo non seipsum Sacerdoti probauerit, mensæque Eucharisticæ factus particeps fuerit. Constans ad-hæc sincera fide, amoréque in Deum fuit, sublimè de tanta Maiestate sentiens, ac summè de eius bonitate sperans. Nihil addo de cultu, quo fuit prosequutus Pontificem summum, Cardinales, Legatos, Nuncios: siquidem nullam prætermisit occasionem testandi ipsis reuerentiam, affectum, obsequium; vt minùs sit mirum, si illis nihil vnquam negotij in Prouincia contigerit, cuius ipsi committere procuracionem non affectârint. Quo titulo etiam demeruit cæteros Prælatos, Generalis, Prouinciales Ordinum, quos recensere prolixum foret; agnitus aliunde patronus Cænobitarum omnium, maximè verò reformatorum, qui si quid egerent in

curia Romana, in Regia, in Prouincia, ac Senatu ipso; illius continuò implorabant opem. Nunc, vt specialius Studia dicantur, præmittendum imprimis est, fuisse Peireskium Ingenio prompto, aut si quid certè defuit, arte, ac labore illud compensasse. Quippe in rebus etiam conceptu difficillimis, inculcatione vix indiguit; & sedula disquisitione, exercitationèque mentis, ipsam ad quiduis facilè intelligendum comparauit. Habuit enim præterea illud ita natum ad omnia, vt nullum fuerit doctrinæ genus, cuius desiderio non inarserit, & de quo non lubens conferuerit cum peritis viris sermones. Moderatus certè quod ad alia spectat, videtur fuisse vnica sciendi cupiditate immodicus; nemòque fuit, qui vehementius affectârit perficere celebre illud liberalium disciplinarum coronamentum. Quin ne hoc solùm; sed etiam mechanicarum studiosus fuit; eaque de causa nullus vnquam artifex præcellens, ac celebris fuit, quem remoratus, aliò tendentem, apud se non detinuerit, ex quo non multa seu opificia, seu artis arcana arripuerit; ipsum domi, victu, stipendiis, variisque muneribus in mensis, ac in annos fouens. Sagacitate quoque mira fuit, adiutante constantia, qua inuestigando nunquam fuit defessus. Euenit proinde non rarò, vt coniecturæ successerint, quòd ex oblatiis circumstantiis, cætera adnexa subodoraretur, ac fœliciter diuinaret. Nihil certè ipsi traditum in manus, cuius, quicquid notitiæ poterat haberi, non eruerit; adeò vt non immeritò habitus fuerit toto orbe quasi Arbitrarius rerum abstrusorum.

Nempe, si quid vspiam inuentum, cuius nesciretur origo, natura, destinatio, statim ad illum prouocabatur; quasi germana rei noticia citra eius opem haberi non posset. Quid, quòd rerum etiam, quæ non forent, sed esse tamen perhiberentur, rimatus conditionem est; disquisiuitque, num saltem possent in rerum natura exstare? De Solertia iam sæpius dictum, ob quam nihil penè, quod humanitùs fieri, haberi-ve posset, se consequuturum nunquam desperauit; modò iuuaret, interessetve animum eò intendere, explicarèque conatum, ac neruos. Et sanè plurima peregit, ac obtinuit, visa viribus, conditioneque superiora; quoniam facilè prospiciebat quicquid promouendo, obstantòve esse poterat; impiger aliunde, vt illud vrgeret, hoc amoliretur, & omnia miseret, quousque votorum compos fieret. Quin etiam amicos vbique parabat, & officiis variis vtrò obstringebat, vt seu aliquid destinasset, seu deinceps occasio destinationem factura esset, ad obsecrandum forent comparati. Quamobrem, re proposita, quam peragendam arbitraretur, prouidebat primùm pretio ne, an prece, amore, an metu, iussu, an sponte; & quis, quid, vbi, quomodo, quando, ad præstitutum finem conferret; ac tum, nihil cunctando, manum operi dexterè admouebat. Sic in excogitandis causis operum tam artis, quàm naturæ admirabilium, peracutus, ac celer fuit: facillimè enim coniciebat, & dum tantillum decoxerat, coniecturas suas ratiociniis omnifariis suffulciebat. Memoriam ad-hæc habuit fœlicem, ac plurimùm firmam. Ta-

metſi enim conquerebatur habere ſe fluxam , atque imbecillam ; explicari tamen non poteſt, quanta fuerit varietas rerum , quarum ex ineunte æuo meminit, idque non vniuerſè modò , ſed cum ſingularibus etiam locorum , actionum , verborum , perſonarùmque circumſtantiis. Ex quo efficiebatur, vt inter loquendum , adſtanteis ſemper mirè recrearet ; quòd, quæcunque ſuborta foret colloquendi occaſio, proferre è ſuo penu poſſet, quod appoſitè, lectis verbis, ſumma cum gratia recitaret. Nempe non fuit rapida quidem volubilitate verborum : at non fuit tamen hæſitans lingua, nec abſonus voce, nec ſenſu confuſus. Seu enim partus ingenij, ſeu theſaurus memoriæ, ſeu animi motus efferendus foret ; adeò non inuita verba occurrebant, vt diſtinctè, grauiter, copioſè, ornatè omnia diceret ; neque, ſi res fuiſſent coràm poſitæ, conſpici præclariùs potuiſſent. Iudicio maturo, ac ſolido fuit ; adiutus præſertim tanta experientia, lectione, & meditatione rerum. Et quamuis nonnullis videatur præcipitanter egiſſe, quòd nihil cunctatus vnquam fuerit, quoties promouendarum artium, adiutandorùmve virorum eruditorum occaſio incurrit : nihilominùs ipſamet res fuit, de qua cum à primis annis, ac toto decurſu ætatis cogitauerit, nihil eſſe potuit deliberatius. Quin dicebat etiam nihil deliberandum, vbi ageretur de iis adiuuandis, qui eſſent generi humano ſua doctrina, ſuiſve inuentis quomòdocunque auxiliaturi. Viſus eſt aliunde non nihil credulitati indulgiſſe ; at cum nerui, & artus ſapientiæ ſint, nihil temerè cre-

dere ; non postulat aliunde ratio , vt nihil nisi visum , auditum , palpatúmve admittatur. Nam delictus quidem habendus , neque cuius fidendum est : sunt tamen boni , doctisque viri , tam falli , quàm fallere nescij , quibus fidem non adhibere ferum , & immane videatur. Atque id præsertim , cùm sit angustis nimis ingenij , persuasum habere nihil esse in naturæ recessibus , præter hæc familiaria , vulgóque obuersantia ; & ea , quæ in vna regione , aut ætate visuntur , mensuram fieri , ac typum omnium , quæ esse in cæteris possunt. Id cùm Peireskio perspectum foret , facilè omneis audiit , de quorum seu cruditione , seu probitate non dubitauit ; ac cùm non pronuntiaret statim , quæ narrarentur esse ex iis , quæ fieri , esse non possent : solitus est tamen expendere omnia , & nisi posset aliud , saltem sic rogare omneis circumstantias , vt si quid demùm crederet , id probabile esse oporteret. Quòd si interdùm propriis ratiociniis non diffidit , visusque est paullo tenacior conceptæ semel sententiæ ; caussa illi fuit , quòd existimaret non esse semper vacillandum , neque decidendum de ea opinione , quam aliqua ratio , aut coniectura fecisset firmam ; nisi potior occurreret , quæ oppositam firmiùs stabiliret. Et sanè nihil tutius quidem , quàm comparatam habere mentem ad exuendum omne præiudicium , vt rationi , ac veritati sine pertinacia locum præbeat : verùm , quia vix vnquam occurrunt momenta rerum paria , efficitur semper ; vt mens in vnam partem propendeat ; adeò vt quisque tanto sit excusatione dignior , quanto vel
nolens

nolens id sequitur, quod verisimilius videtur. Dicendum rursus fuisse illum sedulitatis eximiæ, diligentiaque inexpugnata. Ea certè fuit maior, quàm pro virium, valetudinisque ratione; quandò vix vnquam ita remisit vehementem illam contentionem animi, vt vllam horam, necdum vllum diem absque linea transfegerit; adeò nullo vnquam momento deliciarum suarum obliuisci potuit. Quorsùm verò innuam indefessum studium, seu obseruandum aliquid, seu committendum chartis fuit? Nam quantum quidem præstiterit in obseruando; seu res cælestes, seu terrestres, seu naturales, seu arte factæ, seu antiquæ, seu recentes, seu quæcumque tandem visæ sunt cura & attentione dignæ, passim iam insinuauimus: in scribendo verò sic impiger fuit, vt quicquid rerum occurreret, statim faceret adnotatum. Litteras præterea, quas, si quisquam alius, & numerosissimas, & eruditissimas, & plerumque etiam fulsissimas scripsit. Refero potiùs, nihil vnquam memorabile accidisse, quod non ipse statim sua manu in commentarios retulerit; cuiusmodi fuere pompæ panegyricæ, publicæ clades, prospera, aduersæque magnorum virorum euenta, contentiones celebres, habita cum Principibus, & eruditis viris colloquia, atque id genus plurima alia. Admouebat autem incunctanter manum, ne descriptionem differendo interuenirent negotia, quæ exturbarent; ac interim memoria elanguesceret, & rerum multarum singularium minùs tenax efficeretur. Similis erat diligentia, qua, seu quidpiam notatu dignum sibi in men-

rem incideret, seu audiret ab alio, seu ex libris expiscaretur, arripiebat calamum; nec poterat pati, vt quidpiam periret, quod vel sibi, vel aliis arbitraretur vltui futurum. Conscribebat verò, quia existimabat rem cum demùm esse in tuto, nec posse perinde ex charta, ac ex memoria effluere; idque cum ipsi, vt Socrates, aut Pythagoras fidere non posset; experireturque id, quod scriberet, ipsa scribendi contentione animo profundius insigi. Cæterum quicquid adnotaret, deligebat semper nouas schedas, seu distincta chartarum folia, vt si quid addendum postea videretur, efficeretur confusum nihil. Præscribebat autem in fronte, aut in summo margine adnotandæ rei argumentum, siue titulum caractere maiusculo (quo etiam ferè interscribebat nomina propria, vocésque alias, quæ poterant ex minuitiore, aut non rectè legi, aut non tam citò occurrere) adiciebatque annum, & diem, & cum ab alio acciperet, præmittebat etiam auctorem. Nec modò verò marginem interdum ex vna, sæpius ex vtraque parte relinquebat, vt si festinando quidpiam omisisset, posset illud aduicere, potiusquàm interiicere: sed & ipsam frontem faciebat peramplam, vt discerni melius posset titulus, & maximè, si fortè ipsum præmittere, præ festinatione, non satis vacaret. Quanquam id rarò; neque enim imperfectum quicquam volens relinquebat; quòd sæpè nimis expertus fuisset res inchoatas, aut concisas futuræ ampliationis spe, nouam manum, aliis curis interuenientibus, haud sensisse. Quapropter sic omnia scri-

bebat, vt si manus extrema foret; indignabaturque, si quando iussus aliquis, seu dictatum, seu excerptum, seu proprium quid conscribere, non satis capacem relinqueret locum præficiendo titulo; aut marginem non satis congruum, congruamve satis distantiam inter voces, ac lineas, exscriptionis elegantioris, ampliorisque expectatione. Censebat enim, id, quod res erat, eam dilationem esse fallacem; &, nisi aliud, nonnullam certè inducere temporis iacturam. Pari ratione ægrè ferebat, si quis procùl absens exspectaret vel reditum, vel occasionem aliam, vt quidpiam vberius narraret, vel transmitteret; volebat enim copiosè scribi, & quamprimùm miti quodcumq; nosse, vel habere intererat; quia non raro ex simili procrastinatione fuerat rebus pulcherrimis, vtilissimisque frustratus. Non poterat autem qui illum amasset, copiosas nimis literas dare, quòd rerum scriptarum nullas circumstantias non explicitas peroptaret. Quin-etiam sæpiùs querebatur, quòd qui scriberent, non satis cogitarent ea, quæ sibi ipsis essent in luce, ac proinde vt nimis nota, vel non magni facerent, vel scribere negligerent, esse absentibus planè incomperta; atque idcirco nihil ex illis non nouum iri habitum, eoque nomine placiturum. Heinc sicut ipse quid explorans, aut aliquem interrogans, nihil, quod ad rem attineret, omittebat perquirere; ita cum aliquid ab aliis inuestigari, obseruarique seu procùl, seu propè iubebat; mandabat semper, vt quibuscumque id posset modis perspiceretur, adeò vt nullæ, si fieri posset, laterent circum-

stantiæ, quas proinde ipse ferè præscribent; mirè aliunde oblectatus, si quis suoapte marte, propriâque solertiâ, vel ad omnes, vel ad plures, vel ad aliquas certè attendisset. Ad hæc impenso fuit studio ad librorum copiam, varietatémque comparandam. Nam de MSS. ut nihil dicam, quos nisi habere antiquos potuit, excipere certè procuravit (excipereque interdum ipse) præhabitis indicibus Bibliothecarum celebrium, ac toto orbe præcipuarum; ut si quid sibi, studiosisve necessarium occurreret, unde crui posset, in promptu haberet. Ut istos, inquam, præteream, prælo subiectos conquirit Roma, Venetiis, Parisiis, Antuerpia, Amsterodamo, Londino, Lugduno, aliunde; idque non modò ab exactis Francofurtensibus nundinis; sed toto etiam anni decursu, amicis admonentibus, transmittentibusque qui pro votis essent; & subministratâ seu per nummularios, seu per amicos ipsos pecuniâ. Si vspiam quoque Bibliothecæ distraherentur, subhastarenturque; coëmi rariores curavit, eosque nominatim, qui forent elegantioris cuiusdam, neque habitæ sibi editionis. Et incredibile quidem dictu, quantam copiam congererit; incredibile etiam, quorsùm non propterea completissimam Bibliothecam reliquerit: sed neutrum videbitur mirum, si quis consideraverit quæsiisse eum libros non sibi solum, sed etiam quibusvis opus illis foret. Innumeros verò commodatò dedit, qui restituti nunquam sunt; innumeros quoque donavit, ut superius attingimus, quorum exemplaria vix, ac ne vix quidem

speraret posse refarciri. Id nempe cùm ex vsu esset eruditorum virorum : nam ex iis , quorum Bibliothecæ possent exempla sufficere , mira profusione est vsus. Eam ob causam quoties accepit aliquem recens editum , plura illius exempla voluit , quæ partim sibi asseruaret , partim in amicos statim distribueret , prout argumentum placitum norât. Seu donaret porrò , seu sibi haberet , compingi atque contegi pereleganter appetiit ; vnde & aluit continuò domi artificem industrium , qui compactionem exquisitè elaboraret , decorarétque. Quin aluit etiam interdum plureis ; neque enim vnus satis vnquam fuit , tot confluentibus vndique voluminibus perficiendis. Contigit etiam sæpenuerò , vt commodatos sibi libros , à suis possessoribus negligenter habitos , compactori suo reficiendos , exornandósque tradiderit ; cùm ij nimirùm vel argumento , vel raritate id mererentur ; adeò vt ex malè curatis comptos faceret , redderétque. Sic curauit etiam quoscunque est nactus peruetustos codices , seu impressos , seu MSS. Neque ipsos integros modò ; sed illorum etiam fragmenta , semelâque folia. Et cùm ex eo quæreretur , cur tam sumptuosus ea in re foret , causam dixit , quòd persæpè libri optimi fata pessima paterentur , cùm in manus ineruditas parùm culti incidere ; ac se ideò operam dare , vt , vel ex decòre pretium obtinentes , nec scambros metuerent , nec thus. Quos sibi verò compactos habuit , proprio caractere insignitos voluit. Constitit ille ex tribus Græcis maiusculis literis N , K , Φ , eâ elegantia in-

ter se commissis, vt geminatæ tam dextrorsùm, quàm sinistrorsùm legi possent; ipsisque initialibus exhiberentur tres illæ voces Νικηλός Κλεύδιος Φαερίκιος. Quantum ad Bibliothecæ locum, is fuit sanè nimis angustus, quantumuis præter parietes supellectile pretiosa ornatos, tabulatum quoque medium forulis onerauerit, ex eadèmq; instruxerit. Heinc libros quoque habuit tam in promusæo, seu quasi Bibliothecæ atrio, quàm per diuersa conclauia, columnatim cumulos. Et sæpè quidem cogitauit de prolata quadam pergula exædificanda; sed tam multa mouenda fuerunt, potissimum verò paterna, atque auita Bibliotheca, in quam aliunde maximam partem cimeliorum coniecerat; tam etiam parùm otij sibi semper fecit, ac habuit; vt rem exsequi non ualuerit, ipsasque ædeis, vt ab initio se habuerant, reliquerit. Mitto, quòd idem promusæum, itèmq; domus atrium, hortulúsque, & alia loca onusta fuerint marmoribus, tum effigiatis, tum insculptis; quòdque cum in vetustiore illa Bibliotheca conclusam haberet congeriem immensam antiquorum numismatum, ponderumque, saltem leuiorum; in alia verò tam pondera, quàm uasa, quàm arma, quàm statuas, quàm innumera alia; necessum fuerit omnia iacere ueluti confusa, ipsique vni, qui omnia probè nouerat, manere discreta. Longè sanè abfuit ab iis, qui apud Senecam, Corinthia paucorum furore pretiosa, aurea subtilitate concinnant; nam etiam pretiosa, quæ ab initio comparârat numismatibus loculamenta, neglexit; ex quo præsertim furta expertus,

periculo suo cautior factus est, thecásque ex ebeno, aliáve simili materia comparauit duntaxat rebus furto minus obnoxiiis, vt tripodi illi, symbibísque vasis, cæterísque eiusmodi. Nec tamen abs re insinuauit quæ videri aliis poterant confusâ, non fuisse ipsi indiscreta. Tametsi enim excusationem non infrequenter texeret, quòd apud se omnia forent nihil aliud, quàm moles rudis, ac indigesta; attamen nihil vnquam diù requisit in tanta illa congerie; modò ipse solus cimelia, libros, chartas, alia contrectasset; nec iussus quispiam alius conquirere interuertisset. Nam, vt de libris nihil dicam, quos suis titulis insignitos, in suas quantum potuerat classes sedesíque distribuerat, quósque Simeoni Corberano, ingenioso glutinatori, vel leuissimâ circumstantiâ, etiam quâ indigesti erant, significare poterat; cætera sic solitus fuit in fasciculos, papyraceo, alióve inuolucro contectos digerere, colligaréque, vt ipse sua manu, maiusculo caractere, præscriberet titulos, quibus quicquid in vnoquoque foret conclusum, admoneretur. Cùm soletet verò speciatim literas acceptas in fasciculos colligare, prout variorum erant virorum, locorumve, aut temporum; superscribebat antè quis, vnde, quo anno, mense, ac die perscripisset; subiiciebátque indiculum breuem rerum præcipuarum, quas inter legendum subnotârat lineolâ: exinde nempe adiutabatur tum ad rescribendum distinctiùs, atque expeditiùs; tum ad inueniendum, si quid aliquando ex literis requireretur. Si quid autem rerum nouarum contineretur in lite-

ris, quod alij sibi notum vellent, tum non promiscuè eas ostentabat; sed exscribi ita curabat, vt lineolis includeret quicquid exscripto exclusum vellet; voculas rescindens hominum, rerum, negotiorum, quæ ignorari interesset; ac, ne quid posset offendere, phrasin commutans, aut leniens. Vt solebat porrò curare perscriptas ad se literas; ita quas ipse conscribebat, amanuensibus exscribendas dabat, asseruatâque carum exempla, pro varietate, conditione seu regionum, seu hominum, in quaterniones coniciebat. Cùm rogatus verò aliquando esset, cur id ageret; respondit, non sanè quòd sua asseruatu digna putaret; sed quòd sæpenumerò interesset, quid pridem, nupérve aut scriptum, aut non scriptum foret, oculis subiicere; ne vel idem, aut eodem modo inculcaret cum tædio; vel omittere pergeret, de quo dubitaret, num antè scripsisset; vel reperere memoria non posset, quæ aliquando conquisisset, digessissetque impenso studio: vel non haberet vnde posset inficiantibus rei cuiuspiam se monitos, conuincere; vel denique, si literæ sinistro quodam casu periissent, in recudendis laboraret. Quod ad librorum lectionem spectat, parùm profectò otij, quod posset illi impendere, postremis vitæ annis superfuit. Si quidem totus penè fuit in conscribendis Epistolis; & cùm libros peruolutaret, fecit maximè, vt aliquid exciperet, quod transferre in illas posset. Quandoque autem se lectioni dedit, progredi cursim aut transuolare loca difficilia solitus non est; sed lento gradu semper incessit, substititque, quoties occurrit

currit, quod remoram iniiceret. Hinc præstò semper calamum habuit, vt subiectâ lineolâ designaret loca obscura, & quicquid notatu videretur dignum. Dicebat se enim inde admoneri, vt libro resumpto, difficilem locum iteratò expenderet; obseruabilem menti inculcaret; vsurpabilem statim inueniret. Quare neque fuit ex illis, qui lautos libros obtinentes commaculare illos verentur similibus lineis, notisve marginalibus: pretiosissimos enim potius habuit, in quos plurcis notas inferere potuit; vnde omneis ferè ante compactionem aluminosâ aquâ imbui, & non satis fore margines præfentiens, folia chartæ puræ inferi mandauit. Solitus fuit etiam, si quid ab amicis obseruatum acciperet, aut interferere sua manu, aut per ipsosmet, vel alios, in codices suos interscribenda procurare. Eadem ratione, si quos habuit, vel dono datos, vel coemptos, qui doctorum virorum fuissent, tantò semper cariores duxit, quantò plura illorum manu inter-exarata cognouit. Ex quo aliunde agnoscitur, studiosissimum illum fuisse habendorum autographorum, ac ineditorum præfretim, si qui obtineri ab auctoribus, eorumve hæredibus possent, quos in lucem edi, aut saltem, si per auctores non liceret, exscribi sibi procuraret. Ea certè de causa semper habuit librarios, seu exscriptores paratos (quos inter sanè tacendus non est amanuensium fidiissimus, patientissimûsque Franciscus Parrotus) vt seu linguis vernaculis, seu Latina, Græca, Arabica, Turcica, aut alia quacumque quidpiam vellet, facerent satis. Scilicet passus numquam est, vt mini-

num cuiuspiam inuentum, obseruatúmve deperderetur; adeò semper fuit ea spe, vt ex ipso proficeret, prodesseve alicui posset. Æquum est autem commemorare, cùm circa alia omnia argumenta sollicitus foret, oblitum sanè non fuisse ea, quæ sui essent muneris. Etenim cùm existimaret vnicuique homini ad certum genus publicæ vitæ, seu pro nascendi conditione, seu ex electione propria destinato, in id præcipuè incumbendum, quod institutum postulat; ac tum licere ad alia studia, pro lubitu, diuertere: idcirco ipse cætera quidem consecutus est studia; at non propterea intermisit se in ea arte exercere, quam nôrat, ac profitebatur. Iurisprudentiam nempe excoluit Cuiaciana illa, ac liberali methodo, quæ ex ipsis fontibus iuris, potiusquàm ex doctorum riuulis, legum nitorem conspicuum facit. Heinc verò præcipuè amavit antiquitatis studium; quòd eò maximè faceret; & præter Pandectas MSS. quos habuit, requisivit etiam alios Codices, quòd quædam editorum loca expeterent ab ipsis lucem. Hac certè occasione memini, cùm aliquando dubitaret (& ne Pandectæ quidem Florentini prorsus satisfacerent) de germana interpretatione Legis Neratius, circa retentam, amissamve solo animo possessionem, scripsisse eum Romam, vt ex vetere MS. Cardinalis Barberini, ac Buccardi manu, textus Legis, cum scholiis marginalibus summa fide excriberetur. Nimirum quoties fore præsensit, vt circa causam celebrem ferret in Senatu suffragium, nullum non mouit lapidem, ne illud ferret imparatus.

Sic pridem circa eam quæstionem, cui debeat accedere lucrum, creditori-ne, an debitori, vbi datis mutuo monetæ speciebus, æstimatio accreuerit, ex interueniente Principis edicto: Pacium adhuc supersitem interpellauit per literas, vt quicquid vsquam ea de re obseruasset, communicaret. Sic nuper egit cum Salmasio, de pœnis olim apud Romanos, aliasque nationes præscriptis in eos, qui stationes defuerunt, & animo potius pusillo, quàm malo, commissis sibi arcibus cedunt. Sic cum Bignono, eximio illo, quem huius æui Scæuolam, ac Varronem dicere liceat, de auctoritate legum Romanarum per Galliam, propter edicta Alarici, Caroli Magni, aliorumque Principum, qui visi sunt leges Theodosiani Codicis, cæterasque ratas habere. Perscribebat ipse interea, quicquid ferè dici, aut excogitari hisce de rebus poterat; adeò semper erat locuplete penu, adeoque illi rescribebant debere eum solum se consultare; verùm cum ipsis ita agebat, vt circa ea, quæ iam nosset, congerenda non laborarent, ac in eo essent potius, vt nouum quidpiam ostenderent. Quod dixi porrò obiter circa antiquitatis studium, complectitur id maximè vniuersam Historiam, quam sic animo informauerat, tenebatque, vt videri posset omnibus & locis, & temporibus interfuisse. Defixum quippe hoc semper habuit, conferre maximè historiam non illustrando modò iuris studio, sed componendæ etiam vitæ, animoque eximia quadam atque liberali delectatione afficiendo. Censebat enim quodammodo efficaciorẽ Philosophiã, quod hæc



quidem verbis homines erudiat, sed illa exemplis accendat; ac aliunde faciat, ut nos vitæ brevis pigere non debeat, quam reddit participem rerum, temporumque præteritorum. Conquisiuit proinde semper nationum omnium Historicos, & cum per antiquos haberet per-caros, tum eos duxit carissimos, qui vel nostræ gentis essent, vel quomodocunque ad eam attinerent. Ut enim vix patienter tulit hominem ingenuum, qui in orbe suo peregrinus esset, videre; ita callere ipse voluit quicquid monumentis esset proditum, non de rebus modò ad Prouinciam, Galliamve speciatim pertinentibus; sed etiam de iis, quæ ad Italos, Hispanos, Germanos, Anglos, Hungaros spectarent, vniuersèque ad illos omnes, quibuscum hominibus nostris commercium, aut dissidium fuit. Et quàm-ardenter, putas, expetiit interpretationem, atque editionem Arabicorum codicum, quos optimus Golius ex Oriente nuper aduexit, continenteis historiam expeditionum, bellorumque à Regibus nostris gestorum in Syria? Putauit enim posse fieri, ut eius nationis Scriptores secus, quàm nostrates multa recitârint, quæ nosse foret operæpretium; ut vel ex mutua collatione, elici, contextique posset narratio quædam verisimilior. Putauit etiam posse exinde plurima à nostris ommissa suppleri, cum ipse quoque innumera supplenda haberet ex variis illarum regionum, atque temporum comitiis, diplomatibus, literis, sigillis, insignibus, inscriptionibus, numismatibus, aliisque id genus. Erat verò rerum huiusmodi præ aliis impensè curiosus,

quòd testeis esse diceret antiquitatis incorruptos, quòdque ex iis addiscerentur, quæ frustra requireret quis ex historiographis omnibus. Et memini quidem interdum, cùm vitris variæ conuexitatis dispi- ceret chartas, & numismata minutissimorum, ac semelorum characterum, obiectum id fuisse, quod Seneca habet, *Illam tu otiosum vocas, qui maiorem dierum partem in aruginosis lamellis consumit*; itémque illud, *Insanit veteres statuas Damasippus emendo*: ac eiusmodi alia. Verùm ipse, Non nescio, inquit, effusè à multis rideri hæc studia, quasi, nec nobis ornamento, nec cæteris vsui sint: ij tamen soli iure carpuntur, qui ad vanam, aut etiam nullam eruditionem hæc referunt; cùm plerique comparent solùm in ornamentum armatorum, ac parietum, nec alio fine habeant, quàm vt habere perhibeantur. Porrò laude digni videntur, nec tempus frustra terere, qui talia conquirunt, expendunt, illustrent, vt bonis authoribus legendis facem præferant; vt historiarum circumstantiæ perfectiùs clarescant; personæque, res, & actiones animo meliùs infigantur. Scilicet ex statuis, numismatibùsque cognoscere licet, qualis fuerit vultus, habitùsque clarorum virorum, sceminarùmque illustrium, quarum nos actiones auditæ delectant; qua forma fuerint Dij, Deæque, & Heroës prisca, cum suis illis insignibus; cuiusmodi fuerint siue ornamenta, siue instrumenta religionum, bel- lorum, magistratuum, coronæ, currus, triumphi, sedilia, innumerâque id genus alia. Quæ, & plura cùm recenseret, tum prolatis compluribus monumentis

facto monstravit; ad eò ut innotuerint demùm ple-
 raque Auctorum obscura, nec alia ratione intellecta
 loca. Sæpenuerò etiam in admirationem rapuit, ubi
 ostendit, sine rebus huiuscemodi inspectis, atque ex-
 ploratis, non posse intelligi quid auctores velint,
 cum tam sæpè mentionem faciunt Numismatum, ac
 Ponderum, ut Talentorum, Siclorum, Drachma-
 rum, Denariorum, Victoriatorum, Sestertiorum,
 itémque Assis, & partium eius; ac cæterorum bene
 multorum; de quibus cum differeret, immensam-
 que copiam, & varietatem proferret, non paucos
 noui obstupefactos. Ac speciatim quidem aliquan-
 do, cum multitudine Vnciarum pondere, & forma
 diuersarum exhibita, rogatus fuit, quid sibi vellent
 symbola illarum tam varia. Nam singularem qui-
 dem globulum appositum dixit, non ut designare-
 tur modò vnitas; sed etiam ut illius tumore, qui
 Græcè ὄγκος dicitur, ad vnciæ vocem fieret allusio.
 Eadem ratione in plerisque adiungi vncium, seu vnci-
 cinum; ut pondus vnciale statim notaretur. In qui-
 busdam verò, ac præsertim Hetruscis, hastam, quæ
 Græcè dicitur ῥαχή; ut ex λ dissimulato, ὄγκος vox
 superstes idem patefaceret. Sic plerumque adiectam
 ☉ vnitatem significare, non tantum quòd vnum
 hoc sidus eximia luce noctem collustraret; sed etiam
 quòd ex voce Luna, L detracto, vna supersit. Sic
 exhibitam in nonnullis Astragali faciem, quæ in ia-
 ctu vocata vnio, vnitatem significaret; etiam in qui-
 busdam solùm intellecta, cum in auersa parte so-
 lùm apparetet opposita facies, senio appellata. Si-

milia quoque declarauit, in cæteris Libræ, siue Assis partibus; vt cum in Semisse declarauit, spicam idcirco appositam, quòd antiqui alluderent ad feminis, & semissis voces; sed hæc attingisse sufficiat, vt pateat illum suo studio, soletique, & sagaci examine ea potuisse interpretari, quæ in libris nusquam extarent; ac tantò faciliùs audienteis stupore quodam percellerent. Nam alioquin minùs fuit mirum (etsi plerosque delectauit, neque id sanè immerito) quòd de Mensuris, deque vasis non minùs discretè verba habuit, quàm ipsis mensuris, vasisque antiquis coràm positis, demonstrationem apertam fecit. Et sanè, quoties illi aut vas, aut numisma, aut statua, aut quicquid demùm aliud non vulgare oblatum est; ita semper solitus fuit, quàm primùm licuit, expendere, vt non in oculos referret, aut creditum restitueret, quin perspexisset, quicquid de illo sciri posset, aut conici. Quippe & libros consulebat, & cum similibus conferebat, & memoria repebat quicquid obseruasset eò pertinens; & vel capacitatem, vel pondus, vel formam nulla non arte explorabat; & eruditorum vbiuis degentium requirebat sententiam; & coniecturas proprias, quas quomodocunq; fulcire posset, congregabat; & vt paucis dicam, rem non dimittebat, quousque nemo mortalium posset vberius cognoscere. Eò cum peruenisset, tum demum quicquid nouerat, aut inserbat in librum eiusdem, affinisve materiæ; aut schedæ commentariis interponendæ consignabat; aut certè anam arripiebat conscribendi vnam, plurcisve Epi-

stolas, in quibus laboris fructum explicaret. Quare nihil mirum, si cum totâ vitâ sedulitate hac fuerit, nihil tandem posset obiici, quod quasi alter Oedipus non statim interpretaretur. Eodem porro modo sese comparauit circa res Naturæ admirabileis; de quibus, quia passim varia diximus, non est cur speciale quidpiam attexamus. Memorare id sufficit, neminem plura aut obseruasse, aut obseruari procurasse, ut aliquæ tandem saniores, purioresque vulgaribus notiones rerum elicerentur: qua de causa suspexit genium, comprobauitque institutum Cancellarij Anglorum magni, Francisci Verulamij, quem sæpius doluit non conuenisse, superstitem adhuc, cum fuit, venitque postremum Parisiis. Displicebat profectò illi quæ Physica vulgò docetur in Scholis, tanquam nimis vmbratica, & ingeniorum potius technis, quàm experimentis naturæ innixa. Heinc corrugare solebat frontem, totumque vultum contrahere, cum incidisset in Physicos, qui subtilitate potius, quàm soliditate certarent; & acumen licet commendans, dolebat tamen ipsum verbis, distinctiunculisque potius deteri, quàm penetrandis ipsis rebus, ne sua quidem fronte perspectis, impendi. Ac si illi quidem forent opiniosissimi, & siue Aristoteleæ, siue alij sectæ deditissimi homines, ipse illos sibi sapere sinebat, neque quidquam contestabatur: sin autem ij essent, qui veritatis amore præiudicium deponerent, & leniter audire mallent, quàm contumaciter obloqui; tum eos sermones ipse fundebat, qui ab illis cum voluptate, & applausu exciperentur. Nam quantum-

tuncumque aliquas eius opiniones non protus probarent, mirè tamen afficiebantur, dum sua ratiocinia confirmaret semper, aut obseruatione rerum, quæ, licet vulgares, non satis tamen aduerterentur; aut relatione tam priorum, quàm alienorum experimentorum, quæ proferte semper multa potuit (adeò fuit semper adnotandorum, congerendorumque curiosus) aut exhibitione ipsarummet rerum, de quibus quæstio incidisset; inexhaustâ enim abundauit copiâ rariorum mineralium, lapidum, plantarum, animalium, quæ quocunque pretio, aut quacunque arte, haberi, ac seruari possunt. Ex his ferè elicitur non placuisse ipsi Dialecticas illas, Metaphysicasve argutias, quæ nihil bonæ frugis haberent, & fouendis solùm clamorissimis contentionibus essent comparatæ. Tamen si enim delectabatur, dum quid argutè concluderetur; simul tamen ægrè ferebat, quòd foret de re nihili. Sic sæpè etiam afficiebatur, cum audiret verba facientis de rebus illis sublimibus, ac non cadentibus in sensum. Nam posse quidem humanam mentem ad vsque Ideas, & separatas Substantias intelligendas prouehi, id mirabatur, commendabatque: at somniare tamen de illis tam multa, & analogiis, ratiociniis que adeò leuibus communitur, id non comprobabat, sed miserabatur. Dolebat nimirum, præclara ingenia prætergredi incognita, intactaque ea, quæ oculis patent, subiiciunturque manibus; excurrere verò ad ea, quæ ne coniectura quidem verisimili attingere licet. Quin dicebat etiam subuereri se, ne Doctores sibi, nimirum arrogant,

cum præter ea, quæ fides docet, adeo confidenter de Deo, rebûsque diuinis disputant tam multa. Nam inconcussa quidem habenda decreta omnia fidei; at quæ præterea edisserunt, non esse posse non incornperta: & cum nihil ab vno, nisi pluribus reclamantibus defendatur, videri posse sacratissimi argumenti maiestatem minui. Hacce de caussa ferebat quidem publicas illas de Logicis, Physicis, Medicis, aliisque huiusmodi rebus parùm iuuanteis altercationes: at circa res Theologicas, impatienter ferebat frontem, qua conspiciebat homines assumenteis se probaturos DEVM non esse, esse iniustum, impotentem, improuidum, miserum, alia: quoniam tamen id fieri veritatis illustrandæ causâ diceretur, parùm tamen decorè fieret; neque vllus Princeps, cordatûsve vir similia de se, cum præsertim nihil opus foret, controuerti non ægrè ferret. Æquiùs tolerabat disceptari mores, dum tamen etiam Religionis, Patriæque statuta illæsa manerent. Censebat enim quammaximam habendam esse legum rationem, quæ desiderandæ quidem essent optimæ, at qualescunque tamen essent, venerationem mererentur. In earum quippe obseruatione salutem ciuium consistere; adeo vt etiam minùs iustæ iustioribus visis salubriores fierent, si religiosè obseruarentur. Porro qui sic affecti essent, minùs improbat, si aliunde ritus institutæque variarum gentium specularando cognoscerent, & cum nostratibus etiam compararent. Heinc enim putabat hominem ingenuum exuere posse præoccupationem, qua vulgus legem naturæ putat,

quicquid sibi in vsu est, nihilque ritè fieri, quod moribus suis videatur alienum. Nempe, cum omnibus discussis, viderit cæteras nationes suos quoque mores suis tueri rationibus, & vnamquamque reliquarum consuetudines improbare; tum posse illum animum suum supra vulgarem conditionem euehere, & defensurum quidem sua, sed æquum tamen se præbiturum aduersus omneis homines, futurumque, Socratis instar, non vnus tantum regionis, sed Vniuersi totius ciuem; nihil admiraturum in rebus humanis, & vt paucis dicam, ea existurum temperatione animi, vt maximam tranquillitatem, maximumque ad eò bonum consequatur. Eam certè ob causam, non ex libris, narrationibusque vulgatis modò, varietatem morum cruebat, & vel solus, vel cum amicis subiiciebat exàmini: sed diligentissimè etiam quotquot aduenirent ex dissitis locis, rogabat ecquid illeie gentium circa instituta speciale notassent; ac si quoquouersum qui discederent, vt notarent, adhortabatur. Hac verò ratione sic erat imbutus nationum omnium tam antiquis, quàm recentibus moribus, vt nihil penè noui renunciari posset; vtque apud omnes siue natus, siue conuersatus fuisse videretur; atque ad eò ad bonitatem, qua sponte naturæ aduersus omneis effundebatur, id humanitatis genus adderet, quo cuiusuis demum conditionis homines, tanquam fratres complectebatur; paratus omnibus prodesse, nocere autem nemini. Nam exosa quidem habebat vitia illa teterrima, impietatem, crudelitatem, malitiam, perfidiam, & vno

verbo cætera : sed humanam tamen naturam à prauitate seponens , & considerans , commiserabatur , quòd illa præ imbecillitate , excæcationeque non teneret virtutis viam . Scilicet homines non satis animum aduertere ad cupiditatum naturam , & ad germanos bonorum fineis . Si enim perspectum haberent , quàm pauca naturæ sufficiant , exularent dolus , & fraus , quibus superuacua quæruntur ; & , si agnoscerent opum vsum , non exularent humanitas , honestas , moderatio , sine quibus societas , priuatæque vita continuò turbatur . Ad-hæc , Mathematicas artes , quantum poterat , excolebat ; quòd altercationibus illis , de quibus antè dicebamus , minimè forent obnoxia ; & mentem aliunde sic imbuerent , vt partæ per demonstrationem veritati assuefacta , ipsa veri specie non faciliè deciperetur ; ac demùm sui euidencia , certitudinèque eam voluptatem crearent , qua maior , & honestior , constantiorque esse non possit . Et non vacauit quidem scrupulosè singulis illarum partibus incumbere ; sed nosse tamen voluit quæcunque præcipua , atque faciliora in omnibus fuerunt . Adamauit autem præsertim Astronomiam , quòd homo natus ad contemplandum , nihil possit maius , sublimius , excellentius , illustribus illis plagis inspectare . Deinde Geographiam , quòd illa , vnà cum Chronologia , Historiam maximè colustrent , præstentque ne viri ingenui , ac aliundè literati , gerant sese pro pueris ; quin potius in totius orbis , atque temporis quasi possessionem mittantur . Postea Opticem , quòd per illam explicentur causæ

tam multarum rerum, quæ apparent oculis, quæque vel mirabilia habentur, vel nisi habeantur, sola familiaritas, & inconsiderantia facit. Heinc illum pictura mirè delectauit, eaque occasione & Pictores aluit, & tabulas varias, imaginésque obtinuit, quarum præstantiam diiudicare, si quis alius, maximè nôrat. Frequenter verò testatus est, pœnitere se maximè, quòd à teneris vsque annis pingendi artem non didicisset; optarèque, si fieri posset, digitis duobus sinistrae manus redemptam peritiam, qua dextra careret. Quippe tametsi tam in Patria, quam extra illam implorasset Pictorum variorum industriam, effigiandis rebus, quæ occurrerent; nihilominus neque semper adfuisse sibi peritorum copiam, neque potuisse alienas manus adeò frequenter vsurpari, ac sibi è re fuerat. Pari ratione Cælaturam, Sculpturam, Plasticen amauit, ac artifices habuit, qui antiqua opera vel restaurarent, vel imitentur. Pari quoque Architecturam, vniuersèque Mechanicas, seu quæ machinis, organisque artificiosis circa aquam, & cætera, res mirabileis exsequuntur. Pari etiam Agriculturam; & vt breue faciam, omnem artem, atque industriam: adeò semper illius mens non ad vnam quasi Cynosuram, aut Helicen; sed ad omnium artium, ac disciplinarum vniuersum ecælum, obtutum intendit. Superest aliquid adiciam de opinione vulgò effusa, quòd componendis variis Libris, & tractatibus admouerit manum. Et sanè haud negandum quidem, quin dudum spem multam fecisset edendi in lucem. Antiquitates Prouin-

ciz, eculgandisque observationes in numismata, selectaque alia prisca rerum monumenta : quin flagrasset pridem desiderio emittendi commentarios de Medicis sideribus, & Calendario Constantiniano ; quin voluisset perfectum opus de ponderibus, & mensuris publici iuris facere ; quin multa quoque alia argumenta non affectasset : quoniam, ut nullum fuit genus laudabilis eruditionis, quod animi sui amplitudine, curiositatéque non fuerit complexus ; ita nihil propemodum fuit, de quo aliquid scribere pereruditè non destinârit. Veruntamen nihil demum fuit, cuius scriptionem fuerit aggressus ; si ea excipias, quæ, ut iam innui, in Epistolas transumpta inseruit : nam de libello quidem illo indigitato Squitino quid sentiendum foret dictum est suo loco. Is nempe optimus vir fuit, qui factum satis nunquam putarit, quantumcunque monumentorum aliqua de re obtinuisset : adeò ut toto quidem ævo congesserit varia de argumento quolibet ; sed, quia quo plura nanciscebatur, eò sibi plura deesse censebat, nihil tandem digesserit, imò ne inchoârit quidem. Memini verò, cum fatigaret à comprouincialibus circa Historiam Prouinciæ (an scilicet breui foret proditura) quæsiisse ex eo, quoniam usque vellet responderè me nihil aliud, quam laboris quidpiam adhuc superesse ; ac tum subridendo excepisse illum, idèò interesse, ut opinio perualgaretur de extrema manu breui imponenda Historiæ, quòd ea ratione plurimi desiderantes sui, suorumque mentionem in illa haberi, maturarent vltro confer-

re vetusta quæpiam monumenta; quæ sæcûs, ne rogati quidem, communicaturi non forent. Adde sperasse quidem illum, vt liceret demùm Belgenferium fecedere, immensamque illam congeriem eò delatam euoluere, ac omnibus ritè digestis aliquid eruere, eaque ratione pertexere, vt mereri posse lucem videretur: at tamen diffidisse quoque tam de sua valetudine, quàm (negotiis semper incurrentibus) de illa otij sollicitate; memor præsertim, quod conrigisset circa secessum nuperum, quò ne recluserat quidem scrinium circa memoratam historiam; tamen Valauesius, qui auctor componendi fuerat, sollicitaret, & se adiutorem, scribàmque offerret. Quare cum idem subuereretur, & omnia tamen perire nollet, id cepit consilium, quod iam diximus; vt ex occasione interdum subnatis, interdum quaesitis, Epistolas conscriberet, in quas præcipua quæque referret. Heine dicere licet plerasque extare, quæ eruditionis refertissimæ pro totidem libris haberi, ac in lucem edi omnino mereantur. Huiusmodi complures sunt, in quibus de rebus antiquis, ac rebus naturæ mirabilibus ita disserit, vt nemo non inde erudiri possit. Minimè autem grauabatur, quæ rara habebat eius generis cum viris & bonis, & amicis communicare; quoniam eruditos semper deligebat, qui exinde proficerent, & in elaborandis variis operibus adiutarentur. Perinde enim esse censebat, seu ipse, seu alij publica illa facerent, si modò ea iudicarentur, quæ legi vtiliter possent. Quin etiam sperabat, ac profitebatur, vbi illa inserta forent cæ-

terorum operibus, tantò vtiliora futura, quantò per manus eruditas illustriora euaderent. Se nimirum non alio fine quætere, & suggerere, quàm vt essent irritamenta præclaris ingeniis, ad comminiscendum meliora. Esse enim se imparem, qui fœtum maturum, elegantemque produceret, aut articulatim lambendo formaret; fœlicem satis, si quomodocunque parturientibus obstetricaretur. Solebat proinde, etiam non rogatus, cuius scribenti ita adesse, vt nihil non subministraret, seu ex propriis obseruatis, seu ex cimeliis (non suis modò, sed aliorum etiam ob eam causam impetratis) seu ex MSS. quos nisi haberet, ex Bibliothecis quibuslibet obtinere satagebat. Ne memorem, quòd neminem ad scribendum quidpiam de re quacunque idoneum, non sollicitauerit, impedimenta, si quæ forent, amolitus non fuerit, pecuniam, libros, & alia, si quæ opus essent, non fuerit largitus. Sed de Epistolis dicere vt pergam, sunt etiam dignissimæ typis Morales complures, quibus consolatur, hortatur, dissuadet, aliæque miro cum lepore, ac energia exsequitur: sed nusquam, vt puto, facundior, quàm dum literatos viros admonet, vt à similitudinibus caueant, à conuitiis, dieterisque mordacibus abstineant, antiquitati honorem habeant, nec sine specie aliqua reuerentiæ ab ea discedant: iudicium de rebus obscuris, atque controuersis non præcipitent; ambigua pro certis neque complectantur, neque diuendant; proferre sua potius, quàm euertere aliena affectent; non eos imitentur, qui iter facturi immorantur in egerendis quosquot occurrunt

currunt lapidibus, aut fasciculum rosarum lecturi, spinas prius omnes ex roseto demerunt; parcant, excusent, eleuent, si quid peccatum ab aliis; cogitentque, æquissimam tandem dignam laude censendus sit, si impeccabilis duntaxat laudandus; gratè potiùs excipiant, quòd illi glaciem secuerint, calceisque asperros complanare saltem tentarint: agnoscant nihil esse initio perfectum, neminemque suos conatus collaturum in publicum, nisi aliquam potiùs gratiam, quàm reprehensionem sperarit: meminerint se homines esse, & lapsibus quoque obnoxios, ac eo nomine merituos, ut sibi quoque ignoscatur, si ipsi in alios æqui fuerint; atque id genus alia, quæ referre prolixum foret. Sunt quoque Epistolæ aliæ, quibus commendat, petit, excusat, gratulatur, exoptulat, cæteraque similia agit, tanta venustate, & gratia, ut desiderari nihil possit; adeò natus fuit seruando decoro, excogitandis rationibus, affectionibus commouendis. Prætereo autem illum perrarè Latinè scripsisse; ac usum præsertim Gallico sermone, aut Italico, cuius suauitatem, venerè que omnes suis non modò Epistolis, sed colloquiis etiam cum viris Italis expressit. Ac talis quidem ille Vir fuit. **REDEO** iam ad tempus, quo prædiximus

1637.

ipsum incidisse in lethalem morbum. Taceri verò primùm non debet, percrebuisse Romæ ante paucos menses rumore de illius morte, indè que Parisios etiam peruenisse: vnde Valuesius illic tum degens, literas dedit congratulatorias, & meliorum votorum plenas. Non silendum etiam, quòd ipse

Ccc

1637. Peireskiius, quadriduo priusquàm decumberet, huiusmodi somnium nobis enarrauit. Videbar, inquit, audire Sacrum in Sacello Palatij, cùm prolapso fastigio, contignationeque effracta, ipse, aliique Senatores, ac Sacerdos obruti sumus. Cùm verò ad strepitum primum vellet Sacerdos expauctus sacrificium deferere, Ecquid, inquam, times, ô bone, qui DEVM habes præ manibus? Quanquam hæc attingo, non vt videar portenta quædam congerere (vt solent multæ fabulæ pari occasione narrari) sed ne ad finem properanti prætermittatur aliquid, quod singulare videri possit. Cæterùm enim fabulas dixi, quæ referuntur vulgò similia; quòd nisi planè falsa sint, occasione saltem leui detorqueantur, & mero casu potius contingant, quàm ex instituto naturæ, cui maiori curæ non est sapiens, quàm morio, clarus, quàm obscurus. Quod ad memorata certè attinet, non hac sola vice rumor similis de Peireskij morte fuerat euulgatus, vt suis locis attigimus; potuit autem tantò facilius occasionem accipere, quanto sæpius auditum est ipsum cum morbis colluctari. Aliunde dies non multi erant, ex quo tectum Palatij magna ex parte conciderat: quare nihil mirum, si is casus animo Peireskij infixus sui speciem, vt vulgò fit, inter dormiendum excitauit; sed mistis aliis circumstantiis, ob factam aliarum specierum intercedentium confusionem. Vt cumque sit, inualecebant tota vrbe malignæ febres, càmque ob causam, cùm nullum sibi prætermissum officium vellet, non itabat modò ad Præsidem primùm, eiusque

vxorem iam conualefcenteis, vt retulimus; sed aliis quoque frequens aderat, de quorum salute sollicitus erat. In iis fuere & Franciscus à Sancto Marco laudatus Senator, cuius amorem ingenuum, constantemque summe colebat; & Gregorius Francus familiaris medicus, in quo artis peritiam, lenitatemque morum amabat; & Natalis Galliardus raræ indolis adolescens, quem vt sperabat aliquando in iudiciis regnaturum, ita ob insignem affectum, quo erga bonas literas accensum nôrat, deperibat. Cùm essent & complures alij, ac morbi essent populares, & feruores augeterent, neque tamen ipse præterea aut abstineret à Senatu, aut à curandis amicorum, domesticisque negotiis, aut ab adiutandis studiosis, aut ab Epistolis scribendis, aut à disquirendis, atque obseruandis rebus variis; difficile sanè non fuit id, quod euènit, augurari. Accessit, quòd cùm inuississet Massiliensem quendam amicum in diuersorio decumbentem, transferri illum in ædeis suas, vt nitidiùs, studiosiùsque curaretur, voluerit, ac sæpiùs ipsi adfuerit, & per ipsum quoque delirium, aliàque morbi symptomata arteriam attrectauerit, idonea verba dederit, de victu, deque omnibus necessariis ipsi rebus continenter prouiderit. Ac ille quidem tandem conualuit; verùm dum conualesceret, cæpit Peireskian malè habere. Dies erat Iunij decimus, cùm sub auroram expergefactus, vbi agnouit sese indusium, ob sudoris frequentiam, tota nocte non commutasse (vt bis, aut ter debuorat) & persensit interea cum leui sudore frigus horridiusculum, oculos aperuit; &

1637. cubiculi non ritè occlusam fenestram conspiciens, morbum sibi ipse præfagit. Heinc cœpit capite dolere; sed surrexit tamen, & curiæ interfuit, amicis-que, & ægros quosdam pro more inuisit, atque salutavit. Domum regressus, cùm dolor ille nihilo fieret remissior, prandere prorsùs recusavit, sperans (quod antè diximus illi non rarò successisse) fore, ut si integrum diem abstineret planè à cibo, & potu, ingruens malum auerteretur. Totum pomeridianum tempus aut sedit, aut decubuit; donec sub solis occasum inuisenti illum optimo Campinio occurrere voluit, tunicâ assumptâ, & post confertos multos sermones, ad limen domus deducere. Exeunte illo, aduenêre, salutaueréque Raymondus Maranus Guillelmi filius, & in eadem Tolosana Academia iuris professor, cum ingenuo adolescente Fratris consiliarij filio, quibuscum aliquandiù agendum in atrio, ac denudato capite fuit: cùm simul intereà de ipsis domo excipiendis curam agitaret, forétque multùm anxius, propter occupatam, quæ illis magis congruisset, ædium partem. Ægrè postcà conscendit gradus; & cùm se demùm recepisset in cubiculum, dolor-que cum febre ingrauesceret, parum iusculi solùm hausit. Observârat, quoties à cibo, potúque prorsùs temperaret, nulla se laborare siti; quare tum, iusculo assumpto, sitire sese comperiens, haud boni esse ominis duxit. Die insequenti, quo festum fuit Dominici Corporis, rogatum misit, cuius suprà aliquoties meminimus, celebrem iuris antecessorem Hannibalem Fabrotum, qui cum hospitibus versa-

retur. Ipse totum diem decubuit, ac præter febrim, dolorem renum, hæmorrhoidúmque perfenfit. Die alio secta ipsi vena, & perseverante febre, balnari aqua interdictum. Sub vesperam decimi-tertij dolor capitis, cum febre increvit. Sequentè paullò meliùs habuit, voluitque redeunte Parisios cursore, qui à Valauesio literas detulerat, manu sua rescribere: at tamen postquàm ter tentavit, tètque calamus, cuius vitium esse opinabatur, commutavit, tertio tandem versu ita manus hæsit, vt illa postrema ipsi fuerit scriptio. Cùm interim Ioanni Saluatori, quo medico tum utebatur, de apparanda potione agrè consensisset, hausit illam proximo mane: & se ab ea non malè habens, in curas varias incubuit. Die decimo sexto literas ad Fratrem dictavit, quibus morbum extenuaret; & sub noctem tamen apparere illi ad dorsum frequentissima exanthemata fati magna, ac rubicunda. Subsequentum est febris incrementum, & nox insomnis penitùs. Heinc die alio sub vesperam eductus est sanguis ex interiore dextri pedis suffragine, vt auerteretur delirium, quod in morbis huiusmodi & frequens, & vehemens erat. Ac die quidem consequente, qua iam difficilior facta respiratio, tentatus delirio non fuit; sed fuit tamen decimo-nono, agnoscente me, ac vestigia cruditionis obseruante. Die vigesimo, quo non tanta fuit, quanta superioribus, stranguria, aliquantò se meliùs habuit; nisi quòd à meridie delirium apparuit paullò sensibilis; tametsi id fuit semper cruditum, mihi que duntaxat perspectum. Nimirùm &

1637.

me ferè vnum alloqui volebat, & parùm prorsùs loquebatur, & submissè, difficilè, ac lentè expromebat verba. Die sequente delirium fuit adhuc vehementius: sed vehementiore nempe facta febris, per quam denuò apparuerunt plurima exanthemata; & qua nonnihil visà remitti, cucurbitulæ applicitæ fuerunt. Cùm videretur proinde tam Saluatori, quàm Prifio Insulano medico periculosè laborare, prouidendum nobis fuit, ne absque salutifero viatico exiret è viuis. Re illi proposita, annuit, Sacrumque prætereà intra cubiculum audire die vigesimo secundo optauit. Quare memoratus Minutius, ex Minorum ordine, licentiâ ab Archiepiscopo impetratâ, & Sacrum fecit, & Sacramentum Eucharisticum illi ministravit. Exceptit priùs confessionem optimus Rector Congregationis Oratoriæ Iacobus Resius, qui pridem, dum ille incolumis foret, excipere consueuerat. Peracta hæc sub horam nonam, cùm ille continenter sellæ insedisset, cui imponi se iusserat, vt facere posset vrinæ dimanationem faciliorem. Defessum nimis arbitrabamur, cùm loco emoueri renuit, semouerique arbitros iussit, vt capita quædam Testamenti dictaret. Præcipua fuère, Velle se condi in Maiorum sepulcro; intra Sacellum videlicet Ecclesiæ Dominicanorum, quod ad cornu læuum maioris altaris. Legare ipsis Dominicanis libras turonicas trecentas, Oratorij Patribus mille. Mihi mathematicos libros omnes, cum instrumentis omnibus, & ex libris cæteris, arbitrato meo volumina centum, cum Vendelini effigie. Scipioni Pererio, in

pignus affectus, Florentinorum Pandectarum exemplum; Hannibali Fabroto volumina de iure sex, pro arbitrato deligenda; Balthazari Viafio sex numismata, pro eius delectu; Arthuro Oliuario ex antiquis annulis vnum; Bonifacio Borrillio iconem Rubenij. Nepoti, lustricis filiolis, viris officiosis, famulis (quos inter meminisse voluit Antonij Agarrati, operam mihi inter obseruandum res cælesteis conferentis) summas pecuniæ varias. Illi, quem ad aurem Fratri nominârat (euentus autem Cardinalem Barberinum fuisse probauit) Pentateuchum Samaritanum. Hæredem instituere Fratrem, & testamenti curatores Honoratum Agutium Senatorem, & mox nominatum Balthazarem Viafium. Id cum in acta fuisset relatum, publicatumque sub vesperam, subscribere ipse, præ debilitate, non potuit. Vrina interim retenta, tumorque magnus, ac intensus ad ipsam vesicæ regionem subortus. Die vigesimo tertio manè, satis quietè se habuit, ægréque tulit fomenta quædam tumori illi applicari. Circiter meridiem hortatus est me, ne Solis altitudinem inobseruatam præterirem; meminîtque interrogare, solstitium-ne exactum foret. Non multò post verba delirij; sed curiosi semper, atque eruditi. Sub horam quartam, educenda chirurgi ope vrina fuit. Is, cum cereâ candelâ vsus nihil proficeret, catheterem, seu organum Algaliæ dictum vsurpauit. Et satis quidem tum deriuatum; sed immenso viri labore, qui, cum stare ipse non posset, continendus erectus fuit. Cum non-nihil interquieuisset, epistolium ad fratrem di-

1637. Et ait : ac post horam nonam chirurgus iterum vrinam eduxit : verum parum abfuit , quin deficeret , tanto dolore , tanta simul lassitudine fuit affectus. Die tandem vigesimo quarto , ac sub ipsum exortum Solis , rogavit illum Minutius , num sibi extremam Vnctionem administrari pateretur. Annuit se id etiam optare ; & cum paullo post Parochum adesse renunciauimus , Valdè sum ipsi obstrictus , inquit. Tum innuens vt aurem sibi admouerem , mandauit curarem libras duodecim Parocho exeunti donari. Sic semper sollicitus fuerat de persoluendis tam medico , quam chirurgo in quaternos dies honorariis. Cæterum , cum absolutiones à Parocho pronunciantur , ipse sponte , ac manu sua sese crucis signo communiit. Testatus est etiam oblectari se , cum inunctio perageretur. Adstisti deinde , ac iussi bono esse animo : nam si DEVS quidem hanc vitæ , laborumque metam præscripsisset , fortiter ferendum , sequendumque Ducem , quo solitus erat animo infractus. Hæc autem ad verba annuit leniter. Pronunciavit postea Minutius generalem absolutionem ; & , cum proposuisset dimittendum aliis , vt vellet sibi à Deo dimissum , quicquid in ipsum peccauerant ; respondit statim , ita esto. Interim regio abdominis , quam prætumidam , intensamque iam diximus , emolliri non-nihil visa , ita deinceps tensa est , vt questus fuerit se suffocari. Abnuerat à die superiore cataplasmata ; tum autem superueniens Refus , vnà cum Minutio , rogauit , vt DEI amore applicationem pateretur. Ille autem , quia ergo vobis ita videtur , ita fiat.

fiat. Non longum tamen pertulit tempus; sed amoueri breui pòst iussit, suffocari se interim conquestus. In remedium ergo ciendæ vrinæ quæsitus chirurgus; sed is in villam nescio quam, aut quid acturus discesserat. Requisiti alij, vel manum adhibere ausi non sunt, vel destituti organo fuerunt. Iussit intereà se fellæ imponi, verùm, demissis pedibus, sustentare se iam ampliùs nihil potuit; imò supra fellam ita est collapsus, vt deiecto collo, distortisque oculis visus fuerit nobis animam efflare. Restitutus lecto sic vireis resumpsit, vt potuerit adhùc de suffocatione queri. Aduenère tum primus Præses, ipsiusque coniunx, qui curforem nouum ad chirurgum euocandum instigârunt. Accersito interim alio, in excensu lecti constitutus fuit; sed chirurgo frustra adnitente, ob corrugatum præputium, catheterem inducere, est iterùm planè collapsus. Resumpserat aliquid virium, cùm chirurgus alius sub meridiem redux organum vix tandem intrusit, vrinámque frustra excire tentauit: ac ipse defecit iam tertium, lectoque licèt repositus, parùm virium recuperauit. Verbum certè nullum deinceps emisit; tametsi creberrima illa, difficillimáque respiratio visa est interdum vocalis. Heinc à Resio admonitus, vt Seruatoris IESV nomen salutiferum pronunciaret, obsecundare non potuit; & rogante illo, vt signum pietatis, quale posset, ostenderet, ostendit aliquoties, oculis sublimè elatis. Denique tot laboribus, doloribúque conflictatus, animum DEO reddidit, paullò ante horam à meridie tertiam: cùm vixisset annos LVI, menseis VI, dies

1637. XII. horas XX. Ab excessu, curauit Nepos perhonorificum apparari funus. Et quia tum domi versabatur plastes, sculptorque egregius Petrus Pauillonus, quem ὁ μακαρίτης ante duos menses Roma redeuntem detinuerat, vt & truncam Dianæ statuam, & Tripodem lacerum, & opera alia marmorea restitueret; ideo vsurpata illius industriâ, vt gypseum plasma deformaretur ex totius oris dimensionibus, quò deinceps statua quam-simillima ex marmore conficeretur. Medicis quoque visum est parteis corporis internas spectare, vt mortis causam, licet non foret prorsus obscura, perspicerent. Itaque nocte consequente in id incubuerunt, exsectoque cadauere, deprehenderunt cor, iecur, pulmones, cætera non malè affecta: vesicam verò parte anteriore id contraxisse vitium, vt madefactæ papyri instar, vel leui tactu discerperetur. Heinc creditum illam ab vno, alteròve die disruptam, urinamque proinde effusam in regionem abdominis, memoratum illum tumorem creasse. Postica pars sana, & integra magis: in fundo autem copiosum phlegma, cum arenulis non admodum multis. Ad sphincterem catuncula, callosæ substantia fuit, quæ internè lunulata, & triente propè digiti densa meatus orificium obstruebat. In sinistro rene nihil insolitum: at in dextro fuere arenulæ multæ, cum plerisque calculis, ex quibus tres maiores visi; vnus quasi amygdalum: cæteri duo quasi lupini. Ex hac ergo causa nephritis ad dextrum latus fuerat; vt stranguria ex obturato per catunculam orificio. Insequenti die,

qui fuit v11. Kal. Quintileis, elatum funus magnâ 1637.
 pompâ, magno omnium bonorum luctu; conditumque fuit, dum sacra solemniter peragerentur, in illo maiorum conditorio, ad ædem Diui Domini-
 ci, vndecimâ horâ ante-meridianâ. Aberat magno suo dolore Valauesius frater Parisiis, cum triste factum nuntiatum est. Præter enim acerbitatem, desideriumque erepti carissimi capitis, mœstitiam auxit, quòd assidere laboranti non contigisset, quòd non fouere deficientem, non satiari vultu, & complexibus, non mandata excipere, non extremas voces, quas penitus menti figeret, audire. Qui illi casum aperuere, literasque nostras simul reddidere, fuere Fratres illi Puteani, quibus amicis optimis Fratrum vterque semper est usus. Ex iis natu maior Petro Seguierio Cancellario carus, rem illi nunciandam suscepit. Cum ipsum verò offendisset magnâ frequentiam circumseptum, & rogatus num quidpiam vellet, quid esset rei significasset; tum ille, secedamus inquit, grauiorem enim casum narras, & vir ille maior, affinisque carior nobis exstitit, quàm vt obiter dolendum videatur. Valauesius autem, consternatus licet, generosè tamen animos resumpsit, & Cardinalem Lugdunensem conuenit, qui ipse quoque pro amore, quo erga Fratrem fuerat, testatus est insignem luctum. Accessit etiam ad maximum, & toto orbe, totoque æuo celebrandum Ioannem Armandum Plesseum Cardinalem Richelium, qui & copiosè significauit quàm caram haberet *ts max-
einu* memoriam, & Abbatiam Aquistriensem vltro

1637. collatam voluit eius ex sorore nepoti, ac Præfidis rationum primi Henrici Seguirani filio. Adueniens deinde post vnum, alterúmve mensem in Prouinciam, nihil potiùs habuit, quàm iusta persoluere, adesséque etiam exsequiis, quas, constituto Cenotaphio Riantienses celebres fecerunt. Scripsit quoque illicò Genuam, vt marmor inde auheretur, erigendo monumento, quod & Fraterno nomini, & amori mutuo esset consentaneum. Cæterùm statim percrebuit rumor, interiisse Peireskium, quà orbis patet literatorum; qui vniuersè perculsi sunt, quasi Parente, ac Principe rei literariæ defuncto. Nempe cùm omnium spes foueret, animos omnium erigeret, omnibus præsidio, & auxilio esset; non potuère omnes non frangi, concideréque animis, quasi subducto spiritu, quo vniuersi animabantur. Statim autem dico: nam ecce Lugdunò etiam Batauorum, III. Eidus Iulias datæ à Salmasio ad Putcanos literæ sunt, quibus se ineptum ad omnia ex renuntiata morte perscripsit. Et ne præteream quæ subdidit, *Impar sum, inquit, animo firmando, qui animo planè despondeo, studiaque nullo habeo loco, ex quo ille non superest, qui ipsorum fautor, promotorque erat. Ac temperaretur quidem desiderium, si licuisset superstiti testatum facere affectum, quem ob collata beneficia merito iure conceperam: nunc autem est mihi moriendum ingrato, quando ille est grati animi significationi præmortuus. Quod possum, illud superest, vt ipsius memoriam veneratione prosequar, & scriptis meis ea transmittam testimonia in posterum, qua incomparabilis virtus, meritáque nunquam*

fatis aestimanda deposcunt ab homine, qui illum, dum vixit, suspexit, pluraque ab ipso beneficia, quam abs quocumque mortalium tulit. Sed dicere plura non possum, quin effluam totus in lachrymas, & necesse est stylum heic aberrumpam. Ecce aliunde literæ Româ postridie eas Eidus conscriptæ à Naudæo sunt, quibus hæc inter cætera, Heu rerum vices! heu fata infanda! heu mors acerba, & infensa bonis omnibus, quæ gestienti latitiæ intercessit; viro illo incomparabili, tunc cum nihil minùs, quam de eius obitu timebatur, è viuis sublato! Vbi enim crinitum sidus effulsit? ubi de cælo insonuit? ubi terræ-motus, & fragores insoliti, spectræque, & portenta apparuerunt, in eius viri, omnium maximi, omnium optimi, sapientissimique interitu? sanè ludunt nos, &c. Alias prætereo literas, in quibus illa passim leguntur, Nulla ferent talem sæcla futura virum. Et, Quando ullum inuenient parem? Et, Occidit igitur spes nostra? occidit Sol noster? occidere Charites? occidere generis humani deliciæ? occidit ille, Solus, qui tristis hæc tempestate Camænas Respexit? Alias etiam prætereo, quibus amici, etuditique, in quorum pectoribus candor, & gratitudo inhabitat, vt dolorem testati sunt, sic consolationem mutuam adhibuerunt. Peruenire ad me complures; sed principem locum ex tenent, quibus lo. Ludouicus Gayus Balzacus, celebris ille scilicet, cui nemo non Gallicè modò, sed Latine etiam scribentium elegantia palmam non facillè cedat, singulariter parentauit. Prætereò rursus Epicedia, Epitaphia, Threnos, Encomia, Elogia, quæ tam prosa, quam carmine, variisque linguis sunt euulgata; sed Latine potissi-

1637. mùm, à Grotio, Rigaltio, Dumayo, Gothofredo, Gaffarello, Billono, & aliis; ex quibus nemo succentat, si honoris causa Viasium seponam, qui ut Peireskium summè coluit, ac summo illi in pretio fuit; ita se impigrum exhibuit in condendo poemate, quo laudes viri egregias prosequutus est decentissimè, copiosissimèque. Quamquam operæpretium erit, si præterea selegero, attextueroque Epitaphium, quod à Rigaltio contextum est, quòdque Valaefius delectit, ut monumento incidatur. Id igitur ita se habet.

HIC. SITVS. NICOLAVS. FABRY. PEIRESCIVS.
AMPLISSIMI. ORDINIS. IN AQVAV. SEXT.
CVRIA. SENATOR.

CHRISTIANAM. RESVRRECTIONEM. EXPECTAT.
RECONDITISSIMOS. ANTIQVARIÆ. SVPEL-
LECTILIS. THESAIVOS.
SAGACITATE. CONSILIO. LIBERALITATE.
CVNCTIS. ORBE. TOTO.

DISCIPLINARVM. STVDIOSIS. APERVIT.
DOCTISSIMIS. VNDE. PROFICERENT. SÆPE.
MONSTRAVIT.

MIRA. BEATITATE. FELIX.
SECVLO. SATIS. RIXOSO. NOTISSIMVS. SINE.
QVERELA. VIXIT.

VIII. CAL. IVL. ANNO. CHR. CIO. IDC. XXXVII.
ÆTATIS. SVÆ. LVII.

OPTIMO. VIRO. BONOS. OMNES. BENE.
ADPRECARI. DECET.

Enimverò præterite non decet funebreis honores

Romæ habitos ; cùm vel reticere non debeat callida virtutis æstimatio , qua viri sapientissimi etiam hominem Transalpinum condecorandum esse censuerunt. Cùm enim & Pontifex Summus, & Cardinalis Barberinus, & cæteri magni, ac eruditi homines non sine ingenti dolore lugubrem casum accepissent ; placuit honores decernere, quibus virum de nomine, orbèque Romano, atque literario benè meritum, exornarent. Cooptatus fuerat, dum in viuis esset, ac tamen absens, in eam, quam vocant Humoristarum Academiam : celebrem nempe societate eruditorum hominum, quorum concio bis quoque mense ita cogitur, vt, magnâ aliunde frequentia, Academicorum vnus orationem pro suggestu habeat, recitent alij poëmata, elucubrationesque alias eruditæ auribus dignas. Itaque visum in eo conuentu publicos honores Peireskio deferre, institutis licet reclamantibus, quibus id honoris conceditur solùm Academiæ Principibus ; adeò vt totis quadraginta annis, consequi ipsum non plures, quàm sex, iisque Principes memorentur. Sed euicit nimirum fama ; splendorque eximiæ virtutis ; euicit summi Cardinalis singularis propensio : euicit Camilli Columnæ Academiæ Principis generosa humanitas ; euicit Academicorum, quorum suffragia inita sunt, admiratio, & obseruantia. Indictus proinde est dies ad xii. Kal. Ianuarias, quo parata subsellia, tapetibusque pullis instrata, vnâ cum suggestu, & imagine τῷ μακκείτῳ, conspicuo loco. Conuenere autem præter Barberinum, fratremque Antonium, Cardinales Bentiuo-

1637. lus, Cueva, Biscia, Pamphilius, Pallotta, Brancatius, Aldobrandinus, Burgheſius: ac cæterorum perilluſtrium, doctorumque hominum multitudo tanta, vt illi capiendæ aula non ſuffecerit. Et carmina quidem in defuncti laudem Italicè, Latinè, Græcè recitârunt lectiſſima totius vrbs ingenia: funebrem verò orationem copioſam ſanè, & elegantem pronunciauit Ioannes Iacobus Buccardus delectus ad id muneris, tum ob raras ingenij doteis, tum ob amorem patrium, ſpecialémque erga Mancis dilectiſſimos affectum. Præcipua eius orationis commemorarem capita; ſed ea aliquoties edita iam eſt, vnâ cum nuncupatione Cardinali maximo facta, cùmque ſubiuncta Epistoſa ad Luillerium iam memoratum. Acceſſere verò editioni Romanæ non recitata modò illa ab Academicis carmina; ſed literæ etiam Naudæi, quarum mentio facta iam eſt; & faſciculus præterea inſignis Elogiorum funebrium, quæ, quòd totius propè orbis idiomatibus ſint expreſſa (quadraginta enim, proximè ſunt) ideò titulus ipſis ΠΑΓΓΛΩΣΣΕΛΑ, ſiue generis humani LESSVS in funere delictij ſui. Cùmque ea editio probari deberet Magiſtro ſacri Palatii, præiuit ecce, declarauitque cenſurâ ſuâ Lucas Holſtenius, illam Buccardi laudationem diſertè, & eleganter, atque ea prorsus puritate, ac candore ſcriptam, quo ſummus ille, & incomparabilis vir ſemper vixerat; & Epicedia à clariffimis, ac præſtantiſſimis viris conſcripta, hoc eſt ipſas Muſarum lacrymas limpido, & erudito Romanæ Academia humore in Pereſij funere manantibus ad tanti viri memoriam poſteritati conſecrandam

secundam typis excudenda ; cùm hominis ad bonas literas, arteisque inuandas nati exemplum sanè illustre oboculos ponant. Atque hæc quidem Romæ peracta paullo fusiùs commemoro : quoniam ea fuit quasi Apotheosis, quam totius Orbis applausus excepit. Nam licèt nemo eruditorum non totis votis optauerit, vt Peireskius fuisset diuturnior recreator hominum (quod olim dictum de Principe) quàm maturior Diuorum comes : attamen placuit omnibus exhibitos illi post mortem honores in eo teatro, cuius fuerat dignissimus creditus, dum esset in viuis. Ac fortassis quidem, si esse contigisset superstiti, fuissent tandem amplissimi, non expetenti licèt, delati; verùm ij nihil poterant gloriæ illius addere, qui suffragiis communibus fuit semper quam-maximis dignus. Quin etiam, vt fuit semper ditior iis, quas contempsit opibus : ita gloriosior honoribus, quos ambire est dedignatus. Quare & licèt medio in spatio integræ ætatis creptus, quantum tamen ad gloriam spectat, æuum peregit longissimum; qui virtute sua obtinuit famam nominis sempiternam. Quippe donec supererunt, qui bonas literas amabunt, memoriam illius carissimam ducent, cuius amorem in literas, & munificentiam erga literatos, per omnibus respersam libros contuebuntur. Multorum passim meminimus; sed reticimus longè plureis, etiam ex inscriptis eius nomini; quoniam obrutis rerum copiâ, visum fatis est ea seligere, ex quibus, quæ essent in oculis omnium, monstrata intelligerentur. Vnum reticere non licet, quod huius loci est proprium;

Ecc

nempe Auctores plurimos consecranda illi destinasse sua opera, quo tempore est fatis functus. Fuère inter illos Campanella, Licetus, Hortensius, Buccardus, Arcosius, & quis tandem non? Quid putas verò præstitum fuisset, si contigisset illi ætatem maturiorem attingere? Plurima sanè, & maxima censeari possunt ea, quæ peregit: at sublatus tamen tunc est, cùm inciperet iam seipsum præclarissimis facinoribus superare. Iam enim plureis sibi vias aperuerat in omnes Europæ Prouincias: in Asiam, ac totum Orientem; in vniuersam Africam, & ad extremam vsque Æthiopiam; in vtramque Americam, & incognitum etiam Orbem; adeo vt iam posset vberius quacumque patet genus humanum, commiscere mortaleis omnis literarum commercio; & literatis omnibus expetita omnia librorum, aliarumque quarumuis rerum subsidia facere in promptu. Sed de iis quidem, quæ fuerant illo superstite futura, DEVS optimus viderit. Luctum certè maximum fecit; cùm Gubernatorem eripuit, qui tenebat clauum Navis literariæ, vel potius ipsam Cynosuram, in quam eruditi omnes respectabant; non substitutâ interim aliâ, ad quam ora obuertant sua. Nam sunt quidem, qui opibus, auctoritate, gratia, certum genus eruditionis, eruditorumque adiuuent, ac foueant: verùm nemo est, qui, illius instar, quolibet, vbiuis sint gentium, studio prosequatur ardentissimo; curas in id omnis conuertat, nihilque non posthabeat; peculium in eam rem exhauriat, liberalissimèque profundat; fide sit apud omnes magna, & occasiones.

benefaciendi voluntate, industria, fœlicitate maxima capret. Vix certè credibile est exoriturum vquam virum, perinde natum, comparatùmque. Nam & quamuis superior ætas, fœlicitate sæculi oppidò perrara, produxerit triumuiros illos, Pinellum, Velferum, Molinum, singulari studio in omne literatorum nomen propensos: Peireskius tamen superuênit, qui singulorum virtutes ita est complexus, vt omnium laudes, quasi infra se positas, prægrauasse videatur. Quin-etiam, cùm ante claros illos viros, vix pauci memorentur Reges, Imperatorésque, qui pari affectu ducti fuerint; videtur Peireskius alia nulla re, quàm opum amplitudine, ostentationéque inferior. Censuère id certè viri eruditi, cùm verè regium, magnificùmque eius animum commendantes, & exemplar beneficentiæ nunquam intermoriturum agnoscentes, prædicauère cum occupasse destinatam Regibus gloriam; ac ipso quoque Mecœnate tantò fuisse laudabiliorem, quantò Augustum non habuit, cuius fauore, largitionéque benefaciendo vteretur. Atque is demùm verus est fructus, quem ille consequutus est, vt gratam sui recordationem in illorum pectoribus consecratam reliquerit, qui ipsum cœlo exæquantés, in omnem transident posteritatem. Splendorem quærunt alij amplificandis Imperiis, ducendis exercitibus, exhibendis spectaculis, Mausolæis, Pyramidibus, aliisque id genus extruendis; sed illos tamen velut inglorios, & ignobileis obliuio tandem obruit; aut, si quæ memoria eorum superest, vel despectui est, vel

affectu caret. Il foli, qui benefaciendo nomen, decusque comparant, immortalitatem sic adipiscuntur, ut nemo vnquam sine ardore, tacitòque sensu gratitudinis meminisse illorum possit.

HAC ière via omnes Proceres, ad quorum amorem post tot sacula nos historia lecta pellunt; hac tu vadis cælesti passu, Ludouice Valési, Principum optime; cuius immensa bonitas sentiri à nobis, non exprimi potest. Haud abs re sanè sum ominatus, tam caram tui memoriam, quàm Timoleontis perennaturam: tulisti me enim, satis memini, de exacta illius vita apud Syracusios, quibus præerat, differentem. Quippe, neglectis rebus tuis, in eam curam totus incumbis, ut laborantem Prouinciam sustentens, foueas, subleues, & (si liceat per tempora) in pristinum etiam splendorem restituas. Perge modo tam tui amanteis, tam in te propensos demereri populos; ij nempe sunt, qui etiam-num Renati illius, ex tua prosapia, Regis optimi, ac beneficentissimi, renascentem gloriam propagant, & colunt. Sed ut concludam, HÆC tandem sunt, qua te iubente, ac aliis variè efflagitantibus, de Peireskio dicenda habui. Non deprecor veniam, quòd extremam manum seriùs, quàm optâris, imponam: nosti enim diuturnum morbum, diuturniorésque reliquias, quibuscum est anni dimidium exactum.

Vix iam certè sum ab iis liber , ut credere possis opusculum hoc valetudine dubia lucubratum fuisse , atque idcirco nihil esse mirum , si animi cum corpore languentis præ se ferat notas. Qualecumque id fuerit , animi saltem erga te obsequentissimi testimonium feret. Ipse interea me comparo , ut ad te (quando pro tua illa rarissima humanitate ita videtur) quam-primum redeam. Tu benè vale , Principum decus. Absoluebam Diania , XII. Kal. Mart. anno salutiferi partus CIO. DIC. XXXIX.

FINIS.



Ecc ùj

Errata quædam Typographica.

<i>Paginé,</i>	<i>Linæ,</i>	<i>Legé</i>
14.	11.	Tendæ
47.	11.	tempore tamq̃
80.	<i>vlt.</i>	quovsq̃
141.	<i>vlt.</i>	zũsimiliũ,
157.	18.	fiçq̃
101.	11.	pro
107.	15.	mortis subditos
145.	8.	sq̃uammosæ
150.	26.	ampliũs
157.	23.	semidiametris.
171.	13.	quidam
101.	26.	propiores.
191.	10.	fractõ.



RERVM ALIQVOT PRÆCIPVARVM I N D E X.

QVÆ AD SERIEM VITÆ PEIRESKII
POTISSIMVM SPECTANT.

- M**AIORES, pag. 11.
& sequentibus. *De*
Patre, 14. & alibi.
Moritur, 106. *De*
Matre, 15. *Moritur*, 18. *De*
Patruo, 14. & alibi. *Moritur*, 108.
De Fratere, 18. & alibi passim.
Supereſt, 195
Natales, locus, tempus, initiatio,
nomina, 14. & sequentibus.
Indoles, ac Mores, 19. & passim
toto opere. Ex professo autem,
copioseque à pagina 331
Ingenium, ac Studia, 20. & se-
quentibus, ac passim toto ope-
re. Specialiter verò, ac fusè à
pagina 157
Gubernaculum literarum arve-
ptum, 50. & sequentibus.
Dofforatus adeptio, 69
Senatoria dignitas, 71. 100. Vide
etiam de ea, 196. 248. 161. 309
Abbatia, 168. 9. 395
Professio in Italiam, 27. & se-
quentibus. *Commoratio Pata-*
nij, 28. & sequentibus. *Excursus*
Venetias, 31. *Romam*, 33. *Nea-*
polim, 41. *Reditus Patavium*,
45. & seq. *Reditus ex Italia*,
59. *Commoratio Monspeliy*, 61.
& seq. *Reditus*, 69
Professio I. Parisios, 81. *Excursus*
in Angliam, 88. *In Hollan-*
diam, 91. *Reditus per Flan-*
driam, 95. *Reditus in Prouin-*
ciam, 98
Professio II. Parisios, 138. *Redi-*
tus * 143
Professio III. Parisios, 155. *Redi-*
tus post septennium, 193
Secessus Belgenferium, 131. *Redi-*
tus in urbem, 261
Amici, quorum foret nimis ope-
rosa enumeratio, passim vbique,
Elogia à claris viris, toto passim
opere.
Morbi, 21. & passim. *Grauiores*,
77. 153. 208. 248. 254. *Extre-*
mus, à pag. 185
Mors, 391. *Funeribus honores Ro-*
ma habiti, 392-400

INDEX.

Quæ ad rem Antiquariam, ac Historicam.

A

- A** *Bacus antiquus*, pag. 291
ABPAΞAC *Basilidianorum Hæreticorum vox*, 35
Acta mollis apud Celsum quid, 297
Æs graue, 62
Action, insignis gemma, 90. 109
Amethystrus insignis, 85
Antiquaria rei studium quale esse debeat, 373
Aquense Collegium, Uniuersitatisque, 68. 69. 72. 76. *Aquenses Consules isdem Prævincia Procuratores*, 223. *Aquensis Palatii incendium*, 14. *Palatini auditorij contabulario*, 102. *Poli altitudo*, 174
Ara Augusto dicata Narbone, & locus Taciti ex ea corrigendum, 64
Arabici Codices, 225. 262. 297. 298. 310
Arcus triumphalis Arausione, 64
Arca, Olbia antiquorum, 11
Arelatense Pontificium, 209
Armenica lingua, 311
Argeus Cappadocia mons adoratus, 48
Archa genialis, seu annulus pronubus, 230
Assis partes, 61. 256. 374
Assisia Principum Christianorum, 215
Auenio, & Venascinus Comitatus quando, & quomodo in di-

tionem Pontificiam uenerit, 104
Aurelianus Ecclesia, & quarundam imaginum antiquitas, 88. *Aurelianus puella acta*, 84
Austriacam familiam ex Pharamundo mascula serie non deduci ostenditur, 163. & seq.

B

- B** *Arberini Cardinalis Legatio in Galliam*, 203. *Reditus*, 206. *Legatio in Hispaniam*, 207. *Reditus*, 210
Barcinonenses Comites, 152. 208
Belgicam, Teutonicamue linguam esse primam omnium quis contendat, 311
Biblia insignis antiquitatis, 167. 168.
Borysthenis Equi Adriani Tumulus, Epitaphium, Nummus, 227. 228
Britannica lingua antiquitas, eiusque apud Gallos usus, 89
Britannia vox in numo, 97

C

- C** *Amens, seu Achates insignis in Thesauro S. Capelle de Apotheosi defuncti Augusti expositus*, 178
Cameus alius in Cimeliario Imperatoris expositus de Apotheosi uiuentis Augusti, 181
Cam-

INDEX.

- Campania, & Latij loca quadam,*
42
Canalis ex Druentia in agrum
Arelatensem quando, & à quo
derivatum, 224
Carthaginienfis portus, 49. Car-
thaginienfium lex quadam, 100
Censuum imminutorum cauffa,
moneta ufualis, 211
Cimbricam linguam effe primam
omnium quis contendat, 312
Clandeflinorum coniugiorum pro-
hibitio, 216
B. Clementis Epiftola reperta, edi-
taque, 269
Columna Antoniniana, & Tra-
iana, 38
Conflagratio Basilica Palatina
Parifienfis, 166. Pontis Trape-
zitici, 186. 187
Constantini Porphyrogeneta Co-
dex continens Excerpta in fi-
gnia ex Polybio, aliifque hifto-
ricis, 214. 293
Coptici libri, 244. 269
Corficana expeditio Scipionis
Barbati ex Infcriptione, 157
Currus vento altus, 93

D

- D** *Elphini Baptifmus,* 98
Dinienfia Balnea, ac Ther-
ma fingulares, 102
Dofloreorum Infignium origo, 70

E

- E** *Celefiarum fitus in ortum,*
Tropicumque Hibernum, 187
Ecfafis famina Infignis, 44
Cardani etiam, & ... ibid.

- Elephas funambulæ ex Medal-*
lione, 251
Enochi Prophetia Æthiopicè apud
Peirefkiæ, 269
Euangelia quibus temporibus fcri-
pta, 298
Eugubina Tabula, 45. 293

F

- F** *Erraria ditio caduca à Cle-*
mente VIII. recepta, 17
Fluminum variorum nuncupatio-
nes ex eadem origine, 312
Francica hiftoria Authores con-
quifiti, 167. 268. editi, 313
Francorum Regum Stemma vindi-
catum à technis Scriptorum Au-
ftriacis affentantium, 163. &
fequentibus.
Francorum aliquot Regum effi-
gies in figillis antiquis, 87.
109. Tumuli, 87. Statue, 167

G

- Lud. G** *Aufredi cacomagia,* 135
Globuli mirabiles in ci-
ftula feltea D. Clara reperti, 45
Græce lingua ufus, 48. Græci Co-
dices, 214. 262 &c.
Guardonis, feu Vvardonis pons,
64

H

- H** *Enrici Magni, & Maria*
Medicæ fponfalia, 31.
Eiusdem Henrici mors, & de
ea pronifia, 126
Hieroglyphica mense Ifiaca, à
quo expofita, 56. 57. Hierogly-
phicorum interpretes, 265

Fff

INDEX.

<p><i>Historie studium quàm utile</i>, 371 <i>Hollandi, ut templis, & insignibus Equitum pepercerint</i>, 95. <i>ut Bibliothecam instruant</i>, 249 <i>Homeri effigies cum inscriptione</i>, 150. <i>Ilias cum notis Porphyry</i>, 267 <i>Honorij, & Theodosij Imperatorum constitutio</i>, 143 <i>Humoristarum Academia Romana</i>, 399</p>	<p><i>Leliffternium marmoreum insigne</i>, 75 <i>Leronensium Insularum vindictatio</i>, 329 <i>T. Livij ossa Patavij condita; & ex iis brachium Neapolim translatum</i>, 57 <i>Locrensiū lex quedam</i>, 100 <i>Longaevitas senis Angli</i>, 314. <i>Perse</i>, ibid.</p>
--	--

I

<p>I <i>Ccius Morinorum portus</i>, 216 <i>Inscriptiones variae</i>, 40. 46. 57. 64. 150. 157. 227. 323. &c. <i>Aliqua mirâ solertiâ à Peireskio explicata</i>, 86 <i>Insulae natantes</i>, 216 <i>Iobelaum anni</i>, 1600. 41</p>
--

K

<p>K <i>Alendarius Constantinianum apud Peireskium</i>, 160. 181. <i>Vtile ad Chronologiam</i>, 161 <i>Karolus Dux Croivus, & Arschotanus quàm curiosus, & humanus Princeps</i>, 97 <i>Karoli Magni Aquis-granensia monumenta</i>, 114. <i>An Magni cognomentum vinus tulerit</i>, 109 <i>Karoli V. Imperatoris in Prouinciam irruptio</i>, 13 <i>Karolus II. Rex Sicilia, & Prouincia Comes, sua & filij familiaritate conspicuus</i>, 224</p>
--

L

<p>L <i>Ateris Babylonij fragmentum, & quid continens</i>, 210</p>

M

<p>M <i>Antuani Ducis Cimeliarium</i>, 60 <i>Marmora Arundelliana Peireskij cura, & sumptibus eruta</i>, 227. <i>illorum ad Chronologiam vsus</i>, ibid. <i>Massilia ciuitas Graeca</i>, 147. <i>Eius moneta</i>, ibid. <i>Quanta sit in ea Solstitialis umbra</i>, 318. <i>Massilienses Comites</i>, 354 <i>Matris Deum Magna, Attidisque initia à quo exposita</i>, 192 <i>Mensura antiqua cum nostratibus comparata, ac nominatim Congius exploratus</i>, 120. & seq. & 160. 256. 262. &c. <i>Quàm seduli antiqui circamensuras</i>, 256 <i>Monetarum valor, ut alterationem subeat</i>, 117. 211. <i>As, Denarius, Aureus, Drachma, Siclus, Solarus, Solidus, &c. ibidem, & aliàs. An Medalia monetales</i>, 96 <i>Mors clarorum aliquot virorum, ut Aleandri</i>, 251. <i>Allealmi</i>, 222. <i>Arschotani ducis</i>, 149. <i>Barclay</i>, 184. <i>Baronij</i>, 107. <i>Bellarmini</i>, 186. <i>Casarini</i>, 100. <i>Camdeni</i>, 198. <i>Casauboni</i>, 149. <i>Clu-</i></p>
--

INDEX.

fsj, 116. *Contareni*, 148. *Cornari*, 160. *Fabri*, 142. *Fontanai*, 221. *Fontani*, 204. *Freheri*, 149. *Genebrardi*, 61. *Gorlai*, 116. *Gualdi*, 186. *Lipfsj*, 95. *Malherbij*, 211. *Meduanij ducis*, 184. *Merindoli*, 204. *Nichezola*, 148. *Pacij*, 295. *Paschalini*, 148. *Pinelli*, 50. *Pignori*, 251. *Scaligeri*, 116. *Schickardi*, 310. *Thuani*, 161. *Varij*, 183. *Velferi*, 148. *Villaregi*, 163. *Mumia ex Aegypto aduecta*, 144. *An Naulum in ore habeant, exploratum*, 246. *Murenfis in Heluetia Monasterij acta*, 165.

N

N *Avigatio ad Austrum Maris, & Schuttenij*, 171. *aliorum ad boream, proxime polum*, *ibid.* *Nostradami historia in examen reuocata*, 150. *Notabilium conuentus Rhotomagi*, 162. *Numismata quaedam*, 39. 58. 75. 83. 81. 97. 98. 108. 197. 244. &c. *Errores quidam Goltzi, & Vrsini circa nummos xxx. Tyrannorum sub Gallicno*, 8.

O

O *Beliscus Constantianus*, 37.

P

P *Aluani Encusani Cimiarchium*, 93. *Pandecta Florentini*, 34.

Pantheon Romanum, 27. *Panlippus mons perforatus*, 42. *Lansoni in Prouincia etiam perforatus*, 285. *Pecunia vnde dicta*, 63. *Pes Regim, seu Parisiensis comparatus cum Prouinciali, Romano antiquo, Anglicano, Hollandico, &c.* 124. *Pestis, & turba consequuta in Prouincia*, 229. & seq. *Peutingeriana Tabula*, 189. *Phidia, & Praxitelis monumenta quaedam*, 27. *Pisanum Cimiarchium*, 18. *Pocula auidio, seu Symbiba*, 25. *itemque χαυματις, seu literata*, *ibid.* *Pondera Romana cum Parisiensibus collata*, 121. *Vtraque cum Prouincialibus*, 123. *de ponderibus*, 256. 374. & alijs. *Prouincia Comites antiquiores aliquot*, 12. 151. & alijs. *Proreges*, 14. 15. 31. 253. 3. *Inter Prouincia, & Tolosa Comites facta partitio*, 105. 1. 2. *Prouincialis Grammatica, & Poësis*, 312. *Prouinciales charta chorographica*, 174. *Prouinciales mensura, & pondera*, 123. 1. 4. *de Prouincia plura*, 353. & seq. *Psalterium hexaplon*, 327. *Pytheas Massiliensis doctorum in occidente virorum antiquissimus*, 318.

R

R *Auenna antiquitates à Gothica vsque Barbarie*, 46. *Raymundus III. Tolosatum Comes, quando, & quorsum datus*. Fff ij

INDEX.

<i>ne spoliatus,</i>	104	<i>de Tripode, & quid in eo Cor-</i>
<i>Romana antiquitates,</i>	36. & seq.	<i>tina,</i>
<i>Rupes incisa, inſigne monumen-</i>		244. 245
<i>tum,</i>	74	<i>Tumuli Regum Pariſienſes, &</i>
		<i>San-Dionyſiani,</i>
		87

S

S <i>Amaritani Codices,</i>	113. 225.
	259. 262
<i>Scipionis Emiliani factum,</i>	100
<i>Squitiniy, de rebus Venetis libri</i>	
<i>auctor.</i>	141
<i>de Suburbicariis regionibus, & Ec-</i>	
<i>cleſiis controuerſa,</i>	176

T

T <i>Alentum Aegyptium, ſeu</i>	
<i>Thebaicum,</i>	197
<i>Theutobochi Gigantis oſſa fabu-</i>	
<i>loſa,</i>	145. & ſeq. & 250
<i>Thyle inſula à quo primum de-</i>	
<i>teſta,</i>	318
<i>Thymelica figura,</i>	109. 213

V

V <i>Aſa varia,</i>	103.	<i>Cur preſofo-</i>
		<i>rum præſertim habenda in</i>
		<i>menſuris ratio,</i>
		ibid.
<i>Vermellius Monſpelienſis, qua</i>		<i>occaſione præſectus Abyſſino-</i>
<i>rum militiæ,</i>	272	
<i>Virgiliana ænigmata,</i>	213	
<i>Viriola ex ſmaragdis,</i>	62	
<i>Vnciz ſymbola varia quare adpo-</i>		
<i>ſita,</i>	374	
<i>Urbani Papa octauæ electio,</i>	194	

X

X <i>Iphia vox in Sapphiro à Pei-</i>		
<i>reſiæ expoſita,</i>	40. 41	

Quæ ad Phyſicam, Mathematicamque.

A

A <i>lmageſti Ptolemaici inter-</i>		
<i>pretatio quando Arabicè,</i>		
<i>quando Latine facta, & de</i>		
<i>Ptolemao aliqua,</i>	313. 314	
<i>Aluminis figura octaedrica,</i>	49	
<i>Alzaro animal Africanum,</i>	287	
<i>Apum, & Muſcarum lingua mul-</i>		
<i>ticuſſis,</i>	222	
<i>Ariſtarchi Samy de magnitudine</i>		
<i>Solis, & Lunæ liber,</i>	266	
<i>Aſtologica vanitas, 16. & alibi.</i>		
<i>Aſtronomiæ ſtudiùm,</i>	380	

<i>Aurora, ſeu Claritas borea inſi-</i>		
<i>gnis, pro exercitu in aère vulgò</i>		
<i>habita,</i>	185	

B

B <i>Alana Aquitanica oculus,</i>		
<i>lingua, guttur,</i>	279. 280	
<i>Balneorum aqua, àn ex igne acta,</i>		
<i>vel potentiâ calida, 201. Bül-</i>		
<i>nearis aqua quàm ſalutaris, 333</i>		

C

C <i>Elum Chriſtianum Bayeri,</i>		
<i>218. Caleſtes imagines in</i>		

I N D E X.

- Ecclesia Vercellensis antiquissima.* *ibid.* *Celestium moruum Tabula Rudolphina,* 219
- Canum instinctus,* 109. 133. 337
- Capella insigniter aurata,* 207
- Ecrasa, & Mespila sine nucleis,* 236
- Cervina pellis cur emergat supra ceteras,* 288
- Chameleonis anatomia, & qua singularia in eo observata,* 325.
- An aere vescatur? an colores rerum circumpositarum induat? cur oculos coniugatos non moueat?* *ibid.*

- Chyli in secur transfuso,* 221
- Cometa anni 1618.* 169. & seq.
- Concha Anatifera,* 75
- Conflagratio Aethna, è qua torrens igneus, 270. Semi montis,* *ibid.* *Vesuvij,* 259
- Coniunctio Magnatrum superiorum Planetarum anni 1604.* pag. 79
- Corallij exspisatio, & observata de eo aliqua,* 201
- Cordis Mediastrinum sanguini pervium,* 222
- Crantia, seu Camporum Herculeorum lapides quomodo geniti,* 241
- Crocodili quot, & cuiusmodi dentes,* 316

E

- E** *Lephantis dentes, crura, pondus, & cetera explorata,* 250

F

- F** *Ebris qua ratione inedia curatur,* 338

- Felium parvus,* 337
- Ferrea rubiginis magnetica vis,* 287
- Ficus Adamea an racemus terra Chananeorum,* 236
- Flumina in quam partem arenas egerant,* 285
- Fontium, Fluminumque origo, 191. & sequentibus.*
- Fulminum ignis, an propè, an procul adueniat,* 287
- Fungus coralloides,* 81. 93

G

- G** *Elfeninum Indicum luteum, odoratum,* 234
- Geographia studium, 21. 172. 220. 307. 308. 380. Geographia Nubienfis, 172. Geographica longitudo, an per Aedicea sidera haberi possit, 133. 309. Geographicarum, & hydrophicarum maris mediterranei Tabularum errores,* 308
- Gigantum qua creduntur ossa esse Elephantina,* 148. 244

H

- H** *Orologium mirabile,* 296

I

- I** *Gnes subterranei,* 270
- Insectum multiceps è ligno prognatum,* 222
- Insiiones singulares,* 236. 315
- 316
- Iouis Planeta locus in calo observatus, 140. Occultata à Ioue Stella observatio,* 289

INDEX.

<i>ne spoliatus,</i>	104
<i>Romana antiq̄uitates,</i>	36. & seq.
<i>Rupes incisa, insigne monumen-</i>	
<i>tum,</i>	74

S

S <i>Amaritani Codices,</i>	113. 225.
	259. 262
<i>Scipionis Emiliani factum,</i>	100
<i>Squitiny, de rebus Venetis libri</i>	
<i>auctor.</i>	143
<i>de Suburbicariis regionibus, & Ec-</i>	
<i>clesiis controuersa,</i>	176

T

T <i>Alentum Aegyptium, seu</i>	
<i>Thebaicum,</i>	197
<i>Theurobochi Gigantis ossa fabu-</i>	
<i>losa,</i>	145. & seq. & 250
<i>Thyle insula à quo primùm de-</i>	
<i>recta,</i>	318
<i>Thymelica figura,</i>	109. 113

V

V <i>Asa varia,</i>	10.
<i>Cur pretioso-</i>	
<i>rum praesertim habendâ in</i>	
<i>mensuris ratio,</i>	ibid.
<i>Vermellius Monspelienfis, qua</i>	
<i>occasione praefectus Abyssino-</i>	
<i>rum militia,</i>	272
<i>Virgiliana aenigmata,</i>	213
<i>Viriola ex smaragdis,</i>	62
<i>Vnciz symbola varia quare adpo-</i>	
<i>sita,</i>	374
<i>Vrbani Pape octauis electio,</i>	194

X

X <i>Iphia vox in Sapphiro à Pei-</i>	
<i>reskio exposita,</i>	40. 41

Quæ ad Physicam, Mathematicamque.

A

A <i>lmagesti Ptolemaici inter-</i>	
<i>pretatio quando Arabicè,</i>	
<i>quando Latine facta, & de</i>	
<i>Ptolemao aliqua,</i>	313. 314
<i>Aluminis figura octahedrica,</i>	49
<i>Alzaro animal Africanum,</i>	287
<i>Apum, & Muscarum lingua mul-</i>	
<i>ticuspis,</i>	222
<i>Aristarchi Samij de magnitudine</i>	
<i>Solis, & Lunæ liber,</i>	266
<i>Astrologica vanitas, 16. & alibi.</i>	
<i>Astronomia fluidum,</i>	380

<i>Aurora, seu Claritas borea insi-</i>	
<i>gnis, pro exercitu in aëre vulgò</i>	
<i>habita,</i>	185

B

B <i>Alana Aquitanica oculus,</i>	
<i>lingua, guttur,</i>	279. 280
<i>Balneorum aqua, an ex igne acta,</i>	
<i>vel potentia calida, 101. Bâl-</i>	
<i>nearis aqua quàm salutaris, 333</i>	

C

C <i>Elum Christianum Bayeri,</i>	
<i>218. Celestes imagines in</i>	

I N D E X.

<i>Ecclesia Vercellensis antiquissima.</i>	
<i>ibid. Caelestium motuum Tabula Rudolphina,</i>	219
<i>Canum instinctus,</i>	109. 133. 337
<i>Capella insigniter aurata,</i>	107
<i>Cerasa, & Mespila sine nucleis,</i>	236
<i>Cervina pellis cur emergat supra ceteras,</i>	188
<i>Chamaeleonis anatomia, & qua singularia in eo observata,</i>	315.
<i>An aere vescatur? an colores rerum circumpositarum induat? cur oculos coniugatos non moueat?</i>	ibid.
<i>Chylis in iecur transfuso,</i>	221
<i>Cometa anni 1618. 169. & seq.</i>	75
<i>Concha Anatifera,</i>	75
<i>Conflagratio Aethne, è qua torrens igneus, 170. Semi montis, ibid. Vesuvij,</i>	259
<i>Coniunctio Magnatrium superiorum Planetarum anni 1604. pag. 79</i>	
<i>Corallij exspiscatio, & observata de eo aliqua,</i>	101
<i>Cordis Mediastinum sanguini peruium,</i>	212
<i>Crania, seu Camporum Herculeorum lapides quomodo geniti,</i>	241
<i>Crocodili quot, & cuiusmodi dentes,</i>	316

E

E <i>Lephantis dentes, crura, pondus, & cetera explorata,</i>	250
--	-----

F

F <i>Ebris qua ratione inedia curretur,</i>	338
--	-----

<i>Felium parvus,</i>	337
<i>Ferrea rubiginis magnetica vis,</i>	287
<i>Ficus Adamea an racemus terre Chananeorum,</i>	136
<i>Flumina in quam partem arenas egerant,</i>	185
<i>Fontium, Fluminumque origo, 191. & sequentibus.</i>	
<i>Fulminum ignis, an propè, an procul adueniat,</i>	187
<i>Fungus coralloides,</i>	81. 93

G

G <i>Elfeminum Indicum luteum, odoratum,</i>	224
<i>Geographiae studium, 21. 171. 120. 307. 308. 380. Geographia Nubienfis, 171. Geographica longitudo, an per Aedusca sidera haberi possit, 133. 309. Geographiarum, & hydrophicarum maris mediterranei Tabularum errores,</i>	308
<i>Gigantum qua creduntur ossa esse Elephantina,</i>	148. 244

H

H <i>Orologium mirabile,</i>	296
-------------------------------------	-----

I

I <i>Gnes subterranei,</i>	270
<i>Insectum multiceps è ligno prognatum,</i>	222
<i>Insitiones singulares,</i>	236. 315
	316
<i>Iouis Planeta locus in celo observatus, 140. Occultata à Ioue Stella observatio,</i>	289

Fff iij

INDEX.

L

- L** *Altea vena quando*, & à quo primum detecta, 222.
Etiã in homine observata, 283
Lapidum formatio observata, 26.
De Lapidum generatione, & figuratone suis, 237. & seq.
Lapis rhomboidalis, 107. *Fle-xilis*, 141. *Aqua innatans*, 256.
Fungifer, 236. *Vary præterea*, 110. 138. &c.
Lentiscus Belgenferiensis, 75
Lepores cornuti, 96
Lisa, seu cucurbita Meccana, planta sericea, 235
Lignum fossile Aqua-Spartanum, 323
de Luminarium diametris demon-stratio correcta, 257
Luna locus in cælo notatus, 140.
Eclipsis, ibid. *Alia*, 219. 220. 307. *Diameter observata*, ibid.
Maior huc usque habita quam sit, 306. *Luna descriptio*, seu quasi Selenographia, eiusque tam in Physica, quam in Astro-nomia usus, 299. & seq.
Lux, an ignis; & de luce squam-marum, aliarumque rerum noctu lucentium, 65

M

- M** *Acularum ab utero caussa disquisita*, 77. 78
Macula Solares, 144. 252. *Luna-res*, 200
Magnetis proprietates, à quo, & unde exposita, 218
Meteorum Stigmata, & impos-situra, 135
Malefica anni prestigia, 17

- Manus è suggesto enata*, 236
Mare aliquas deserere terras, oc-cupare aliquas, 242. *Maris motus*, 285. *Æstus illius qua caussa*, 258. *Marium communi-catio subterranea*, 286
Mars Planeta occultare stellam observatus, 289
Mastiche è lentisco Belgenferiensi, 75
Mathecos studium, 380
Medicea sidera; & alia à Galileo primum detecta, 129. *Observa-ta*, ibid. & sequentib.
Mercurius Planeta in disco Solis observatus, 252. *Inex spectata exilitatis*, ibid. *Interdum Sole superior*, 289
Microscopiorum inuentor, 185
Montium precipuorum situs ab ortu in occasum, 243
Musica animum cur humana præ-habita, 316
Myrtus latifolia, flore pleno, ubi primum inuenta, excultaque, 80. *Myrrites vinum quid*, 336

N

- N** *Anticum Problema solutum*, 313
Nix sexangula, seu stellata, 189.
Fertilitatis anni quomodo Nix caussa, 190

O

- O** *Culi variorum animalium dis-secti*, & que in iis ob-servata, 274. & seq.
In Oculis propriis quid à Peires-kio observatum, 280
Oriens loca minus à nobis di-

INDEX.

flant, quàm vulgò putetur, 39.

120
Opices, & Pictura studium, 380.
381

P

Papyrus *Egyptia vera*, 135
Paralyfis Peiresky exhilaratione soluta, 248

Parbelij insignes, 129. Alij, 49

Partus undecimestris, quatuordecimestris, &c. 66-67

Pediculo irato quid eueniat, 140

Peponum vsus, 115

Phœnicopteri lingua, caro, pluma, 137. Indoles, 142

Physica studium, 49. 376. Vide illic de Metaphysico, Theologico, Ethico, Iuridico, &c.

Picus septiceps, 222

Planetarum characteres ex Græcis vocalibus, 314

Planta singulares horti Belgenferiensis, 214. & seq. *Alia*, 75

Prunuli spina in humano pectore radices agens, germinans, florens, 315

Pulli formatio in diei observata, 49

Purpura ex Limace marino, 302

Puteolanus pulvis marinâ aquâ lapidescens, 45. Cur numismata illic excisa, ibid.

R

De **R**adiis in punctum cœuntibus problema, 311

Rupium formatio, & situs, 242. & sequentibus.

S

SAbulum, seu Arenula ex vesfica emissa dolorem cur faciant,

241

Sanguinea pluvia quid, & eius observata historia, 111. & seq.
Scaphidio vsi antiqui circa altitudinem Solis observandam, 318

Senium insigne, 314

Serpentes Balearum Diuinsium veneni expertes, 103

Simia, aliæque animalia hominibus similiora, 271

Solis Eclipsis, 104. 334. Diameter, 306. Altitudo, seu proportio Gnomonis ad umbram Solstitialem Massiliæ, 318

Somnium Peireskij mirabile, 115.

Aliud, 386

Specula gemina species ob situm multiplicantia, 188

Stella in cælo Noua, 79. 140

Stryax Belgenferij nascitur, 75

Succinum an fossile, 110

T

Telefcopij inuentio, & vsus, 119. & seq. 199-303. & seq.

Terra quelibet congrua insolis alimenta, & medicamenta producit, 226

Terra-motus in Apulia, 117

Testudinis cubitalis anatomia, & que singularia in ea observata, 106

Theriaca insignis effectus, 134

Triton, seu homo marinus, 314.

Trutta lacus Geneuensis, 136.

INDEX.

<p><i>Tulipa flores quando primùm, & ubi in <u>Promincia</u> visi, cultique,</i> 133</p> <p><i>Tussis ut lenita,</i> 338</p>	<p>seq. <i>Ventus ut Gustosa dispensetur,</i> 60</p> <p><i>Visio in qua parte oculi fiat, & de visione, deque oculis plura,</i> <u>175.</u> & sequentibus.</p>
--	--

V

V *Enarum valvula à quo primùm detecta, descriptaque,*
222

Veneris Planeta locus in cælo observatus, 140

Venti variè observati, 282. &

Z

Z *Embiorum insula fons salutaris,* 254

Zinziber Belgenferij excellentum,
235

FINIS.


Pag. 405.

Lin. 11.

Leg. 10 C.



PEIRES-



INTERPRETATIO VERNACULA
selectorum aliquot nominum propriorum,
quæ in vita Peireskij occurrunt.

A



B BAVILLÆVS,
d'Abbeville.
Aginnensis, d'Agen
en Agennois.
Agutius, d'Agut.
Albaspina, De l'Aubespine.
Album hospitium, Begude blan-
che.
Alensis Comes, Comte d'Alais.
Alincurium, d'Alincour.
Alresia, d'Alries.
Alrinus, Hautin.
Andes, País d'Anjou, *Andinum*,
Andegauensis, d'Anjou, An-
gevin.
Antipolis, *Antipolitanus*, Anti-
be, d'Antibe.
Apta Julia, Apt, ville de Pro-
uence, *Aptensis*, d'Apt.
Aqua-mortua, Aigues-mortes.
Aqua-Sextia, Aix, *Aqui-Sex-
tensis*, *Aquensis*, d'Aix.
Aquistria, Guîtres, *Aquistrien-
sis Abbatia*, Abbaye de Gui-
îtres, en Guyenne.
Arausio, Orange.
Arcosius, d'Arcos.
Area, seu *Hieré*, Yeres.
Arecomici, Partie Orientale du
Languedoc.
Arelate, Arles, *Arelatensis*, d'Ar-

les. *Arelatense Pontificium*, Hi-
stoire des Prelats d'Arles.
Aremorica lingua, Langue Bre-
tonne.
Argentens, *Pronincia fluvium*,
Argens.
Arminiacus, d'Armignac,
Arschotanus Dux, Duc d'Ar-
schot.
Aruernas, *Aluernas*, d'Auuer-
gne.
Assessor Aquensis, Assesseur, Ad-
uocat tenant rang entre les
premier, & second Consuls
d'Aix, & Procurcurs du país.
Assisia, Assises.
Anaricum, Bourges.
Aubrius Menilium, Aubry du
Mesnil.
Andomaropolis, Saint Omer.
Auenio, Auignon.
Augusta, Aufbourg.
Augustodunum, *Augustodunen-
sis*, Autun, d'Autun.
Aurelia, Orleans, *Aurelianensis*
Puella, La Pucelle d'Orleans.
Aurelia via, Chemin Aurelien,
dont il demeure des vestiges
en Prouence.

B

B *Achetus Meziriacus*, Ba-
chet sieur de Meziriac.

Ggg

à *Balneo Cardinalis*, Le Cardinal

Bagni.

Barcino, Barcelonne.

Bargemonius, De Bargemon.

Barraktius, De Barraut.

Barthalasia, La Barthalasse.

Baulcium, Les Baux. *Baulciensis*

arx, La forteresse des Baux,
prés d'Arles.

Bearnia, Pais de Bearn.

Bella insula, Belle-île près la
côte de Bretagne.

Belleurans, De Bellicure.

Belgenferium, Beaugensier.

Belliquadrum, *Belliquadrensis*,
Beaucaire, de Beaucaire.

Bernetius, Du Bernet.

Bethunius, De Bethune.

Beuonia turris, Tour de Beuons
en Prouence.

Boderius, De la Boderie.

Bomparius, *Bomparia*, De Bom-
par.

de Bononia, De Boulogne.

Borrillius, Bourrilly.

Bracchium Florentinum, Brasse
de Florence.

Brenius, De Breues.

Brigantium, Briganson, forteresse
près d'Yeres.

Brinonia, Brignolle ville de Pro-
uence. *Brinonensis*, de Bri-
gnolle.

Brossus Vidus, Guy de la Brosse.

Buccardus, Bouchard.

Bulus, Boule.

Bullialdus, Boulliau.

Buquia Turris, Tour de Bouc.

Burdelotius, Bourdelot.

Burdigalensis, de Bourdeaux.

Buxens, Boisseau.

C

C *Abirum*, Le Caire en Egy-
pte.

Calasum, Calas, village de Pro-
uence.

Camaldulenses, Hermites de Ca-
maldoli.

Campinius, *Bochartus*, Bochart,
sieur de Champigny.

Canayus Fraxineus, De Fresne-
canaye.

Canna, Canne, mesure de Pro-
uence.

Canna, *Cannensis Portus*, Port de
Cannes en Prouence.

Capellanius, Chapelain.

Caradetea familia, De Caradet.

Carpentorallensis, De Carpentras

Cassaneus, Cassaigne.

Castellum, Le Castellet.

Caumartinius, De **Caumartini**.

Ceppeus, De la Ceppede.

Chiffletius Vesuntinus, Chifflet
de Bezançon.

Cipperia, oppidum Prouincia,
Cippieres.

Cithariste Promontorium, Cap de
Cetciech, près de Tollon.

Classis prima, *Auditorium Ma-
ium*, Grand' Chambre du Par-
lement.

Cleracensis obsidio, Siege de Cle-
rac.

Coëffeteus, Coëffeteau.

Collis-martius, Colmars, ville de
Prouence.

Condaus, *Condatensis*, de Condé.

Comitia Curia, L'Assemblée des
Chambres du Parlement.

Compendiensis, de Compiègne.

Corus, ventus, Maîtreal,

Coyerus, mons Prouincia, Coyer.
Crautia, Campi lapidei, Campi
Herculei, La Craux près d'Ar-
les.
Crequius Dux, Duc de Crequy.
Curia inſtauratio, L'ouverture
du Parlement.
Cyaneus, Prouincia fluiuis, Cia-
gne, ou Siagne.

D

D *Aubrayus, d'Aubray.*
Dauria, Doria de Gennes.
Debonarus, Debonnaire.
Decormius, Decormis.
Demonioſus, Demonioſieu.
Decuria ſummorum Iudicum,
Chambre Souueraine.
Dinia, Digne, ville de Prouence.
Dragunianum, Draguignan, ville
de Prouence.
Drnentia Prouincia fluiuis, La
Durance.
Ducans Fronto, Fronton le Duc.
Duchefnius, Du Cheſne.
Duleia, Douce, Comteſſe de Prou-
ence.
Dumayus, Dumay.

E

E *Ngoliſmenſis, Magnus Fran-*
corum Melienſum Prior,
Henry d'Angoulefme, Grâd
Prieur de France, Gouver-
neur de Prouence.
Ericis Portus, Lericy.
Eſcurialis, de l'Eſcutial.

F

F *Aber Nicolans, Nicolas le*
Feute.

Fabrius, Fabricius, Fabri.
Falconius, de Faucon.
Feronceus, Feroncé.
Ferrerius, De la Fertiere.
Fliscani Genuenſes, La Maifon
des Fiefques de Gennes.
Fons-Bellaqueus, Fontaine-bleau.
Fontanus Comes, Comte de Fuen-
tes.
Fontanus, Medicus, Fontaino.
Fonuiuius, De Fonuiuc.
Forbina familia, De Forbin.
Forcalquerium, Forcalquier ville
de Prouence.
Fortius, Du Fort.
Foro-ſulium, Luly forum, Freius.
Antiquitates Foroſulienſes, de
Freius, ville de Prouence.
Foffenſis ager, Terroir de Fos
près le Martignes.
Frerens, Frere, le Frere.
Frontinianum (non Frontinia-
cum) Frontignan en Lan-
guedoc.
Fulco, Foulquet.

G

G *Allaupius Caſtullius, Gal-*
laup, ſieur de Chaſteuil.
Galliardus, Gaillard.
Gallo-Prouincia, Prouence.
Galterius, Gautier.
Gapellus, Prouincia fluiuiolus, Ga-
peau.
Godellus, Godeau.
Godeſſidus, Gothofredus, Gode-
froy.
Gondiſus, Dux Radefianus, De
Gondy, Duc de Rais.
Gornaus, Marchenille Comes, De
Gournay, Comte de Marche-
uille.

Gramusa, Prouincia oppidum, La
Gramuse.
Grandis, Le Grand.
Grassensis, De Grasse.
Gratianopolis, Grenoble.
Grimaldicus sinus, Golfe de Gri-
maud.
Grollaus, Medullioneus, Bressiaci
Marchio, De Grollé, de Me-
ouillon, Marquis de Bressieux.
Guerinea Cauerna, Grotte de
Guerin.
Guisij Dux, Duc de Guise.

H

H *Aligrans, d'Haligre.*
Hallans, Hallé.
Hemina, aridorum mensura, He-
mine.
Henotica factio, La Sainte vnion,
la Ligue.
Hoguetta Fortinus, Fortin, sieur
de la Hoguette.

I

I *Ayus, Le-Iay.*
Inquisitoria Classis, Chambre
des Enquestes.
Ioyosaus, De Ioyeuse.
Iustinianus Marchio, Le Mar-
quis Iustinien.

L

L *Abbeus, Labbé.*
Lagneus, Lagneau.
Lainaus Marguerius, Lainé sieur
de la Marguerie.
Lambiscum, Prouincia oppidum,
Lambesc.

Lansonium, foramen, de Lançon,
lieu de Prouence.
Latrunculator, Prcuoist des Ma-
reschaux.
Lauerma, Lauerne, lieu de Pro-
uence.
Leberoneus, De Leberon.
Lediguerij horri, Iardin du Duc
de Leditguieres,
Legnius, Lac de Legny en Pro-
uence.
Lemonices, Païs Limosin.
Lero, Leronensis, vel Lirinenfis,
Lerins, de Lerins.
Lexoni, Lisieux.
Lochienfis, De Losches.
Lomenius, Delomenie.
Luillierius, Luillier.
Luxemburgica Pergula, Gallerie
de l'Hostel de Luxembourg.

M

M *Acbaltus, Machault.*
Marius, Le Maire.
Malberbius, De Malherbe.
Malignonius, mons Prouincia, Ma-
lignon.
Marca, Poids de Marc.
Marigium Mare, Mer de Mar-
tigues.
Meduanij Dux, Duc de May-
enne.
Mellereola, liquidorum mensura,
Meillerolle.
Memnius, De Mesme.
Menetrius, Menestrie.
Mersennus, Mersenne.
Mimetenfis (non Mimtenfis)
De Mimet.
Minusius, Minuti.
Mirebellum, Mirebeau.

Monchalius, De Monchal.

Mon-morantius, De Mon-morancy.

Monspeliuum, Mon-pellier.

Monsterius, pictor, Du Mouftier.

Moni Ventosus, Mon-Ventoux.

Montargisium, Montargis.

Montis-maioris Monasterium,

L'Abbaye de Mon-majour d'Arles.

Morguesius, Morgues.

Municipalis Curia, L'Hostel de Ville.

N

N *Annetensis*, De Nantes.

Natalis, Noël.

Naudaus, Naudé.

Nemausus, Nemausensis, Nismes, de Nismes.

Neouilla, De Neuf-ville.

Nihontium, Nions.

Noallius Comes, Comte de Noailles.

Nogaretius Valletanus, De Nogaret sieur de la Vallette.

O

O *Ccitania*, Le Languedoc.

Olbia, Yeres. *Olbienfis*, d'Yeres.

Oliuarius Fontanus, Oliuier sieur de Fontenay.

Onus, mensura Prouincia, Charge.

Oppedeus, Sieur d'Oppede.

Oppida alieno ari soluendo imparia, Cominunautez impuiffantes.

Oresonius Marchio, Marquis d'Oreson.

P

P *Aludanus*, De la Palud.

Pannalis, mensura, Panal.

Pannus, vel Palmus, mensura, Pan.

Paulus Sarpinus, Fra-Paolo Sarpio.

Pelletarius, Le Pelletier.

Pererius, Du Perier.

Petanius, Petau.

Petriscum, Peirefc.

Phaitis, Fayette.

Phenicopterus, Flammant.

Pinta, mensura, Pintc.

Pissiacum, Poissy.

Pithaus, Pithou.

Pleffens, Du Pleffis.

Polanius, Poulain.

Pompadorius, De Pompadour.

Porcelletus Mallianens, Porcellet sieur de Maillanes.

Potus, mensura, Pot.

Profenescallus Capitalis, Lieutenant Criminel de Seneschal.

Prouincia, Prouincialis, Prouence, de Prouence, Prouençal.

Puteanus Eques, Caulier del Pozzo, Romain.

Puteani fratres, Les sieurs du Puy, Parisiens.

R

R *Ascasus Bagarrus*, De Ras cas sieur de Bagarris.

Regalis Hispanicus, Real, hui-nième de Realle

Reginaldus, Raynaud.

Regium, Reij Apollinares, Riez ville de Prouence.

Remigalia, La Feste de Saint Regg iij

my, *S. Remigius*, Sainct Remy, ville de Prouence.
Rhemi, *Rhemensis*, Rheims, de Rheims.
Resus, De Res.
Riantium, *Prouincia oppidum*, Rians. *Riantiensis*, De Rians.
Richelius, De Richelieu.
Rigaltius, Rigault.
Rimierius, De la Riuere.
Roccabruna, Roquebrune.
Roissius, De Roissy.
Rotomagum, Rouen.
Rubenius, *pitlor*, Rubens.
Rufum Promontorium, Cap Roux.
Rupes intercis/a, Roque-taillade.
Ruzans, *Deffiat Marchio*, Ruzé Marquis Deffiat.

S

S *Almasius*, Saumaïse.
Sarpus Sernita, Fra Paolo Sarpio.
San-benedictina Ecclesia Bistornata, L'Eglise de S. Benoit le Bistorné.
Sancta Balma, La Saincte Baume.
Sancta Capella Gazophylacium, Le Threlor de la Saincte Chapelle.
San-Dionysium, Sainct Denys.
San-Ianetum, Sainct Ianet.
San-Iulianum, Sainct Iulien.
San-Legerius Tondutus, Tonduti, sieur de Sainct Leger.
San-Marthani fratres, Les sieurs de Saincte Marthe.
San-Martinius, sieur de Sainct Martin.
San-Maximinum, Sainct Maximin, ville de Prouence. *San-*

Maximianus, De Sainct Maximin.
San-Michaelianus torques, L'ordre de Sainct Michel.
Santamantius, Sieur de Sainct Amant.
San-Torpetianus Sinus, Golfe de Sainct Tropés.
Scaliger, De l'Escalé.
Semurium, Semur en Bourgogne.
Sigilli sacri Custos, Garde des Sceaux.
Sillerius, De Sillery.
Solatus, Efcu au Soleil.
Sollerienfis familia, & vicus, De Solliers.
Sorga, fluuius, Sorgue.
Spinosa, oppidum Prouincia, Spinoufe.
Stephanitis, Esteuennette.
Suarefius, Suarés.
Syluanectensis, De Senlis.

T

T *Abaretius Cadafalcus*, De Tabaret, sieur du Chafaut.
Tallia, Les Tailles.
Tarasco, Tarascon, ville de Prouence.
Tarraconensis, de Tarragonne.
Tenda Comes, Comte de Tende.
Thoronius, Thoron.
Thuannus, De Thou.
de Thulia, De Thules.
Ticinenfis, De Pauic.
Tolo, Tolonum, Taurœntium, Tolon, ou Tollon.
Toninum Nitrobrigum, Tonins en Agennois.

Trobadores, Poëta *Prounciales*,
 Los *Trobadors*.
Tullensis Praful, Euefque de
 Toul.
Tunetum, Tunis.
Turno, *Turnonum*, Tournon.
Turonum, *Turoni*, *Turones*,
 Tours.
Turonica libra, *turonicus dena-*
rius, Liure tournois, denier
 tournois.
Turricula, Tournelle, Chambre
 Criminelle du Parlement.

V

V *Alaufum*, Valaues. *Vala-*
nesius, Sieur de Valaues.
Valefius, Valois, de Valois.
Valletanus Eques, Cheualier de
 la Vallette.
Vallenoria familia, De Valle-
 uoire.
Valleus, De la Valle.
Vallis-claufa, *fcaturigo*, Fontai-
 ne de Vau-clufe.
Vardonis, seu *Guardonis Pons*,
 Pont du Gar.
Varius, Du Vair.

Vafonenfis, De Vaifon.
Vayerus à Motha, Sieur de la
 Mothe le Vayer.
Venaifcinus Comitatus, Comté
 Venaifcin, ou d'Auignon, le
 Comtat.
Veneris Portus, Porto-venete.
Verdunus, *Prouincia flunius*, Ver-
 don.
Vermellius, Vermeil.
Viaffius, De Vias.
Vicus Mericus, Emeric de Vic.
Viguerius, Viguiet.
Villa-nouanus Flayofci Baro, De
 Ville-neufue, Baron de Flay-
 ofc.

Villa-regius, De Villeroy.
Villierius, De Villiers.
Vindocinenfis, De Vendofme.
Vitrius Marefcallus, Marefchal
 de Vitry.
Vizilia, Vizile près de Greno-
 ble.
Vulturnus, ventus, Siroc.

Z

Z *Embij, Infulanon præcul To-*
lone, Les Zembies.

FINIS.



PEIRESKII
LAVDATIO

HABITA IN CONCIONE FVNEBRI
ACADEMICORVM ROMANORVM.

Die Decemb. 21. an. 1637.

Io. Iacobo Buccardo Parisino perorante.



RÆCLARE à vobis, & ex ordinis, nominisque vestri dignitate factum est; Academici Romani; quòd clarissimo viro Nicolao Claudio Fabricio Perefcio, Gallorum humanissimo, atque doctissimo, publicos in morte honores, funebre[m]que laudationem decreuistis. Si enim pius mos iste à maioribus vestris, maximè ad eos homines, qui de Republica bene meriti essent ornandos, & ad omnem posteritatis memoriam commendandos institutus est: tanta quidem, ac tam præclara extant Perefcij merita, atque ornamenta, in eam Romanæ Reipublicæ partem, quæ doctrinæ, atque humanitatis studia complectitur; vt non solùm labefactæ rei literariæ inuidiam à Transalpinis nationibus remouisse, sed & ipsorum Romanorum gloriam in colendis artibus adæquasse, vel potius superasse videatur. Omnes enim ex om-

A

ni ætate, qui in hac ciuitate disciplinas, & scientias, vel industriã suã illustrarunt, vel autoritate, atque liberalitate ornauerunt, si vnum in locum conferantur, cum Perefcio minimè videntur comparandi. Qui cæteris denique omnibus virtutibus ad eò excelluit, vt etiam hoc vno ætas nostra potuerit in omni genere laudis, cum antiquitate certare. Quò maius mihi, ac difficilius onus impositum esse video; vt ego scilicet mediocri prorsus ingenio, nullo dicendi vsu, aut facultate, homo peregrinus; in hoc ornatissimo Romanorum, id est disertorum politorumque hominum confessu, de innumeris, ac propè incredibilibus summi viri laudibus, verba faciam. Quod quidem à me nec confidentia, aut temeritate quadam susceptum est; eruditissimi Academici: sed tum mea in vos obseruantia, qui munus istud honorificentissimo vestro decreto, ad me detulistis; meoque in eos obsequio, qui vt summum in me tenent imperium, ita illorum autoritatem, meo de me iudicio præferre necesse habui: tum verò maximè beneuolentia, atque pietate; quæ me ad gratias, quas viuo Perefcio magnas semper habui, mortuo demum, hoc supremo humanitatis officio referendas, pro eius in me meritorum magnitudine impulit. Cùm enim in patria vitam studiis, quibus vsque à puero deditus fui, maximè accommodatam, viuere mihi per parentes non liceret; dum me in forum, & ad curiam nolentem trahunt; Lutetia amplissima, potentissimæque vrbe sponte carens, ad hanc vestram, in voluntarium exilium venire tandem decreui: ex qua nimirum religiones, leges, literas; omnem denique rerum omnium cognitionem, omnem vitæ elegantiam, ad nos olim effluxisse, cùm librorum lectioe cognoueram, tum eadem hæc omnia, nunc sub humanissimo, sapientissimoque Pontifice, in ea magis magisque vigere, ex eruditis nostris hominibus intelligebam. Quibus potissimùm autoribus, cùm Perefcium rerum Romanarum gnarissimum, ex itinere conuenissem: is me & liberali hospitio, atque in intimam accepit amicitiam; & cum tam præclaris de huius ciuitatis instituto præ-

ceptis, atque ita graui ad literatos primariosque urbis viros commendatione, Romam ex Prouincia decedentem profecutus est; vt statim sub meum ingressum, non solum populi ingenium, publicosque mores cognouerim, meque eis accommodatim facillime: sed etiam in vestrum omnium; eruditissimi Academici; consuetudinem me insinua- uerim, & quod maximum est, in summorum virorum rei, & publicæ & literaræ principum familiaritate, cum qui non nisi claris, doctisque hominibus esse solet, locum obrinuerim. Quare impius profecto, ne dum ingratus, apud vos, ceterosque omnes haberet; cum literatissimos quosque maxime Italos, laudatione post decessum prosequi olim instituerim; si hodierno die omnium doctissimum, mihi- que patriæ, necessitudinis, & beneficij vinculis coniunctis- simum virum, laudandi munus, quantumuis arduum, ac difficile recusarem. Itaque rem aggrediar magni nominis, magni exempli; nouitatis, admirationisque plenissimam: & quantum eloquentiæ ad id mihi deest; tantumdem cum à singulari mea in præstantissimum virum pietate, percepti- que ex eius obitu doloris magnitudine; quæ nonnunquam disertos ac copiosos facit; tum à vestra beneuolentia; Pa- tres amplissimi, vosque ceteri ornatissimi viri; vestraque in me attentè audiendo benignitate, mutuari, atque adco sup- plere conabor.

Nicolai Claudij Fabricij Perescij vitam; quæ supra huius ætatis hominum captum, morèque putanda est; cum illis antiquorum præstantissimis, ac beatissimis comparanti mihi; vna præ cæteris Titi Pomponij Attici, par adeo, & si- milis visa est; vt eam interea, dum ad alia propero, quæ expectationem de Claudij Fabricij doctrina, literarumque studio, à me ab initio concitatam magis expleant; veluti absolutissimam rabulam vobis proponendam censuerim: in qua expressam Perescij ingenij, virtutumque imaginem videatis. Ambo siquidem nobilibus, literarumque studio- sis geniti parentibus, pueritiam in liberalibus doctrinis, si- cut adolescentiam in literata peregrinatione, apud exteros

principes, doctósq; viros honoratissimi consumfere. Ambo magnas, & amplas in patria gessere amicitias: bonos viros, & studiosos, tam ab aliena iniuria, quàm à mutua inter se obrectatione; necnon ab egestate vindicauere. Domi, in quam vterque omnium ordinum homines liberaliter inuitauit, plus falis, quàm sumtus in victu; velut in cultu non affluentem affectauere munditiam. Optimis alioquin omnibus rebus vfi, familia in primis, vt ne pedissequus quidem quisquam esset, qui non & anagnostæ, & librarij munus pulchrè præstare posset. In Republica, quæ vtriusque temporibus varia admodum commutabilisque fuit; ita ambo versati sunt, vt semper optimarum partium essent. Honores verò, qui in ea sibi patebant, non petierunt: sed ordine, quo orti essent, contenti, in vetere vitæ instituto, id est in studiis maximè Philosophiæ, atque antiquitatis; suauissimis, optimisque moribus, ad senectutem benè, beatèque vixere.

Hæc pauca ex multis exempli causa attuli, vt sic deinceps habeatis: omnium Titi Pomponij virtutum, quarum pulcherrima extant in antiquitate monumenta; maximè temperantiæ, probitatis, atque prudentiæ laudem, cum Perescio esse communem. Quamobrem iam ad illas venio, ad quas dudum festinat animus, quæ Claudij Fabricij adedè propriæ, tamque suæ sunt; vt nemo ex omni ætatum memoria, cum ipso de earum gloria contendere, vel in societatem venire possit. Nimirum assiduus, ac propè incredibilis labor, egregiæque opera, in omnium magnarum rerum, atque artium scientia, literarumque cognitione percipienda: ardens in eas conseruandas, amplificandasque studium, acrisque cura: perpetua denique, & constans voluntas, in homines literatos ornandos; & regia in ea omnia liberalitatis magnificentia. In quibus persequendis, ea veritatis simul, ac breuitatis ratio à me habebitur; vt remoto omni insigni orationis ornatu; simplici, ac planè historica narratione, Perescij studium, liberalitatem, & in commentando, scribendoque diligentiam, rei literariæ præstitas, summam exponam.

L A V D A T I O.

5

Gens Fabricia, postquam ex equestri ordine, apud quem per recentos, & amplius annos, militari gloria floruerat, in senatum Aqueensem cooptata est; ita ingenio, & doctrina excelluit, ut non solum amplissimæ dignitatis, sed etiam summæ eruditionis, in quartam sobolem propagatæ hæreditas, vñà cum satis lauta literaria supellestite, ad Nicolaum Claudium Fabricium venerit. Qui cum auitas studiorum maximè, atque doctrinarum possessiones, non solum tenere, immo etiam aliquid, atque adedò multum illis addere de suo decreuisset: omnem curam, sumtùmque posuit, in ornando potissimùm, atque amplificando eo instrumento, quo in optimis artibus comparandis, magno prorsus opus est. Quamobrem vbi optimos quosque libros, primùm sibi vñdique colligendos; deinde auro, purpura, omni denique eleganti, & magnifico opere ornandos, per egregios artifices, qui suæ domi vivebant, diligenter curasset; illósque omneis diligentius euoluisset: nihil quidquam habuit antiquius, quàm ut rota Europa peregrinaretur: non solum ad hominum qui tum vivebant, mores, ciuitarùmque instituta noscenda: sed ut tanquam in rem præsentem veniens, eaque demum subiiciens oculis, quæ auditione, vel lectione acceperat; vetustiora antiquitatis monumenta acerrimè contempleretur: ac quæcunque inde auferri possent, domum secum in bibliothecam transferret. Quò primùm iter dirigeret, Italia se se obtulit: in qua cum ingenia præstantissima, & elegantissima, humanissimi, optimique mores, leges denique præclaræ, atque salutare nunc vigent; tum verò pristinæ fortunæ, illorùmque omnibus artibus florentissimorum temporum, reliquæ plurimæ supersunt. Lustratis igitur Liguriæ, Etruriæque oppidis, ad hanc vestram urbem, velut ad diuini, humanique imperij domicilium, & antiquitatis atque humanitatis sedem, magno itinere contendit: vbi fora, theatra, templa, thermas, arcus, & cryptas; oculis, pedibùsque diligentissimè permensus est; sicut obeliscos, columnas, statuas, æra, marmora, gemmas, atque codices; omnia denique prisce magnificentiæ,

A. iij

artiũmque monumenta ; quæ in vestrorum murorum ambitu , plura quàm in reliquo terrarum orbe , atque illustriora reperiuntur ; atrectavit , excussit , & quæcunque potuit , domum abstulit : partim maximo pretio emta ; partim oblata , datæque à doctis hominibus , qui , vt semper Romæ , tum maximè studiosissimorum munificentissimorumque Principum Aldobrandinorum , tempestate , plurimi atque humanissimi fuère. Quos omneis , præcipuè Fulvium Vrsinum , & Lælium Pasqualinum , viros in colligendis , colendisque antiquitatum reliquiis diligentissimos , & maximè industrios ; ad admirationem , atque amicitiam adolefcens Perescij virtus , eximiâque doctrina traduxit. Eandem expectationem , fauorẽque Roma Neapolim secum attulit , dum versatur cum Matthæo Capuano Conchanorum Principe , magis literarum amore , atque scientia , quàm summa dignitate , generis , fortunæque claro ; ac Marte Gurgustiola , in supremo consilio iſſ-viro apprimè docto : qui ambo locupletissimos omnium rerum antiquarum thesauros domi habebant. Celebreis præterea Ioannis Baptistæ Portæ , atque Ferrantis Imperati ædeis ibi frequenta-uit : quorum ille rerum occultatarum , & quasi à natura inuolutarum acerrimus inuestigator , atque interpret : hic custos , & conseruator diligentissimus fuit. Et cùm hisce rebus , non minùs quàm antiquitati studium suum , laborẽmque Perescius impertiret ; reconditissimum quemque inuestigauit angulum , non solùm amplissimæ , pulcherrimæque vrbis , sed & totius felicissimi illius agri Campani ; in quo iucundum , naturæ mirabilibus illic maximè gaudentis operibus , & antiquæ Græcorum , Romanorumque magnificentæ , ac luxuriæ , certamen spectaret. Italiam reliquam , omnẽmque Galliam Cisalpinam pari diligentia lustrauit : Rauennam ex itinere diuertens , vt inuiseret , cùm funesta illa Gothicæ barbariæ trophæa , Romani Imperij ruinis imposita ; tum maximè Hieronymum Rubeum , istarum antiquitatum , ac medicinæ scribtozem luculentum. Inde Patavium se contulit , inuitatus præsertim fa-

ma, quæ de eximia Ioannis Vincentij Pinelli doctrina, eiusque refertissimo omnibus omnium linguarum, atque scientiarum voluminibus Musæo, ita tum Europam peragrabat: vt docti homines, antiquos libros in bibliothecam collecturi, vel suos edituri; ex longinquis locis illuc ad eum consulendum venirent. Ibi Perescius aliquandiu moratus est, non tantum vt in Pinelli domum, ac bibliothecam, sed etiam in illius consuetudinem penetraret: in quam se demum totum dedit; ad eximium eius in literas, hominesque literatos ornandos studium, & ceteras omnes viri præstantissimi virtutes cognoscendas, percipiendæque; quas scilicet imitaretur, & cunctas ipse aliquando rei literariæ, cum maxima ad singulas accessione præstaret. Eamque de se spem adeo magnam, ac propè exploratam iam tum illic dederat, vt Paulus Gualdus, vir & suo præ ingenio, atque doctrina, & intima Ioannis Vincentij familiaritate clarus; in commentariis, quos de eius vita satis eleganter conscripsit, de Perescio affirmauerit: *Ætatem nostram, si quem Pinello parem ferret, non alium ab eo fore, qui Patavij vix dum plenam pubertatem egressus, eo ardore Pinellum, Pinellique studia fuerit complexus, vt ipsi Gualdo, ceterisque doctioribus viris, miraculo esset. Qui quidem homines eruditi, quotquot Patavij tunc ætatem in litetis beatissime agebant; in primis Pinellus ipse, & Hieronymus Alexander, atque Laurentius Pignorius, limato iudicio, sicut polita doctrina excellentes, grauissimum hoc egregiæ indolis, à Gualdo tributum Perescio testimonium, adeo approbauerunt, eamque in illo admirati ita amare; vt præsentem domum quisque suam, maxima cum hospitalitate patere voluerint; suamque reconditiora, tam quæ in priuatis bibliothecis, quàm in publicis tabulariis, Patavij & Venetiis, vtbe earum, cæterarumque rerum abundantia, florentissima seruarentur. iidem postea absenti; quod plerique etiam ex reliquis Italiæ, atque ad eam Europæ civitatibus fecere; de studiis per literas communicauerunt, librosque suos ab ipso, vel in eius nomine edendos honoris causa mi-*

serunt. Sic florens gratia, & hospitiis clarissimorum, doctissimorumque hominum, ubi se locupletavit signis, tabulis, nummis, codicibus, ceterisque verustissimis Italix ornamentis; Germania, vltimáque Britannia peregrinari pertexit. Arque ibi quidem plurimas antiquitatis reliquias collegit, nec non existimationem, ac benevolentiam hominum, non solum in sapientix, ac literarum studiis, sed etiam in pictura, architectura, cæterisque elegantioribus artibus excellentium: quos Claudius Fabricius, illorum operum elegans spectator, vt olim in Italia, ita tum in illis regionibus coluit, ac sicut ceteros omnes viros doctos, ad suam adiunxit necessitudinem: præcipuè Petrum Paulum Rubenium, & ob rerum antiquarum cognitionem, & picturæ, sculpturæ, architecturæque scientiam; quas ex Italia ad Belgas, primus cum pristino splendore, atque dignitate, transtulisse videtur: Marcum Velferum rei publicæ apud Vindelicos, & literariæ in tota Germania constituendæ, studiosissimum $\overline{\text{r}}$ -virum: Ioannem Barclaium, tum in Britannia, magnam ex doctrix, ingeniique elegantia laudem adeptum: Danielem Heinsium Batauorum politicissimum; omniùmque doctissimum eius doctorem, Iosephum Scaligerum, qui Claudium Fabricium, sibi tantùm fama, ac nomine notum, ubi primùm secum de literis loquentem audiuit: vir acri, certoque iudicio, ipsissimum Perescium ipsum esse affirmavit. Postrema fuit Parisiensis peregrinatio, quam ob librorum optimorum, doctissimorumque hominum copiam ibi affluentem, iterare ei visum est. Priore, se dedit Iacobo Augusto Thuano, eiusque celeberrimæ bibliothecæ; ad quam Isaacium Casaubonum, Franciscum Pitheum, ceterosque summos viros, ex superiori sæculo, præstantium ingeniorum in Gallia feracissimo superstites, Claudius Fabricius videbat ventitantes: qui ipsum Thuanum, velut historix, ita reliquarum maximarum artium, ac hominum, qui eas profiterentur, principem patronumque optimum, & Gallici imperij, atque maiestatis, acerrimum defenforem, quotidie celebrabant. Post decennium
domi

domi consumptum, in recognoscendis literarum, antiquitatibusque monumentis, ex tota Europa collectis; iisque in Musæum suum, atque in memoriam, quæ ipsi propè diuina fuit, redigendis, digerendisque: Lutetiam iterùm se contulit, ad versandas, vorandâsque reliquas bibliothecas: Regiam scilicet, Dionysianam, Victorianam, D. Germani, atque Memmiorum; & studiosos illarum cultores inuisendos; quorum veluti noua soboles illic tum florebat. Inter quos, hodie excellunt: Puteani fratres humanissimi, qui apud Thuani filios, patriis ingenij, virtutisque dotibus ornatissimos, cognatos suos; non solùm eius bibliothecam, sed etiam literas, hominésque iis deditos, veluti suæ tutelæ, ac fidei, Iacobi Augusti testamento commendatos; quibuscumque rebus possunt, iuuant, & mirabiliter ornant; Nicolaus Rigaltius, politiore doctrinæ, iudicijque elegantia, & incorrupta Latini sermonis integritate, omnibus antecellens: cui nos, si modò in hoc genere literarum aliquid profecimus, id totum debere gloriamur: Claudius Salmasius, & Hugo Grotius, qui literaturæ, optimarumque artium principatum sibi vindicant. Petrum Seguierium, Henticum Memmium, atque Hieronymum Bignonium; viros magis doctrina, eximióque suo in literas studio, quàm supremis Gallicæ purpuræ honoribus illustreis, breuitatis causa omitto. Sirmondum relinquo, Petauium, Morinum, Merfenium, Burdelotium, & Valesium, aliósq; propè innumerabileis; ex summa doctrina, præclarissimisque suis scribtis, maximè claros: quorum omnium animos, atque voluntates sibi conciliauit Claudius Fabricius, & ad suos, id est ad rei literariæ vsus coniunxit. Atqui vnum præterire nequeo Gulielmum Varium, non minus eloquentiæ, ac Philosophiæ studio, cæterisque maximis virtutibus; quàm sanctissima cum hoc nostro Attico amicitia, Marco Tullio comparandum. Is ex quo Peregrinum in Senatum Aquensem, cuius ipse princeps erat, legit; continuè in consuetudinem eius se dedit, sic vt prorsus vnà illic vixerint; nec vnquam postea passus sit

eum à se separari. Quare cùm in aulam à Rege euocatus esset, ad annuli signatorij custodiam; quod summum est apud Gallos, togati hominis fastigium; eum illuc secum duxit; vnum esse in tota Gallia dignum existimans, quem contubernalem, & consiliorum in Republica, atque honorum, adiutorem, sociùmque haberet. Huius porrò gratia, Perescius nulla ferè in re vsus est, nisi in deprecandis amicorum, hoc est doctissimorum virorum, aut periculis, aut incommodis; & studiorum ratione procuranda: ad quam præter cætera egregia ornamenta, id demùm maximum contulit; vt se autore, maxima vetustissimorum codicum copia, Regis nomine compararetur; ad supplendam, atque amplificandam Parisiensem bibliothecam: quæ omni tempore, ad omnium vsus ita patet; vt ex ea maximè, præclariora antiquarum doctrinarum monumenta, in dies eruantur. Quo autem potissimùm beneficio, se à Vario ornatum voluit, id vnum propè fuit; vt vetustissima curiarum, templorùmque tabularia, in omnibus Gallix oppidis, sibi ex eius autoritate inuisere, atque excutere liceret. Cùm ab opibus alioquin, & honoribus. consecretandis tam esset alienus, vt sæpiùs repudiauerit à Vario vltro oblatos, qui cùm Claudium Fabricium in amplissimum, pristinxque dignitatis apud Gallos maximè retinentem, Antistitum ordinem cooptari vellet: vix ab eo tandem impetrauit, vt mediocre acciperet sacerdotium. Mortuo Vario, qui suam omnem, vt ita dicam, antiquariam supellestem, amicissimo, studiosissimòque viro legauit; & testamenti tabulas, illius fidei atque autoritati commendauit: domum, Musæumque suum diu desideratum, spectabat Perescius, cùm ecce sub ipsum à Parisiensi aula discessum, ad Romanam denuò ex itinere inuitatur: optatissimo nuntio de noui Pontificis creatione, Maphæi scilicet Barberini Cardinalis. Si quidem hunc ante pontificalia insignia, perinde ingenij doctrinxque, ac sanctitatis in Republica Romana principem, ipse tam benè nouerat; procuratàque olim simul, atque iterum, diuinorum illius poëmatum editione, aliisque of-

ficiis demeruerat; vt cùm nuntius, qui Regem ante omneis de eare certiozem facere veller, obuio Pereficio tantùm dixiffet: virum Romanorum Principum eruditiffimum, eique amiciffimum, in mortui Pontificis locum fuffectum; ipfe continuò, Maphæum ad gubernacula Reipub. federe intellexit; cum incredibili lætitiæ voluptate. Præuidebat enim literarum studia, in lucem, atque splendorem fub doctiffimo Pontifice reuocatum iri; studiososque, vel ex vltimis terris, ad aulam Barberinam celebrandam, ornandamque; honorum, ac præmiorum fpe aduoluros. Ad quam temporum, literarumque felicitatem, oculis faltem vfurpandam, ac Pontificem fui studiosum adorandum, Romam ab amicis non inuitus attrahebatur. Sed profectiois caufam, ambitionem, à cuius vel fufpicionem abhorrebat, potiùs quàm officium, vifum iri nolebat: & poftquam ex Circes infula, tanto labore tandem foluiffet, fi cantibus Sirenium illiceretur, vt apud eas hæreret veritus eft: quare in fuam tandem Ithacam, ad optatiffimum ftudiorum portum, fe ex longa peregrinatione recepit. Tunc enim uerò Pereficij Muſæum, ac tota domus, ex præfentis domini regali, propè liberalitate; qua videlicet non folùm in literas, earumque inftrumenta ornanda, fed maximè in ftudiofos homines iuandos, colendosque, deinceps vfus eft; ipſa Alcinoi Regiâ, & magnificentiôr, & hofpitalior euafit.

Delectum Romanæ aulæ florem, illuc aliquantò poft Cl. Fabricij acceffum, fecum aduexerat Francifcus Barberinus Cardinalis; qui à Pontifice ad iuftiffimum, fortiffimumque Galliæ Regem, Legatus mittebatur. Porrò autem hunc, ac nobilem eius comitatum, lautè aded, atque fplendidè accepit Pereficius, vt cum ipſis Regibus de magnificentiâ certare vifus fit: admiratus, veneratusque in iuuentutis Principe, cùm maturam patru Pontificis prudentiam, atque fanctitatem: tum maximè fingularem literarum fcientiam, & erga homines ftudiofos voluntatem. Atque ob illas aded excellentis primarij iuuenis virtutes, ei vſque ad extremum vitæ fpacium, ita omne officium, cultum-

que tribuit; vt nullus fermè ex Gallia in Italiam traiceret; cui non tantùm literas obseruantix, sicut eruditionis plenas, ad eum perferendas traderet; sed & libros, plantas, atque animalia rara, pergrinàque, ad locupletissimæ bibliothecæ Barberinæ, hortorùmque ornamentum. Cui vicissim humanissimus Princeps, maximas semper habuit gratias, & eadem epistoliarum frequentia, similibusque muneribus retulit. Haud minori obseruantia, ornatissimos & doctissimos quosque, ex celeberrima Legati cohorte coëlit Perefcius: Cassianum Putealem ante omnes, virum ob generis, virtutum, atque eruditionis claritudinem, summis laudibus honoribusque dignum; cum quo, morum elegantissimorum, & in optimas artes, earumque cultores, prolixæ naturæ similitudine, sibi coniunctissimo; de omni studio:um suorum ratione, familiariter deinceps communicauit. Item cum Ioanne Baptista Donio, qui ob ingenitatem, aptumque ad omnium magnarum rerum scientiam ingenium, fuit ipsi charissimus. Istarum amicitiarum ibi tum, sicut Romæ demum aliarum, conciliator fuit Hieronymus Aleander, vir optimis artibus, summisque ornamentis præditus, & ab adolescentia, Fabricij amantissimus; qui nobilem eius, plenamque dignitatis, atque sapientiæ domum, præstantissimamque studia, tunc ita miratus est; vt vnum omnium mortalium maximum, atque felicissimum Perefcium, palam deinceps prædicare soleret: sæpiusque cogitauerit, ex aula, atque ipsa vrbe, ad eius suauitatem, pretiosissimùmque literaturæ thesaurum fruendum, Aquas Sextias migrare. Quò deinceps omnes principes viri, qui Reipublicæ causa, ex Italia in Galliam, vel illinc ad hanc prouinciam traiciebant, ex itinere diuerterunt: vt hominem conuenirent, penes quem erant commentarij, acta, & reconditoria regnorum instrumenta; quisque regionum situs, descriptiones temporum, populorum origines, leges, fœdera, bella; Regum, virorùmque primariorum stirpeis, cognationes, atque successiones optimè nouerat: sic vt nemini fundi, domusque suæ ratio fuerit, quàm illi orbis no-

stri status, atque conditio notior. Omnes item cuiusvis ordinis, ac nationis homines, magnarum peregrinationumque rerum studiosi, illuc se conferebant, ad ipsum celeberrimumque eius Musæum inuisendum; in quod præclara, raraque omnia collecta, sub vno aspectu cernere erat; quorum conspiciendorum causa, antea mortales vniuersum terrarum orbem peragrabant. Illa siquidem propè cuncta, secum ex peregrinationibus domum attulerat, tam ipse Perescius, quàm frater eius Palamedes Fabricius Valauesius, vir humanissimus; qui ambo in studiorum, domestici vitæ, rei que familiaris communitate, ita extra simultatem ad senectam vixere; vt nunquam alter cum altero in gratiam redierit. Ad ea porro, noua quotidie comportabantur, non solum è tota Europa, sed ex Asia, Africa, India, atque nouo orbe; cum vetus hic noster, eius inexhaustæ discendi auiditati non sufficeret: ita vt nemo ex vltimis terrarum oris ad has nostras appelleret, quin illuc inueheret plaustra, atque nauigia rerum, natura, aut arte admirandarum. Has enim in singulos dies ad eum mittebant, homines in celeberrima quaque illarum prouinciarum vrbe, ac portu delecti; quorum opera, ad ea omnia diligentissimè comparanda, infinito sumtu ipse utebatur. Et cum isti homines, sua quantumuis arguta sedulitate, Perescio cumulatè satisfacere nequirent; sæpius ipse alios domo misit, ad omnes maris Ægæi insulas, montem Atho, Byfantium, Alexandriam, & ad miserandas illas Memphis, atque Carthaginiæ reliquias: qui suo nomine, atque arte conquirerent, præter res alias nouitate mirabileis, præcipuè vetustissimos codices, Græcos, Hebraicos, Arabicos, Persicos, Coptos, Æthiopicos; denique cum cætera Asiaticæ, atque Africanæ antiquitatis monumenta, tum maxime priscorum Principum Ægyptiorum corpora, pretiosissimis odoribus, medicaminibusque condita. In quo profectò celebrata illa veterum Pergamenorum, Alexandrinorumque Regum, nec non Gallorum nostratium, in bibliothecas magnificentissimè ornandas studia, regali planè animo æmula-

tus esse videtur. Ad suam hanc bonarum artium officinam, & sapientiæ, virtutisque diuersorium, omneis literarum, elegantiorumque artium studiosos, peregrè aduenienteis, non solum benignè admittebat Perescius, & bibliothecæ suæ totum eis explicabat thesaurum; sed diutissimè illie retinebat, honesto, ac maximè liberali acceptos hospitio: quibus demùm discedentibus, aliquot codices, nummos, & alia, quæ ad eorum studia magis apta videbantur; omnia item, quæ ipsis opus fuerant, ex sua re familiari largissimè dabat: quemadmodum cæteris propè omnibus literatis hominibus absentibus, sibi nomine tenus notis, quidquid in literaria, atque antiquaria sua supellectile erat, quod ipsis, in lucubrationibus, adiumento fore arbitraretur; vltro nec petentibus, sæpiùsque talium rerum ignaris mittebat. Si quid domi non esset, quod alicubi lateret, vt id quoquo modo ad illos perueniret, suâque deinceps quæ præ manibus haberent opera, polita, perfectâque cederent; nulli labori, aut impensæ parcebat. Quos verò peregrinationes, rerum antiquarum, aut naturalium perquirendarum causa, parare audiebat; ipsis commendatitias literas, iumenta, atque viaticum de suo curabat: & ad eas suscipiendas, multos iisdem conditionibus vltro oblati innirauit. Omneis denique, quos solo literarum, virtutisque studio, & fortunæ iniuria calamitosos esse sciebat; quibus rebus indiguerunt, adiuuit, ære alieno oppressos leuauit; vel illos optimatibus diligenter commendabat, ac multa illis sæpè impetrauit; cum apud omneis paullò humaniores Europæ Principes, maximam gratiam autoritatèque obtineret: præsertim apud EMINENTISSIMOS CELSISSIMOSQUE VIROS, QUI GALLICI IMPERII CLAVVM HODIE TENENT, quippè qui, pro suo singulari literarum amore, atque scientia, doctos in oculis, auribus, atque complexu habent: & quæ sua est regalis magnificentia, atque magnanimitas; eos omnibus omnium ordinum hominibus, in beneficiis honoribusque tribuendis, anteponunt. Beneficæ, prolixæque admodò, Perescij naturæ testis oculatos, & ab ea

ipsa locupletes, citare possum; non tantum ex hac vrbe, istoque confessu; sed vel ex vltima Syria, immensaque Libani altitudine, Amiram doctissimum apud Maronitas Antistitem; ex Magna Græcia magnum Philosophum Campanellam; ex Gallia eruditum hominem Petitem, & multitudinem aliorum, ex aliis prouinciis infinitam. Innumerablem item liberalitatis, ac magnificentiae exempla, vobis referre haberem; vix de Rege, ne dum de senatorij ordinis, censuque homine credibilia. Cum tamen, quod propius miraculo, quam fidei est, ipse quadraginta millia sestertium nummum, hoc est vnciam vnam ex tota redituum summa, in hanc solam vestram urbem, singulis annis erogaret; quod & in ceteras Europæ celeberrimas, eum fecisse existimandum est; partim in libros, aliaque huius generis munera, huc ad amicos mittenda; partim in codices, statuas, æra, marmora, quæ hic in dies eruebantur; vel eorum saltem exemplaria, & imagines pictas, fictasve; aut in cera, gypso, vel charta madente impressas, sibi comparandas. Sed temporis me ratio; eruditissimi Academici; vt vela contraham, portumque tandem respiciam monet. Verumenimvero, vester iste vultuum ardor, animorumque intentio, sine dubio à me contendit, vt munus promissi omne conficiam; quo me vobis probaturum recepi, Claudium Fabricium longè omneis superasse; non solum singulari in literas studio, & largitate; sed quod demum maximum est, indefesso labore, incredibilique industria, in commentando, atque scribendo; de maximis quibusque artibus; quarum profectò, nullam partem intactam reliquit.

Historiam Prouinciæ Galliæ Narbonensis, hoc est patriæ suæ, pluribus, magnisque voluminibus conscripsit; diligenter aded, vt siue antiquitatem, siue leges, pacem, vel bella, & Reipublicæ conuersiones spectes; nihil est quod in illis desideres. Nobilium eiusdem Prouinciæ familiarum origines, suæque separatim, aliis voluminibus contexuit: & cum gens Fabricia Pisis oriunda esset; vnde ante quadringentos annos, bellica laude florens, in Galliam propagata est; Pi-

sanam, ipsamque aded Italicam antiquitatem; cuius summus amator semper fuit; iisdem libris præclare illustravit: multa seorsim recondita, in commentarium referens, de Gothicis Regibus, qui Italix imperium obtinuerunt, ex antiquis nummis petita; sicut de Gallicis, quorum originibus, propaginibusque, nimia vetustate obscuratis, magnam attulerat lucem. Omnium denique rerum, quæ magnæ, ac memoria dignæ, sua ætate gestæ sunt; venustissimos, ac plenissimos scribserat commentarios. Philosophiam, cui potissimum naturali, mirificè deditus erat, suis etiam scribitis exornauit, atque amplificauit. Si quidem elegantem confecerat librum, de ludicris illis naturæ operibus, quæ certis regionibus è terra effodiuntur: scilicet de lignis, rebusque cæteris, à sua in lapidis, vel aliam naturam degenerantibus: de vastis item, immanibusque illis Gigantum, ut vulgus opinatur, ossibus; quorum magnam vim, ex longinquis locis, sibi aduehendam curauerat: multa de illis, ut erat homo emunctæ naris, falsa odoratus. Plantarum verò peregrinarum, Indicarum in primis, singularem propè vniuscuiusque pertexerat historiam; nondum tentatis experimentis illustratam: cum ipsas arbores, non solum in stirpeis generis planè diuersi; sed in cornua, capita, aliisque viuentium animalium parteis, prospero euentu in seuisisset. Quorum animalium naturam, modum, & pondus, vel ipsorum elephantorum, diligentissimè explorauerat; & singula eorum membra, etiam hominum, manu sua dissectuerat: oculos præsertim vastissimarum belluatum, atque cetorum; quos vsque ad vltimas Gadeis, homines quæsitum mittebat: vnde cum de cæteris corporis partibus, tum de admirabili oculorum fabrica, atque munere, noua prorsus, & à nemine hætenus visa, literis consignauit. In Mathematicis illustrandis, non minus industriæ posuit: scè que ad astrologiam potissimum, ætate prouectior ita dederat, ut altissimam turrim, magno illarum artium instrumento refertam extruxerit; vbi nocteis serenas, in astrorum contemplatione peruigilabat: quorum non solum altitudines, magni-

magnitudines, vel motus diligenter obseruabat; sed in illorum materiem, ipsamque aded naturam, acri acie penetrabat; per vittea illa specilla, quæ nouo, ac verè cœlesti inuento, temotissimas, obscurissimasque rerum species, ad oculos dilucidè perspicendas reuocant: quibus perinde verum vsus, ac nomen, inuenit Galilæus Galileius, Mathematicorum sine controuersia Princeps, Fabricioque nostro amicissimus. Eo instrumento Perescius tam ceterarum errantium stellatum, quàm ipsius Lunæ, varias facies, ac tenuissimas quasque, quæ in iis apparent, notas, & quasi maculas, sedulò inspectas, sibi depingi, ac in tabulas incidi voluit; & suas de iis perpetuas obseruationes literis mandauit: aded vt noster hic terræ orbis, nemini notior fuerit, quàm fuere Perescio cœlestes; præsertim illius, vt veteres Italiæ sapientes loquebantur, ἀντὶχθόσος. Cuius præterea defectiones, ipse tam obseruabat, quàm per omnibus Mathematicos, attentius obseruandas curabat; non vt Dæ, cuius veluti alter Endymion, assiduus formæ spectator, atque mirator erat, laboranti succurreret; sed vt vrbium, portuum, atque insularum, rata, certaque, & à quatuor extemis cœli cardinibus, & à se inuicem interualla, inde reperire, atque constituere posset: receptosque itinerum, atque nauigationum errores tolleret. Res à solis hætenus, iisque vno, aut altero, maximis Regibus tentata: quam ad felicem exitum à Perescio tandem perductum iti spes fuit. Accuratas enim earum defectionum obseruationes, in celeberrimis veteris, nouique orbis oppidis, faciendas curauit: quarum omnium accuratissimam, atque vt Perescij verbum vsurpem, palmarem, Neapoli à Ioanne Camillo Glorioso, homine in Mathematicis disciplinis excellenti, sibi què amico, venisse ipse aiebat. Ad hæc autem omnia, assiduè vtebatur opera Petri Gassendi, rerum cœlestium, atque Philosophiæ scientia, Galliæ facilè primi, & Nicolao Cl. Fabricio intimi; sic vt domi per plures annos, vnà cum ipso coniunctissimè vixerit; atque illic extremum eius exceperit spiritum: qui demum mortui nomen

atque virtutem, grata memoria profecutus, animum ad commentarios de Perescij vita scribendos appulit: eâsq; parteis, quas olim mihi sumseram, ab homine eruditissimo, atque amicitiaâ consuetudine, mihi maximè deuincto, præoccupatum iri lætor; immo verò etiam de ea re Fabricij manibus gratulor. Operam eius in vestra antiquitate, scribendo restituenda, præclarè positam, Academici, non queo silentio præterire: cùm nulla veterum Romanorum utensilia, nulla ornamenta, in eius manus venerint, habuit porrò domi pleraque, de quibus scribendum non reliquerit; omnium autem vberrimè, atque diligentissimè, de ponderibus, mensuris, tripodibusque antiquorum. Omitto alia, quæ in reliqua literatura effecit opera. Eius tantùm epistolas, in admirationis cumulum addam, quæ quidem sunt ita multæ, atque eruditæ, vt si nullum aliud scriptionis genus vnquam attigisset: vniuersum tamen omnium doctrinarum, & liberalium disciplinarum orbem impleuisse, dici potuerit. Nullum enim aded præclarum, vel rarum, in bonis artibus nasci potest argumentum, de quo Perescius consulens, vel consultus, ad eruditissimum quemque non scriberet; doctè, frequenter, & copiosè admodum, vt omnibus omnium prouinciarum vrbeis, suis non dicam epistolis, sed voluminibus oppleuisse videatur. Atqui vt sciatis me non laudatoriè, sed Latinè loqui; qualeis, & quantas ad hanc vrbeis missas habeatis, exempli causa, nunc adeo ex me cognoscite. Extant propè innumeræ ad **V R B A N V M V I I I.** Pontificem Maximum, & Franciscum Barberinum Cardinalem, illam bonarum artium cognationem, quam in ambobus optimis, doctissimisque Principibus omnes admirantur, complectentes. Extant ad Cæsarem **Baronium**, & **Ioannem Franciscum Vidium Balneum**, Cardinales: **Iosephum Mariam Suaresium**, Antistitem: **Christophorum Puteanum**, & **Constantinum Caietanum**; omnibus magnarum artium scientia insignis; de religione rebusque diuinis: sicut de humanis, atque historia; ad **Vidum Bentiuolum** Cardinalem, & **Augustinum Mascardum**; eius

artis non solum in hac vrbe, sed in tota Italia facile principes: de naturalibus verò, iisque occultioribus, ac magis peregrinis, ad Cassianum Putealem, & Petrum Vallensem; vtrumque tam huiusmodi doctrinæ, quàm cæterarum magnarum rerum laude abundantem. Extant de literis, quas humaniores vocant, linguisque tam veteribus, Europæis, Asiaticis, atque Africanis, quàm recentioribus, Gothica, Cantabrica, Prouinciali, atque Italica; ad Lucam Holsternium, Gabrielem Naudæum, Leonem Allatum, Vincenzium Noguera, & Federicum Vbalinum; viros in iis summos, atque perfectos. item ad Franciscum Boncompagnum Cardinalem, Vincenzium Iustinianum Marchionem, Mariam Felicem Zachiam, & Alexandrum Rondaninum eius matrem, Stephanum Gualdum, & Claudium Menetrium; homines in antiquitatis reliquiis inuestigandis, conferuandisque diligentissimos; de statuis, nummis, gemmisque veteribus: tum etiam de codicibus antiquitatis scribitis; ad summos patitur viros, Scipionem Cobellurium Cardinalem, & Nicolaum Alemannum: quos vnice dilexerat Perescius; huiusque demùm mortui benignitatem, in aperiendis bibliothecæ Vaticanæ thesauris, vehementer postea desiderauit. Homines in omnibus doctrinis præstantissimos agnoscitis, Academici; qui eò libentius nunc à me citati, ac veluti recensiti sunt, quod propè omnes, sicut ipse Perescius, in hanc amplissimam lecti olum Academiam; ordinis nostri splendorem, atque gloriam illustrarunt, atque in dies amplificant. Porò eandem, maiorémque Epistolarum vim, non solum ad reliquas Italiæ vrbes; Patauium maximè, ad Licetum, Rodium, Argolium, & Thomasinum; homines in artibus, quas proficentur magnos: sed etiam Mantuanum Carpetanorum, Lureciam, Oxonium, Lugdunum Batavorum, Louanium, Augustam, Vindobonam, & ad alias vtriusque orbis celeberrimas vrbes, claris, doctisque vitis maximè florentis, perinde ac Romam, ab eo venisse existimate. Quibus quidem epistolis, non tantùm Transalpinas, atque Cisalpinas, sed etiam cæteras om-

*Non Stephanum sed
franciscum Gualdum
ita franciscus Gualdus
est Ariminensis
Episcopus J. Stephani,
qui Episcopus Regens
Musæi sibi per eum
osis comparauit.
et idem est qui
a Sando Lib. 3.
pag. 156 in vna
Patauii creditur
fuisse negotian
Pauli Sudi
Patauii, eò reuen
non sit, hinc Sudi
Vicentini, de quo
Mox erat Sudi
origines ducant
a Sualdis Arimi-
nensibus, ne eos
tantum multi au-
tores persequerentur*

*Episcopus Cesar Clementinus in hist. Ariminensi; et Paganus in hist. Vicentina, ab ip-
sorum tamen est, quod Perescius, et fr. Gualdus multas sibi inviden
scripserunt Hist.*

neis Eutopæas, ac barbaras nationes; humanitatis, & doctrinæ commercio miscuit, atque confociavit: sic ut bonas artes, & vniuersa earum instrumenta; quæ in bibliotheca, ac mente sua reposita, ad omnium vsus inde promebat; inter illas demùm genteis fecerit communia. Quare de Fabricij doctrinæ præstantia, aut Musæi amplitudine, atque dignitate; ex ipsius scribitis, cæterisque antiquorum monumentis, quæ in eius domo extant, minimè est iudicandum: sed potiùs sic habendum, nullas in terræ orbe celebres esse bibliothecas, in quibus celeberrimæ illius Perescianæ, patris aliqua non reperiatur; nullos libros nostra ætate, scribtorum ad fastidium feraci, in lucem fuisse editos, qui non Perescij doctrinam, sicuti nomen præ se ferrent.

FINGITE vobis animo, Academici, omnium studiosorum vnum aliquod veluti corpus, in quo Claudius Fabricius, vice fungeretur partis illius in medio quietæ, cui alendæ reliqua membra, suo labore omnia quærunt; cuiusque vicissim haud segne ministerium est, nec magis alitur, quàm cætera alit: adèd ut vniuersa studij, atque doctrinæ pabula, ab omnibus sibi vndique conquisita, atque congesta, insaturabili legendi, discendique aviditate vorans, & acri ad meditationem, scriptionemque ardorematurè conficiens, in succum, & sanguinem verteret; quem in omneis demùm partibus, ad ingeniorum alimenta, patiter diuisum redderet: nisi potiùs Perescium, illustris illius, atque immortalis corporis animam fuisse dicamus; quæ totum moderaretur, singulâque eius partibus, vi, ac numine suo conseruaret atque augetet. Numen dixi, Academici: is enim qui sat breuis, septem & quinquaginta annorum, vitæ partem alteram peregrè, & in aula transegit, alteram in curia, ad senatoria munera, bis quaque die diligenter obeunda; tot tamen, ac tam illustria, sui in literas studij, atque largitatis, ad æternam posteritatis memoriam, monumenta reliquit; librosque, & epistolas, operâ, manûque sua pluteis; quàm alij longæui homines, & priuato otio abundantes legere solent; Latinè, Italicè, & Gallicè di-

ligenter conscribit: is inquam, mihi sanè supra hominem putandus esse videtur. Hanc porrò diuinam Nicolai Claudij Fabricij Perefcij animam, nunc mortalis sui corporis compagibus reclusam, superas sedeis capecscere, & in æterna illa, ac cœlesti domo, ætatem quam hic nobiscum beatam duxit, inter ipsos diuos beatissimam agere, vos Academici Romani, existimare par est; & eam omni honore, qui Heroibus tribui solet, afficere. Præterquam enim quòd summa integritate, atque innocentia vixit; præterea Romanæ religionis, cæremoniarúmque maxime colens, & ad extremum spiritum retinentissimus fuit. pro aris, delubrisque fortiter certauit; vt ad illa plurimos reduceret, ex isto hominum genere, qui nouis, atque alienis obstricti religionibus, ab hac antiquissima, atque sanctissima declinauerunt; vel apud illos, rei literariæ III-viros, non sine spe victoriæ adortus. Quamobrem erga hominem, de Romana Republica, tam multis nominibus optimè meritum, in decoranda eius morte grati estote, Academici; & sicut eam, iam publica laudatione esse honorandam putauistis; ita quidquid præ ingenij, facundiæque meæ, nec non temporis angustiis, minùs ex amplitudine, atque dignitate argumenti, oratione exsequi potui; id demùm in præsentia, ornatissimis, optimisque vestris versibus præstare: in posterum verò, Heroi nostro, diuturnam pro breui vita memoriam reddite: & quod ipsi gratissimum facturi estis, illius studiorum veluti hereditatem adite, & constanter tenete. Vos autem, Patres amplissimi; ad eam, ad quam vocati estis Reip. procuracionem, vt excellentissimas omneis Nicolai Claudij Fabricij virtutes, maximis & in omni genere laudis eminentissimis (quales sanè estis) Principibus imitandas adhibetis: pergite porrò, vt facitis; atque ita in primis diuinum eius studium, regalémque libera litatis magnificentiam imitami, in eas artes promouendas; quibus omnis vitæ honestas, eleganzia, ipsaque adedò hu-

manitas constituitur , atque continetur ; nec non in homines , qui eas colunt , amandos , ornandósq; honoribus , ac beneficiis ; quæ sancti illi , atque religiosi maiores vestri , in ipsos præcipuè collata voluerunt . Indignum siquidem esset eos iacere , quorum opera , atque vigiliis , summum à Deo datum , hominum generi , literarum bonum maximè viget : sed prorsus digni sunt , qui apud vos gratia , atque autoritate floreat . Si quidem principes viros , de se , suisque virtutibus benè meritos , æternis scribtorum suorum monumentis , ad immortalitatem consecrant : sicuti contra læsi , vel neglecti , notas ad ignominiam , nulla temporis diuturnitate , nec armatis tyrannorum manibus eluendas inurunt . Quare à vobis minimè audiendi sunt quidam homines nihili , qui etsi numerus tantum in aulis vestris , & fruges consumere nati sint , illic tamen vt vacua Belidum dolia , leuitate sua versatiles , & vanitate cassum , atque inanè sonantes ; maximas faciunt turbas , clamorésque , ac risus edunt , tam in hominum literatorum ingenium , morésque , quàm aduersus ipsarum literarum vsus , atque dignitatem . Literatis nihil innocentius , aut temperantius ; Patres amplissimi ; vt potè qui studium , & tempus omne , quod isti vel ambitioni , atque auaritiæ , vel rebus ridiculis , atque turpibus dant ; in maximarum , optimarumque contemplatione consumunt : nec sunt , vt isti vocant , difficiles , aut morosi ; sed acres rerum æstimatorum : non contumaces , & superbi ; sed res homine ingenuo indignas , nec facientes nec perferentes : non obscuro ; sed modesti : non denique rustici , aut agrestes ; sed antiqui , & contrà ; vnde etiam artes , quas profitentur , nomen inuenere , humani . Literæ verò , quantum non ornamentum solum , sed & præsidij in ciuitatibus benè constitutis afferant , vel ex hac vestra clarè patet : quæ vt olim afflictæ , per earum neglectionem fuit ; ita nunc diuissimus , sapientissimúsque Pontifex verè **C O E L E S T I D O N O** ,


L A V D A T I O.

23

ac diuino munere ipsi donatus ; causa est ; quòd viget hodie vestra Respublica , quòd floret , quòd beata est , quòd denique , cùm cæteræ terrarum orbis partes , bellorum , aliarumque calamitatum tempestatibus agitentur ; vna hæc (quod ei Deus Optimus Maximus proprium , ac perpetuum faxit) in pace , atque in otio conquiescit.

D I X I.





GABRIELIS NAVDÆI

AD PETRUM GASSENDVM

DE PEIRESKII OBITU

EPISTOLA.

ROVOCATUS non semel obseruationibus Astronomicis, quarum per me copiam fieri voluisti celeberrimis hominibus Fortunio Liceto, & Scipioni Claromontio; ac literis tuis insuper ad officium mutue necessitudinis, quæ dudum inter nos arctissimè coaluit, sollicitatus; peramanter omninò te facere intellexi, qui me tamdiu silentio usum fuisse, quæ tua est singularis humanitas, & beneuolentia, non molestè tulisti; satisque amori nostro, & singulari meo in te obsequio factum fuisse existimasti, si dum vrgebam Syntagma meum de *Studio Militari*, hoc interim spatio nihil ad tuas responsi dederim; nisi quòd amantissimo vtriusque nostrum clarissimo PERESCIO frequenter significabam, me, cum per otium liceret, talem habiturum rationem eorum omnium, de quibus egisti mecum per literas, ut ne quidem de suauissimâ tuâ urbanitate queri posses; quòd illa non similibus à me iocis, ac salibus excepta fuerit, & facetiarum colludio, gratissimâque vicissitudine compensata. Sed, heu rerum vices, heu fata infanda, heu mors acerba, & infensa bonis omnibus, quæ gestienti lætitiæ intercessit: viro illo incomparabili, tunc cum nihil minùs, quàm de eius occasu timebatur, è viuis sublato. Vbi enim crinitum sidus effuluit? vbi de cælo insonuit? vbi terræ motus, & fragores

fragotes insoliti, spectráque, & portenta apparuerunt, in eius viri omnium maximi, omnium optimi, sapientissimique interitu? Sanè ludunt nos, & fallunt suauiter Historici, cum nullos Principes absque iis signis interiisse referunt, ex quibus ariolationi de eorum impendente fato locus esse posset. Nam amabo te, Gassende, qui fieri potest, si mundus non casu regitur (vt certè diuinæ illum prouidentiz arbitriis gubernari certissimum est) quòd cælo curæ sint homines, non suis plerumque meritis, sed fortunæ cæco impetu, rerum gubernaculis admoti, nec vlla re, quàm suis opibus, & potentiâ (quâ sæpissimè in hominum perniciem, per summas vitæ turpitudines, & flagitia abutuntur) commendati: & ipsi interim silente cælo, non curante luna, nemine quidquam nouum, aut insolens in elementis, atque venturi (si quæ sunt) præsciis animalibus obseruante, mortem oppetant, qui virtute regnum sibi amplissimum, honestissimùmque inter homines comparârunt; qui mortaliū omnium commodis nati, omnes operâ, studio, industriâ iuuant: omnium conatus vrgent, promouent, extollunt; quisque orbem vniuersum in sui admirationem trahunt fama, & commendatione meritorum? Huiusmodi verò laudem, si PERESCIVM vnum nostris, elapsisque ab omni æuo temporibus cumulatissimam tulisse dixerim, non est quòd aliquis reclamet, nisi aut virtutis hostis, aut laudis inuidus, aut ignarus rerum, de quibus boni omnes, & eruditi consentiunt. Ecquis enim ipso vnquam aut petitor extitit antiquitatis, naturæ, temporum, historiarum, linguarum? aut promptior iuuandis studioforum laboribus, quâ voce, quâ literis, quâ libris, quâ signis, plantis, animalibus, picturis, numismatis, & antiquæ, recentisque memoriæ similibus monumentis? aut aptior denique, qui istud facere posset voluntate, opibus, auctoritate, scientiâ, prouidentiâ, cæterisque virtutibus, quarum mutuâ consensione ornatus sit oportet, qui instar clarissimi PERESCII, orbem literarium suis nutibus, & votis temperandum suscipit. Quòd equidem facere quàm arduum sit, tu

D

verò Gassende, istud coniecere potes, vel inde quòd si in
 priscorum Heroum exempla recurras, qui istud similitet
 fecerit, inuenies potius neminem. Atque vt elapsa proximi-
 mè tempora Vincentium Pinellum, & Dominicum Moli-
 num tulerint non multùm fortasse studio, & voluntate iu-
 uandi literatos inferiores P E R E S C I O; nescio tamen
 quomodo adiumenta varia illis defuerunt, quæ huic nostro,
 & communi omnium Mæcenati, vt plenâ velificatione
 cursum hunc à primâ statim adolescentiâ institutum, ad af-
 fectam vsque ætatem perduceret, in causa fuere. Enimue-
 rò quantâ etiam facilitate istud præstitit, nemini obscu-
 rum esse potest, nisi qui solem non videt pleno meridie.
 Quis enim nescit os eius non hominis, sed Apollinis Del-
 phici fuisse, ex quo oracula de rebus omnibus abstrusis, &
 incognitis quotidie reddebantur? Domum verò instar ce-
 leberrimi emporij, mercibus pretiosissimis ex vtrâque In-
 diâ, Æthiopiâ, Græciâ, Germaniâ, Italiâ, Hispaniâ, Angliâ,
 vicinioribusque provinciis refertam extitisse; nullâque
 nauem Galliz portus intrasse, quæ non aliquod animal pe-
 regrinum, non plantas exoticas, non matmota priscorum
 cælo sculpta, aut exarata, non codices Samaritanos, Coptos,
 Arabas, Hebræos, Sinenses, Græcos, non erutas ex Bospho-
 ro, aut Peloponeso antiquitatis penitissimæ reliquias, in
 vnus P E R E S C I I Cimeliarchium inferret? Quem deni-
 que latere potest, non conquistis ab eo fuisse tot opes in
 propriam tantùm oblectationem, aut musæi sui ornamen-
 tum, in quo laterent ipsæ tanquam in Fauissis Capitoli-
 nis, aut sepulcris, vnde nefas esset quidquam eruere, ac de-
 promere in aliorum commoda: sed P E R E S C I V M hanc
 sibi legem statuisse, vt, si quos in orbe literario suis consi-
 liis, opibus, libris, statuis, marmoribus iuuarî posse intelli-
 geret, non expectaret ipse, vt morosè precibus illud à se ef-
 flagitarent; sed vltro offerret, inferrétque in eorum ædes;
 ac penè dicam literatos omnes obrueret beneficiorum suo-
 rum magnitudine, & frequentia? Verùm quid opus est,
 optime Gassende, vt hæc ad te scribam, qui plura oculis

ipsis, in maximo illo Heroe obseruare potuisti facinora, commendatione omnium hominum, ac memoria, æternitatēque temporum dignissima, quàm quiuis alius; nisi tu ipse, qui amore in eum, ac dicendi, scribendique lepore nemini concedis, munus istud in te recipias, scriptis vnquam consignare possit? Profec̄dò, cùm nulla eius vitæ pars miraculo caruerit; cùm nullus vnquam exortus sit, cui plura, aut meliora debeant, studiis doctrinisque præstantioribus dediti homines; cùm eorum omnium, quæ pulchrè, eleganter, doctè per anteaetas aliquot annorum decades scripta, aut obseruata sunt, pars maxima fuerit; nec ipse mortalis existimandus sit, nisi morte ipsâ, proh dolor! immaturâ, atque immiti in eum, qui nunquam occumbere debuisset; certè non cuiusuis esse intelligo meritotum eius famam transmittere ad posteros: nam vulgati ore istud facere piaculum est; parem verò tanti viri inusitatis, incomparabilibùsque meritis inuenire orationem, videtur mihi omnino difficile. Quamobrem istius *Musarum curatoris*, siue, vt cum Athenæo loquat, ἑπιμελητῆ τῶν μουσῶν, vitæ summam ex otbe vniuerso, per quem diffusa illa fuit, in angustum aliquod volumen contrahere, hoc equidem vnum est, quod nisi tu, doctissime Gassende, præstiteris, qui sermone vales puro, eleganti, castigatōque, & assueto rebus diuinis, ac cœlestibus celebrandis; cuiusmodi omnino PERESCIVM fuisse nemo non bonus existimat; quisque supremos illos orbis, eorūmque miracula; quæ profec̄dò non latius patent, quàm PERESCII fama, & merita, in exilem globum solettissimè reducis: vix certè alium inuenio, qui defungi hoc munere ad eò commodè, felicitèrque possit. Nam etsi omnes, qui PERESCIO amici fuerunt, ingenio, facultatèque dicendi valeant, & omnibus illis, non secus atque tibi, negotium incumbat celebrandi virum, cuius recordatio sanctissima illis esse debet, licèt etiam multa, quæ de præstanti eius ingenio, laborum contentione, & mirificâ voluntate bonorum omnium conatus subleuandi, dici, atque afferri in medium possent, ea cuius ex præstantissimis

illius facinoribus, æquè ac tibi cognita esse potuerint; fatendum tamen est, quæcumque maiora sunt ex eius laudibus, ista propter intimam, quæ tecum illi fuit consuetudinem, & assiduum multorum annorum conuietum, atque usum; & faciliùs animaduersa à te, & prospecta certiùs, quàm ab aliis fuisse. Quare age, mi Gassende, calamum summe, inferuire solitum maximis viris aut tuendis, aut celebrandis, non minùs sanè, quàm cælorum, naturæque miraculis explicandis: & cogita apud te fore ex usu omnium, qui literis dant operam; è dignitate patriæ nostræ communis; è Principum, atque magnatum gloria, & splendore; vt eius viri imaginem, qui omnibus incitamento, & adiumento fuit ad virtutem, non solùm ad intuemdum, verùm etiam ad imitandum, pro tuâ in viuentem, defunctùmque pietate, quæ prorsus egregia fuit, exprimas. Ego verò, qui clariss. PERESCIVM eius loco semper habui, in quo vireis suas natura potissimùm experta est, vt hominem produceret, cui nihil deesset, quod eximium, honestùmque mortalibus concedi in hac vitâ possit; illùmque pro eo, ac debeo, verbis ornare non possim, quorum me pauperem reddit copia meritum: propterea hoc vnum, vt facias, enixè à te contendo; arbitrabórque meæ, & reliquorum pietati, qui PERESCIANOS manes æterno cultu, gratissimâque veneratione prosequi debemus, factum esse satis; si non modò eruditissimum, atque munificentissimum, quod orbis vniuersi iudicio comprobatum est, sed absque exemplo maximum, ac optimum virum fuisse PERESCIVM, summùmque literatorum fautorem, & cum prudentiâ, tum eruditione, ac omni virtutum genere excellentem, eòque nomine inter sæculi nostri miracula habendum, colendùmque, per te, & præsens ætas, & futura cognoscat. Vale, & nisi lugens adhuc, lege, quæ lugens, & ingenti, subitòque mœrore perculsus scripsi. Romæ xvii. Kal. Aug. 1637.




EX CL. SALMASII PRÆFATIONE
in Tabulam Cebetis Arabicam.

EX illo hominum genere, quos & priuatâ patiter, & publicâ causâ mœrere creptos amici debent, fatis ante triennium concessit Nicolaus Fabricius Peirescius, quem virum vel nominare, laudare est. Eum, nisi fama talem ferret, qualem ego scio fuisse, penicillo hîc meo quamlibet rudibus lineis, atque obscuris coloribus exprimere conarer, perfectissimum virtutis omnis, & omnigenæ eruditionis exemplar. Tentarem hoc, inquam, de cuius tamen vel minima parte dignè attingenda vix quidquam mihi promitterem. Præstarem equidem quod debeo summis eius viti erga me meritis, quæ nullum in me vitæ, quancumque dabitur, tempus obruet, nulla delebit obliuio. Sed cùm id aliter præstare non possim, quin plura dicenda dictis prætermittam, præ *ἀδραμία* omnium exequendorum numerorum, quos talis vita, & talis fama postulat; contrahere vela cogar, orâmq; legere, ne in tam vasto laudum pelago cum tenui cymbula deprehensus naufragij periclitet. Hoc igitur sufficiat dixisse, non alteri à multis retrò sæculis Solem illuxisse, qui Reipublicæ literariæ promouendæ maiori cupidine flagrauerit, nec qui magis eum, dum vixit, promouerit. Vt non vnum scientiæ genus curiositatem eius prouocauit; ita nec vnum genus hominum benevolentiam eius cum benefico animo coniunctam expertus est. Alij, quos innumeros esse scio, pro virili, si ingrati non erunt, prædicabunt quid, & quantum illi debeant. Quod ad me attinet, tanta sunt, quæ in me contulit, totque modis, quibus potuit cumque, studia mea adiuuare nisi est, vt cogitatione ea comprehendere vix detur, nedum verbis exponere queam. Quibus omnibus adiumentis, ac præsiidiis quando hodie mihi, illo amisso, carendum est, cum maxi-

ma studiorum meorum, Ægyptiorum præcipuè, & Arabi-
corum remora, & impedimento: plus tamen defleo, quod
Respublica literaria in illius viri morte sibi abesse perspicit,
quàm quæ mihi video periisse, quantumlibet maxima illa
esse, propriâ ractus iacturâ, etiam nunc sentiam. Post illud
damnum, quod meum non magis esse, quàm totius Reipub-
licæ detrimentum fateor, & quidem maximè deploran-
dum, non aliud grauius, &c.





EX EPICEDIO PERESCIANO
 ERYCI DORMALI
 Ad Eminentissimum Principem
 FRANCISCVM BARBERINVM
 CARDINALEM.

Περσικήν ποίησιν Πέτρος ὁ Γασιόνδιος.

Γράμμα τὸ Φαβερικίᾳ δηλοῦν μέγιστον, εἰς ἐνὶ πᾶσαι
 Σβέσασθαι καὶ ἡμετέρας χαμπάδα χαρμοσυίας.

Αψ δὲ ζυχαφέων βιοτιλί τε, καὶ ἦθα φωτός,
 Δύττερον αὐτίπολας, Πέτρε, τὸν ἥλιον.

Αλλὰ φίλος πᾶχιον φρυκτάρσει, ὡς ἀναφύωαι
 Μοὶ σέθεν ἐν χαφίδος, πηλιάδα μολίω.

Φιλοξενία, καὶ φιλοδωρεία.

Πῶς αὖ ἐπιπαιθέλων, Πέρσεσι, σπῖο λαθίμω,
 Αμφὶ φιλοξενίας, καὶ μεγαλοφροσύνης;

Τίς γὰρ ἀπὸ ἀλλοδαπῆς φιλοφροσύνης χεῖρ Κρητῆ
 Ἠλθε θῆσαι, καὶ σὺ κείθεν ἀγούστος ἔβη;

Τίς ποῦ σὺ ξενίων ὄσον ἔμμορεν; ὡς τις αἰεὶ
 Εἰτε Κύδωνος ἔλω, καὶ ποῦ σοὶ τίς αἰεὶ.

Οὐ δῶμος ἡμεῶν, ξενειῶν δὲ δῶμος τοῦός, ὅς με περιχρῶν,

Καὶ ποτὲ BARBERINON τὸν μεγαλὸν ἔξενισας.

Χαῖρέ μοι, ὦ Φραγκῶν κλητὸν πέδον, ἔτι σε παρὶν
Μοῦνος ὁ ἀγλαΐσας, Φρῦδος ἀπηγλαΐσει.

Θρῠητικόν.

Μουσοπόλῳι παρ' ἑλθῆμα μινάστατον, Ελλάδος ὄμμα
Δεξιόν, Λοιδῶν ἀρμαί, ἢ ἠίοχος,
Κεῖται Νικόλεως Πήρσκιος. ὄχο δῆθεν,
Ὠίχο, ἀλλὰ φίλα βάσκακε λήπόλιμος.
Οὐ μά τὸν, ἢ δνεθὲν μεμονώσομαι, ὄΦρα μετείω
Σοῖ, χαίπερ κρυερῶ σὶ Κλυμθῶιο πύλαις.
Τόφρ' ἀπ' ἐμείο δέχῃ ἐλεγάδιοι, ὁ παρσίαπῳ
Γραφάμιμος θερμοῖς δάκρυσι, ἢ μέλασι.
Δάκρυσι, ἢ μέλασι γράφας, Γάτερ, σὺ γδ' ἀπῳ μῶ
Κητικόν, ἔν σοι ἀπῳ μουσκὸν ἔξεκόπη.

Κενόγραφιον.

Ποῦ σὶο πῶ θίλω ὁ κενήλει, σὶ πῆι σκῶν,
Ἐν βωμῶν πῆι, ὦ πῳ φίλον ἡμέτερον
Φαβεῖκι; σὶκ ἄλλη περὶ πῆι σὶ ἔδει βωμῶ,
Ἡ νεῶ, ἀλλὰ μῶση ἡσομαι σὶ κρεδίη.
Ἐν κρεδίη, ψυχρῶ γδ' ἀφῆρπασας, ὡς σοι ἔμμεν
Τῶτό μῶ ἡμιθατῆς σῶμα, βῆφον κενῶν.



Cetera Elogia, tam profa, quàm carmine, volumine
alio collecta scorsim edentur.



F I N I S.





